Q. HORATII FLACCI CARMINA EXPURGATA,

Cum adnotationibus ac perpetuâ interpretatione JOSEPHI JUVENCII *è Societate Jesu.*

NOVA EDITIO ACCURATISSIMA.

TOMUS I.



PARISIIS,

Apud Hug. BARBOU, viâ Mathurinensium.

1805.

Q. HORATII
VITA.

De ejusdem Scriptis, et istis Commentariis.

Quinctus Horatius Flaccus natus est anno post Romam conditam sexcentesimo octogesimo nono, Lucilio Aurelio Cotta, et L. Manlio Torquato consulibus. Patriam habuit Venusiam, oppidum Apuliæ in Italia; patrem libertinum, et coactorem, hoc est, publicanorum administrum, qui pecunias publicè pensitari solitas colligeret: ut ipse testatur Satira 4. et 6. Lib. I. Satirarum: ubi etiam describit quemadmodum à patre institutus fuerit, ac deductus Romam, et liberaliter atque honestè, inter equitum ac Senatorum liberos litteris operam dederit. Annos natus circiter duodeviginti Athenas petiit Philosophiæ perdiscendæ causâ: inde secutus est Brutum, qui post interfectum in senatu C. Jul. Cæsarem anno U. C. 710. fugiebat in Macedoniam, et adversùs Octavium comparabat exercitum, in quo Horatium Tribunum militum esse jussit. Commisso ad Philippos, urbem Macedoniæ, prælio, in fugam se conjecit Horatius, armis turpiter abjectis, ut ipse profitetur Ode 5. Lib. II. et Italiam vix tenuit, facto ad Palinurum promontorium naufragio. Romæ redditus ac tranquillæ vitæ, factitare versus cœpit, quos mirificè probaverunt Varius, Virgilius, ac demum Mæcenas eruditorum patronus, qui veniam ipsi ab Octavio Cæsare impetravit, quod in

Bruti et Cassii partibus fuisset, moxque eumdem in suorum numerum cooptavit. Inde ille impensiùs animum ad scribendum adjecit; cùmque anno U. C. 716. qui ejus ætatis septimus et vigesimus fuit, bellum civile recrudesceret inter Octavium et Sextum Pompeium, Magni filium, Romanos à ferali bello deterrere studuit Od. 7. et XI. Lib. Epodon: Menam, seu Menodorum, Pompeii libertum insectatus est Od. 4. ejusdem Libri: Agrippam, Augusti ducem, cujus fortitudine ac prudentiâ potissimum debellatus Sextus Pompeius anno insequenti fuerat, celebravit Od. 5. Lib. I. in Antonium, qui Cæsari bellum indixerat, ac civile bellum instauraverat anno U. C. 722. quædam scripsit, et victoriam de illo partam laudavit Od. 31. Lib. I. et Od. 8. Libri Epodon. Pacatâ demum et constitutâ republicâ, cùm Octavius Cæsar Augusti nomen à senatu delatum anno U. C. 727. Horatii 38. accepisset, Galliasque petiisset, transiturus inde in Britanniam, ut eam armis perdomaret, ejus iter vates faustis ominibus prosequitur Ode 28. Lib. 1. Britanni pacem ultro petiere; de illis sæpe aliàs meminit. Anno insequente Augustus in Hispaniam est profectus, ubi Astures et Cantabri rebellabant: eos per se primùm, deinde per suos duces debellavit, rediitque Romam æger, quo de argumento scripta est, Ode 10. Lib. III. et aliæ quædam, in quibus fit mentio de Cantabris. Anno U. C. 731. Parthi domesticis discordiis laborarunt, pulso Phraate ipsorum rege, suffectoque in ejus locum Tiridate. Hac opportunitate usus Augustus effecit ut erepta quondam Romana signa, sibi à Parthis restituerentur, pacemque illi sponte peterent. Quam incruentam victoriam non uno in loco prædicat Horatius. Anno 734. missus in Armeniam Tiberius est, ut regem

Tigranem ei præficeret, resque perturbatas pacaret: quo tempore videtur scripta Ode 6. Lib. II. Anno urbis 735. Horatii 46. Augustum ex Asia in Italiam revertentem convenerunt in Samo insula Indorum legati, et pacem ab eo expetierunt. Istud in Carmine Seculari Horatius non omisit, quod carmen jubente Augusto scripsit secularibus ludis, qui anno 737. insigni apparatu fuere celebrati. Secutus est annus 738. quo in Sicambros aliosque Germaniæ populos duxit Augustus: illi ejus adventu armisque territi pacem oravere. Progressus est Cæsar in Galliam, ut eam componeret, nec Romam nisi anno pòst quarto rediit. At anno 739. Horatii quinquagesimo, Rhæti et Vindelici, ad Alpium radices positi, cùm Italiam devastarent, magnâ clade non semel affecti sunt à Druso et Tiberio per Augustum illuc missis. Utrumque Juvenem vates Ode geminâ Libro IV. fusè laudat. Obiit Horatius anno ætatis 59. U. C. 746. eodem quo Mæcenas. Ingenium viri et mores patent è scriptis: corpore brevis, obesus, lippus, præcanus, fuit.

Duas in Partes Horatii scripta tribuuntur: prior Odas continet; posterior Satyras et Epistolas: hæc uno genere carminis tota constat, nempe heroïco sive hexametro: illa carminum lyricorum varia genera complectitur.

DE METRIS
HORATIANIS
Seu variis Carminum Generibus
Quibus constant Odæ Horatii.

PRIMUM genus est Asclepiadeum, ab inventore Asclepiade sic appellatum. Choriambici etiam versus dicuntur, quia in illis secundam et tertiam sedem obtinet pes Choriambus, compositus ex Choræo seu Trochæo, et Iambo : hoc est, è quatuor syllabis, quarum prima et ultima longæ sunt; duæ mediæ, breves. Primus igitur pes hujusmodi versiculorum est Spondeus; secundus et tertius Choriambus; quartus Pyrrichius, qui constat è duabus brevibus.

Mēcæ | nās ătăvīs | ēdĭtĕ rē | gĭbŭs.

Alii aliter hunc eumdem versum metiuntur.

Mēcæ | nās ătă | vīs | ēdĭtĕ | rēgĭbŭs :

Nempe interpositâ post secundum pedem cæsurâ, ita ut præcedant cæsuram Spondeus et Dactylus; sequantur verò illam duo Dactyli.

Præter istos versus Choriambicos Asclepiadèos, alii sunt Choriambici Alcaïci, constantque pedibus quinque; Spondeo, tribus Choriambis, et Pyrrichio : ut,

Tū nē | quæsĭĕrĭs | scīrĕ nĕfās | quēm mĭhĭ quēm | tĭbĭ.

Talis est Ode 10. Lib. I. Denique alii sunt Choriambici Glyconici, à Glycone inventore sic appellati. Ternos habent pedes, quorum primus est Spondeus; secundus, Choriambus; tertius, Pyrrichius. Ejusmodi est primus versus Odæ 3. Lib. I.

Sīc tē | Dīvă pŏtēns | Cyprĭ.

Quem versum ita nonnulli metiuntur, ut post Spondeum Dactylos duos numerent. Vulgo isti Choriambico minori subjungitur major Choriambicus, sive Asclepiadeus, ut patet in eadem Ode tertia.

II. Secundum versuum genus est Sapphicorum, quos invenisse Sappho dicitur, à qua nomen etiam traxère. Quinque pedibus constant, Trochæo, Spondeo, Dactylo, et duobus Trochæis. Tres ferme deinceps collocantur, et illis subjungitur Adonicus versus, è Dactylo et Spondeo compositus. Talis est Ode 2. Lib. I.

Jām să | tīs tĕr | rīs nĭvĭs | ātquĕ | dīræ.

III. Tertium genus est versuum Dactylicorum. Ex iis alii ab Alcmane, qui primus eos usurpavit, dicuntur Alcmanii; et quatuor habent pedes, quorum primi tres Dactyli sunt, quartus Spondeus: ut,

Cārmĭnĕ | pĕrpĕtŭ | ō cĕlĕ | brārĕ.

Vulgo præponitur isti versiculo, hexameter: ut patet in Ode 6. Libri I. *Laudabunt alii, etc.* Alii vocantur Dactylici dimetri hypercatalecti: constantque duobus Dactylis et una syllaba: ut,

Ārbŏrĭ | būsquĕ cŏ | mæ.

Alii ab Alcæo ipsorum auctore nuncupantur Dactylici Alcaïci, et duplicis sunt generis: alteri enim constant quinque, demptâ unâ syllabâ, pedibus (Penthemimerim appellant.) Primus pes Iambus aut Spondeus est: alter, Iambus, hunc sequitur syllaba quasi pendula quæ cæsura dicitur: extremum duo Dactyli obtinent locum. Talis est Ode 8 Lib. I.

Vĭdēs | ŭt āl | tā | stĕt nĭvĕ | cāndĭdŭm.

Alteri constant duobus Dactylis et duobus Trochæis; ut,

Tērrĕt ĕ | quōs ĕquĭ | tūmquĕ | vūltŭs.

Qui versus collocari quarto loco solet in Ode Alcaica. Denique Dactylici versus omnium longissimi, ab Archiloco inventore dicuntur Archilochii, et septem habent pedes; in quibus quatuor priores possunt esse

Dactyli, tres postremi pedes Trochæi sunt. Talis est primus versus Odæ quartæ Libri I.

Sŏlvĭtŭr | ācrĭs hĭ | ēms grā | tā vĭcĕ | vērĭs | ĕt Fă | vōnĭ.

Huic Dactylico versui Archilochio additur ferè alter Iambicus sex pedum; una minus syllaba.

Trăhūnt | quĕ sĭc | cās mā | chĭnæ | cărī | năs.

Porro Dactylici appellantur isti versus, quia frequentiores admittunt Dactylos, quamvis in Dactylicis Alcmaniis et Archilochiis admisceri Dactylis Spondei possint, in quatuor primis sedibus.

IV. In quarto genere est versus Pherecratius, ab auctore Pherecrate sic appellatus, tribus constans pedibus, Spondeo, Dactylo, et Spondeo.

Quām vīs | Pōntĭcă | pīnūs.

Tertium habet locum in Ode 12. Lib. I. *O navis, etc.*

V. In quinto genere est versus Aristophanius, è duobus pedibus conflatus; nempe Choriambo et Bacchio: constat autem pes Bacchius ex una brevi et duabus longis. Talis est versus primus Odæ 7. Lib. I.

Lȳdĭă dīc | pĕr ōmnēs.

Quidam eumdem versiculum è tribus componunt pedibus, Dactylo et duobus Trochæis.

VI. In sexto genere numerantur versus Alcaïci, quorum opifex Alcæus, à quo etiam nomen habent. Constant pedibus quatuor, nimirum Epitrito, duobus Choriambis, et Bacchio, ut,

Cūr tĭmĕt flā | vūm Tĭbĕrīm | tāngĕrĕ? Cūr | ŏlīvūm.

Subnectitur hic versus Aristophanio, de quo proximè dixi in quinto genere. Talis est Ode 7. Lib. I. Pes autem Epitritus è quatuor Syllabis componitur, prima brevi, et tribus longis; vel tribus longis, et ultima brevi; aut prima longâ, secunda brevi, et postremis duabus longis; aut duabus prioribus longis, tertia brevi, et postrema longâ.

VII. In septimo genere sunt versus Iambici, qui non unius modi sunt: alii enim senarii seu trimetri vocantur: iique vel meris Iambis constant: tales cernuntur alterni quique in Ode xi Libri Epodon.

Sŭīs | ĕt īp | să Rō | mă vī | rĭbūs | rŭĭt.

Vel admixtos pedes ab Iambis diversos habent: tales sunt in Odis 12. et 13. ejusdem Libri V. Alii versus Iambici sunt dimetri, hoc est, constantes quatuor pedibus, ut,

Amī | cĕ prō | pūgnă | cŭlă ,

et vulgo subjiciuntur senariis, ut videre est in Ode prima Epodon. Alii sunt dimetri quidem, sed hypercatalecti, hoc est, abundantes unâ syllabâ; ut,

Lēnī | tĕ clā | mōrēm | sŏdā | lēs.

Talis est in Ode Alcaïca tertius quisque versus. Alii denique appellantur Iambici trimetri, sive senarii catalecti, constantque sex pedibus demptâ unâ, quæ deest, syllabâ: ut,

Mĕă | rēnī | dĕt īn | dŏmō | lăcū | năr.

Iis præponi solet Trochaïcus dimeter catalectus; de quo mox.

VIII. Octavi generis sunt versus Trochaïci, in eo dissimiles Iambicis quod pro Iambo Trochæum habeant iis in sedibus ubi versus Iambici pedem Iambum admittunt. Talis est Trochaïcus dimeter catalectus in Ode 15. Lib. II.

Nōn ĕ | būr nĕ | qu'aūrĕ | ūm.

Quemadmodum illi omnes versus in variis Odis misceantur legendo facilè apparebit. Duo præsertim Odarum genera celebrantur, Sapphicum et Alcaïcum, hoc ab Alcæo, illud à Sapphone inventum. Ode Sapphica constat tribus versibus Sapphicis de quibus mentionem feci in secundo versuum genere; et uno Adonico tribus subjuncto. Alcaïca componitur ex tribus Dactylicis, Alcaïcis, quos memoravi in tertio versuum genere, et uno Iambico, de quo dixi in septimo genere.

Quando versus iidem et ejusdem generis recurrunt, in eadem Ode, si alternis recurrant, hoc est, post alterum quemque versum; vocatur Ode distrophos, δίςροφος, nempe duas habens strophas: ordo enim ille versuum qui identidem redit, à Græcis dicitur ςροφὴ, à Gallis, *une Stance*, *un Couplet*. Si post tertium quemque versum repetantur carmina ejusdem generis Ode appellatur tristrophos, si post quartum, tetrastrophos. Jam, quando versus omnes sunt unius modi, Ode tota vocatur monocolos, μονόκωλος, quæ vox Græca significat esse partes omnes unius formæ ac speciei: quando duplicis generis sunt versus, vocatur Ode dicolos; quando triplicis, tricolos; quando quadruplicis, tetracolos. Denique versus aliquis, vocatur acatalectus, cùm est integer, cùm nulla syllaba, pes nullus, deest, vel abundat; catalectus, cùm deest unica syllaba; brachycatalectus, cùm pes totus deest; hypercatalectus sive hypermeter, cùm pes abundat.

Quod spectat ad eam rationem quam in interpretando secutus sum, nolui eam esse nimis exanguem et jejunam, qualem cernere est in iis commentariis, qui haud ita pridem exierunt, in quibus interpretatio ferè est horrida et hirsuta, dum verbum verbo religiosè, ac putidè potius, reddit. Amœnitatem quandam sectatus sum in explicando vate amœnissimo, et malui, ut ubertas quàm inopia, culparetur. Sic enim adolescentum studiis et ingeniis, quæ rerum copiâ et verborum aluntur, et commodari magis posse existimavi. In summa notarum brevitate dedi operam ut nihil vel ipsi pueri ac tirones desiderarent, quod bonam, opinor, in partem accipient eruditi, quibus oggerenda ista non erant; eorum autem in gratiam versus perpetuos, separatim ab interpretatione ac notis, edendos, et uno quasi conspectu legendos, proposuimus.

Q. HORATII FLACCI

ODARUM

LIBER PRIMUS.

ODE I.

Se Lyrici vatis nomen ultrò et gloriam ambire profitetur.

MÆCENAS atavis edite Regibus,
O et præsidium, et dulce decus meum,
Sunt quos curriculo pulverem Olympicum

O *Mæcenas, qui genus ducis à regibus, qui mihi et ornamento singulari es, et præsidio, reperias bene multos, qui Olympico in stadio pulverulentum agere currum unicè gau-*

1. *Atavis.* Est Atavus proavi filius, avi nepos, tertius à patre: hîc pro quolibet è majoribus accipitur. Mæcenas à Tusciæ regibus ortus erat.

3. *Curriculo.* Curriculum, significat ipsum locum, ubi currus agitabantur, quod Græci stadium ferè vocitabant; Romani, circum. Sunt qui curriculum accipiant hic pro exiguo et levi curru.

Pulverem Olympicum, etc. Olympia, urbs fuit Græciæ, ad quam famosa celebrabantur in Jovis honorem certamina post quartum quemque annum, sive ludi publici, *les jeux Olympiques.* Ab Iphito rege instituti fuerunt, ab Hercule instaurati. In iis certabatur disco, saltu, cursu, pugilatu, et equorum curruumque velocitate. *Meta,* exiguæ columnæ lapideæ, in acutum aut obtusum cacumen desinentes, in patenti campo erectæ, quas qui septies circumire inoffenso curru, citiùs aliis potuisset, vincebat.

Collegisse juvat; metaque fervidis
Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum Dominos evehit ad Deos.
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus;
Illum, si proprio condidit horreo
Quicquid de Libycis verritur areis,
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros, Attalicis conditionibus
Nunquam dimoveas, ut trabe Cypriâ
Myrtoum pavidus nauta secet mare.

deant, quique partâ victoriâ post declinatam rotis summâ velocitate incitatis metam, ad cœlum tollantur hominum laudibus, et superis ipsis exæquentur. Alius obtinendis per suffragia populi Romani, cujus nota levitas est, summis honoribus; alius convehendis in sua granaria omnibus Africæ messibus dum paternos avitosque colit fundos; ita delectatur et acquiescit, ut neutrum ad navem conscendendam, remotasque regiones procelloso mari adeundas possis adducere, etiamsi opes Attali regis offeras. At mercatores, licet, ventorum inter se luctantium ac tempestatum metu, beatos prædicent illos qui otiosam urbanamque vitam cum suis civibus agunt; nihilominus tamen

4. *Fervidis.* Rotæ, ipso motu cursuque incalescunt, imò ignem interdum concipiunt.

8. *Tergeminis.* Magnis, triplicatis: numerus ternarius augendo servit, ac pro majore quodam numero usurpatur. Tergeminos honores sive triplices quidam esse volunt, tres maximè insignes Romæ, majorem Ædilitatem, Præturam et Consulatum.

11. *Sarculo.* Sarculum est rusticum instrumentum, rastri quoddam genus, quo segetes purgantur, et herbæ iis innascentes reciduntur.

12. *Attalicis conditionibus.* Eâ conditione ut opes Attali mereat. Attalus, Pergami, [illegible] est urbs Asiæ minoris, [illegible] fuit, ita dives, ut pro ditissimo quolibet rege sumatur.

13. *Cypriâ.* Cyprus, *Chypre*, insula maris mediterranei, è regione Ciliciæ et [illegible]iæ minoris; in quâ sylvæ [illegible]æ, unde trabes navibus [illegible]candis. Trabs autem, [illegible] navis Cypria, pro navi qu[illegible] hic ponitur.

14. *Myrtoum mare.* Pars est Ægii pelagi, *l'Archipel:* item ut Icarium, quod ab Icaro Dædali filio, in illud delapso appellatum est: ut Myrtoum, à Myrtoum insulâ Eubœæ vicinâ.

Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium et oppidi
Laudat rura sui; mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.
Est qui nec veteris pocula Massici,
Nec partem solido demere de die
Spernit, nunc viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquæ lene caput sacræ.

redeunt ad ingenium, et navigia procellis confracta resarciunt, quia paupertatem perferre, et parvo contenti esse nesciunt. Alios videre est qui nihil faciunt libentiùs, quàm veteri vino se proluere, et partem diei multò maximam perpotando traducere, stratis corporibus, modò sub umbrosâ arbore, modò ad limpidum fontem. Plurimis bella sunt cordi, quæ matres execrantur: neque quicquam cupidiùs faciunt, quàm ut versentur in castris, et lituos unà cum tubis perstrepentes audiant.

15. *Africum.* Ventum sævum, ab occasu hyberno flantem.

18. *Indocilis pati.* Solent Græci adjectiva nomina cum infinitivo modo construere. Similia sunt ista, *celer sequi, callidus abscondere, etc.*

19. *Massici.* Mons Massicus est in Italiæ Campaniâ, ferax vini generosi. Nunc est in ea parte Italiæ quæ vocatur terra Laboris, in regno Neapolitano, inter Minturnas et Calenum, vocaturque *Monte Massico.*

20. *Partem solido de die.* Explicui, partem diei multò maximam. Illi enim potores et ganeones non satis habebant cibum sumere sub vesperam, qui mos Romanorum omnium erat; sed agitabant convivia de medio die, ac solidum integrumque diem velnti duas in partes æquas dividebant, utque ait alibi Horatius, frangebant diem, partemque alteram labori, aut negotiis gerendis; alteram genio ac epulis dabant. Hoc scilicet erat *partem solido demere de die:* qui enim rem aliquam ita frangit, ut particulam tantùm decerpat, is rem solidam ac totam frangere non dicitur, sed is duntaxat, qui majorem ex integro et solido corpore partem demit.

21. *Non spernit.* Non dubitat: amat, solet.

Arbuto. Est arbutus, quædam arbuscula, quam vulgò vocant *Arboisier:* ejus fructus arbutum appellatur.

22. *Membra stratus.* Græco more dixit: subaudiunt enim Græci præpositionem *κατὰ per, in, circum, secundùm*, quæ accusandi casum postulat.

Sacræ. Caput et origo aquæ, ipse fons est. Porro Numinis quidpiam fontibus inesse arbitrabantur, quod certis sacrificiis colebant.

Multos castra juvant, et lituo tubæ
Permistus sonitus, bellaque matribus
Detestata. Manet sub Jove frigido
Venator, teneræ conjugis immemor,
Seu visa est catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.
Me Doctarum hederæ præmia frontium
Dis miscent superis: me gelidum nemus,
Nympharumque leves cum Satyris chori,
Secernunt populo; si neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.

Venatores obliti conjugum, sub dio, tempestate frigidâ, perseverant, excepturi videlicet cervam à fidis canibus deprehensum, aut aprum, qui plagas objectas perfregerit. Ego, si coronam ex hederâ, quâ poëtæ dicti ornantur, adeptus fuero, in cœlo sum. Separant me à populo, ac supra vulgus attollunt tranquillæ sylvæ, chori Nympharum cum Satyris saltantium. Euterpe interim tibias inflare mecum non recusat, nec Poly-

23. *Lituo.* Est lituus buccina longior et incurva. *Un clairon.*

25. *Sub Jove.* Aëre. Sub dio.

28. *Marsus.* Sunt Marsi Italiæ populi, Samnitibus et Picentibus finitimi; apud quos apri ferociores erant.

Plagas. Plagæ hoc in loco sunt retia funiculis pressiùs et densiùs textis constantia, *des toiles.*

Teretes, hoc est, rotundas: nempe contextas intortis funibus.

29. *Hederæ.* Amant hederam poëtæ, quia sacra est Baccho, in cujus tutelâ ipsi sunt: deinde, quia ut semper viret hedera, sic semper vivunt ac florent eruditi poetarum labores.

31. *Satyris.* Erant Satyri agrestes Dii, simo naso, caprinis pedibus, villosi, protervi, etc. Chorus, est canentium aut saltantium multitudo.

32. *Secernunt.* Abducunt me procul à populo: supra vulgus imperitum tollunt.

33. *Euterpe.* Una è Musis, à suavitate cantûs sic appellata; εὖ, *bene*, et τέρπω *delecto.*

Polyhymnia. Una item è Musis, quæ à celebrandis heroïbus nomen habet: πολὺς multus, ὕμνος hymnus.

34. *Lesboum.* Est Lesbos, *Metelin*, insula in Ægeo mari, Alcæi patria, qui Odas Græcas insigniter scripsit, quem se imitari profitetur Horatius. Ex eadem urbe oriunda fuit Sappho, quæ Lyrica scripsit

Quod si me lyricis vatibus inseres,
Sublimi feriam sidera vertice.

hymnia lyram pulsare. Quòd si me inter vates lyricos numerare volueris, summam votorum meorum attigero.

etiam carmina. Eam ob causam barbitum, seu lyram Lesboam appellat. *Barbiton*, sive barbitus, est lyræ genus multarum chordarum, *un thuorbe*, *un lut*, *une guitare* : Græca vox βάρβιτος.

Ode II.

Describit varias clades Romanis ob Julii Cæsaris necem illatas. Octavium ait unum esse qui mederi tot malis possit.

Jam satis terris nivis, atque diræ
Grandinis misit Pater, et, rubente
Dexterâ sacras jaculatus arces,
Terruit urbem.
Terruit gentes, grave ne rediret
Seculum Pyrrhæ, nova monstra questæ;
Omne cùm Proteus pecus egit altos

Satis hactenus Jupiter nive terras et grandine vexavit, satis jam crebris, quibus templa percussit, fulminibus, Romam terrore ac metu complevit. Timuere populi, ne recurreret illud tempus, quo Pyrrha monstrorum novitate perculsa ingemuit, cùm videlicet Proteus marinarum belluarum pastor, eas duxit in montes altissimos, aquis diluvii coopertos : cùm pisces lu-

1. *Jam satis, etc.* Anno ab Urbe conditâ 710, Cæsar interfectus est in Senatu à conjuratis. Eodem anno Tiberis exundans partem urbis evertit : icta sunt crebris fulminibus templa, et alia id genus prodigia contigêre, quæ in hac Ode, per id tempus scripta, describuntur.

2. *Pater.* Jupiter Deorum, ut aiebant, et hominum pater.

3. *Rubente dexterâ*, Armatâ igne et fulminibus.

6. *Pyrrhæ.* Fuit hæc Deucalionis uxor, unà cum viro propter vitæ integritatem erepta communi diluvio. Lege Ovid. Lib. I. Metamorph.

7. *Proteus.* Marinus Deus, Neptuni filius, et pastor, qui Phocas (ita vocant [illegible] marinas) pascebat; omnesque induebat formas. Lege Virgil. IV, Georg. versu 385 et seqq.

Visere montes :
Piscium et summâ genus hæsit ulmo,
Nota quæ sedes fuerat columbis :
Et superjecto pavidæ natarunt
Æquore damæ.
Vidimus flavum Tiberim, retortis
Littore Etrusco violenter undis,
Ire dejectum monumenta regis,
Templaque Vestæ ;
Iliæ dum se nimium querenti,
Jactat ultorem, vagus et sinistrâ
Labitur ripâ, Jove non probante,
Uxorius amnis.

sitarunt in summis arboribus, ubi antea columbæ sedebant ; et damæ pavitantes æquore terris super injecto innatarunt. Vidimus Tiberim, fluctibus ab Etrusci maris littore retro actis, intumescere, ac Numæ regiam labefactare, templumque Vestæ diruere : dum uxori suæ Iliæ gratificari volens, promittit se ulturum Julii Cæsaris necem, quam illa vehementiùs deplorabat, eamque ob rem infestus aquis huc illuc, extra solitum alveum effusus, Jove neutiquam annuente, grassatur. Posteritas nostra, ob interfectos in bellis civilibus pa-

8. *Egit visere.* Græca est locutio. Egit, duxit, ad visendos montes.

10. *Columbis.* Nempe sylvestribus : palumbes vulgò vocantur.

14. *Littore Etrusco.* Mari Tyrrheno, quod Etruriam alluit, et in quod evolvitur Tiberis : *La mer de Toscane.* Appellatur Tiberis flavus, id est, pulcher, limpidus ; vel, propter turbatas arenas, et albicantes aquas.

15. *Regis.* Erat in Urbe vetustâ Numæ Pompilii, secundi Romanorum Regis, domus, quæ regia vocabatur.

16. *Vestæ.* Vesta, Dea præses ignis, qui Romæ in ejus templo diu noctuque alebatur à Virginibus Vestalibus.

17. *Iliæ.* Rhea, Silvia, et Ilia, tria sunt nomina matris Romuli. Uxor Fluvii Tiberis fuisse à Poëtis dicitur. Ab eâ Julius Cæsar ducebat originem, unus videlicet è Romuli nepotibus.

19. *Sinistra ripa.* Roma tota olim ad sinistram Tiberis erat sita. Postea magnam partem, trans alteram ripam ædificari cœpta est. Sinister, idem est etiam atque exitialis, funestus, etc.

20. *Uxorius.* Prima littera hujus vocabuli pertinet ad versum superiorem, cujus postrema littera eliditur per apo-

Audiet cives acuisse ferrum,
Quo graves Persæ meliùs perirent;
Audiet pugnas, vitio parentum
Rara juventus.
Quem vocet Divûm populus ruentis
Imperì rebus? prece quâ fatigent
Virgines sanctæ minùs audientem
Carmina Vestam?
Cui dabit partes scelus expiandi
Jupiter? tandem venias precamur,
Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo:
Sive tu mavis Erycina ridens,
Quam Jocus circumvolat et Cupido;

rentes rarior, leget in annalibus infelices pugnas, quibus heu! cives in se ipsi ferrum converterunt, quo in Persas æquiùs usi forent. Cujus numinis opem Roma implorabit ad fulciendas labantis reip. ruinas? Quibus precibus puellæ pulsabunt aures Vestæ minùs apertas ad earum hymnos audiendos? Cui Jupiter provinciam expiandæ necis per indignum scelus illatæ Cæsari demandabit? Ades huc tandem, ô Apollo, te obtestamur, ac denso aëre obvolutus veni: vel tu, si mavis, ô Venus Joco et Cupidine comitata: aut tu, Mavors, si tangeris nepotum tuorum calamitatibus, si genus tuum et

trophen, seu ecthlipsim, *probant'-uxorius amnis.*

22. *Persæ.* Populi Asiæ, prope Arabiam. Graves appellat, id est, bellicosos, vel potiùs infestos ac metuendos Romanis, quorum copias deleverant, cæso Crasso anno U. C. 701.

27. *Minùs audientem, etc.* Iratam ob necem Julii Cæsaris, qui ejus sacerdos fuerat.

31. *Nube candentes humeros amictus.* Id est, nube tectos habens humeros candidos. Estque *amictus* participium à verbo amicire; accusativus autem *humeros* ponitur Græcorum more, qui, subaudire solent in ejusmodi locutionibus præpositionem κατὰ, secundùm humeros. Apollinem implorat præcipuè, quia favere Trojanis, eorumque nepotibus Romanis, putabatur.

32. *Augur.* Qui auguriis prees. Augures, ex avium volatu, cantu, pastu, futura prædicant.

33. *Erycina.* Eryx, mons Siciliæ, templo Veneris inclytus. Hinc Venus dicta est Erycina.

Sive neglectum genus, et nepotes
Respicis auctor,
Heu nimis longo satiate ludo!
Quem juvat clamor galeæque leves,
Acer et Mauri peditis cruentum
Vultus in hostem.
Sive mutatâ juvenem figurâ,
Ales in terris imitaris, almæ
Filius Maiæ; patiens vocari
Cæsaris ultor:
Serus in cœlum redeas, diùque
Lætus intersis populo Quirini,

liberos parens jamdiu à te neglectos curas : omnino te cruento isto bellorum civilium ludo fatigatum esse decet, quamvis strepitu, armis et hostium in adversos hostes irruentium furore gaudeas. Aut tu denique, Mercuri, quem par est credere Cæsaris Augusti juvenilem induisse vultum, et inter mortales illius habitu specieque versari, ut Julium Cæsarem ulciscaris, id nobis annue, ut serò ad superos revertaris, ut diuturnam

35. *Genus.* Romulus Romæ conditor, Martis filius fuit.

36. *Auctor.* Parens et origo Romanorum, quia Romuli pater, à quo Romani sunt orti.

37. *Longo ludo.* Bello civili, Cæsarem inter et Pompeium conflato. Bellum est Martis ludus.

38. *Leves.* Tersæ, politæ.

39. *Mauri.* Sunt Mauri Africæ populi ad Occidentem et Septentrionem. Alii legunt *Marsi.*

41. *Mutata figura.* Quasi Mercurius illum vultum et formam quam in Olympo gerit, exuisset, ut faciem Augusti indueret.

42. *Ales.* Alatus. Maia, mater Mercurii. Mercurio dantur alæ, quia Deorum est nuncius : vocanturque vulgò talaria, quia præter illas, quas cassidi affixas gerit, alias habet pedibus, sive talis ambobus hinc et inde assutas.

Almæ. Almus, benignum, bonum, illustrem, significat.

43. *Patiens vocari, etc.* Hellenismus, id est, Græca loquendi forma. Gaudens te appellari Cæsaris ultorem : id ultrò ambiens. Octavianus operam dederat ut lex ferretur de vindicandâ Cæsaris nece; idque negotii præsertim in se susceperat, quippe adoptatus in familiam et nomen Julii Cæsaris.

46. *Quirini.* Romuli. Sic vocatus est Romulus ab hastâ quam semper gerebat, homo bellator : hæc enim Sabinâ linguâ *quiris* vocatur.

Neve te nostris vitiis iniquum
Ocyor aura
Tollat. Hìc magnos potiùs triumphos,
Hic ames dici pater, atque Princeps:
Neu sinas Medos equitare inultos
Te duce, Cæsar.

Romæ trahas moram, neque avolare nostris vitiis infensus festines. Diu vive, Cæsar, interque Romanos tuos triumphare, præclarum patris principisque nomen obtinere, ac meritas à Parthis repetere pœnas potiùs velis, quam superis addi, ac numerum Divorum augere.

47. *Iniquum.* Offensum, iratum. Æquus, idem est ac, æqualis, levis, in quo nihil est asperum, etc. Iniquus, est, inæqualis, asper, scaber, etc. ac per metaphoram, offensus, et iratus.

48. *Ocyor aura.* Ventus vehementior; turbo repentinus.

50. *Pater atque Princeps.* Hæc nomina sunt ab civibus Romanis, Augusto data. Vide Suetonium.

51. *Inultos.* Parthi (quos hìc Medos vocat, quia erant vicini Medis, et Medorum antiquam regionem obtinebant) Crassum interfecerant, et signa Romana retinebant. Equitatu maximè illi pollebant.

52. *Te duce.* Te remp. administrante.

ODE III.

Virgilio faustam navigationem precatur. Invehitur, occasione datâ, in eum qui nauticam artem invenit.

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ, lucida sidera,

O Navis, quæ Virgilium tuæ quasi fidei commissum habes, hunc, precor, Athenis salvum siste, ac illum, qui dimi-

1. *Sic te, etc.* Virgilius Athenas petebat, ut ibi suam Æneïdem perpoliret. Inde regressus in Italiam cum Augusto, anno U. C. 735, Horatii 46, extinctus est Brundusii, natus annos 51.

Cypri. Insula maris Mediterranei, ubi Paphus, Amathus, etc. urbes Veneri sacræ.

2. *Fratres Helenæ.* Castor et Pollux, quos poëtæ fingunt relatos in sidera, et mutatos in stellas duas, sive potiùs in me-

Ventorumque regat pater,
Obstrictis aliis, præter Iapyga,
Navis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium; finibus Atticis
Reddas incolumen, precor,
Et serves animæ dimidium meæ.
Illi robur et æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti;

dia velut animæ meæ pars est, serva. Ita te Venus Cypri domina dirigat, necnon Castor et Pollux amicæ nautis stellæ, at Æolus, ventorum moderator et arbiter, cæteros ventos, præter Iapygem, carcere et catenis constringat. Omnino illum esse oportuit durissimo ac ferreo pectore, quisquis fuit, qui primus omnium fragili navigio mare tentavit : neque Africum depræliantem cum insanis Aquilonibus reformidavit, nec Hya-

teora quædam et ignes erratícos, qui emergunt è paludibus ac mari, et putantur navigantibus favere, si bini appareant.

4. *Iapyga.* Est Iapix ventus flans ab Apuliâ, quæ olim Iapygia dicebatur, ideoque opportunus in Græciam ex Italiâ solventibus. Respicit Horatius ad eum Homeri locum, ubi Æolus ventos Ulyssi tradit, inclusos et constrictos in utre, excepto uno Zephyro, qui relictus est liber ac solutus, ut eum in patriam deferret. Cùm autem socii Ulyssis malè curiosi, utrem aperuissent, elapsi continuò venti procellas horribiles concitavère. Adi, si vacat, initium libri decimi Odysseæ.

6. *Atticis.* Illa Græciæ pars, in qua Athenæ, vocabatur Attica, sive Actica, quia protendebatur secundùm littus maris, ἀκτὴ *littus.*

9. *Robur.* Quercus dura.

Æs triplex. Triplici quasi muro æreo munitum contra omnia pericula pectus gerebat.

12. *Præcipitem.* Procellosum, violentum. Aquilo flat à Septentrione : Notus à meridie.

14. *Hyadas.* sunt Hyades, stellæ positæ in capite Tauri, quæ pluviam dicuntur importare. Hyas Atlantis filius fuit. Eum à leone devoratum sorores septem, à patris nomine Atlantides dictæ; à fratris, Hyades, cùm inconsolabiliter flerent, Deorum commiseratione in septem stellas conversæ dicuntur; et adhuc pronæ videntur ad fletum. Verbum ὕω Græcis est *pluo* : hinc Hyas.

Quo non arbiter Adriæ
Major, tollere seu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum,
Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turgidum, et
Infames scopulos Acroceraunia?
Nequicquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiæ
Non tangenda rates transiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.
Audax Iapeti genus

das procellosas, nec furorem Noti, qui præ cæteris ventis Adriatico mari velut imperat, in eoque fluctus vel deprimit, vel attollit, arbitratu suo. Quodnam genus mortis perhorruit, qui marina monstra, qui æquor æstuans et intumescens, qui Acroceraunia, illos infames Naufragiis scopulos, sine metu lacrymisque conspexit? Frustrà Dei providentia terras secrevit ac disjunxit ab Oceano, qui nulla cum iis societate, nullo commercio jungi debuit; si nihilo secius homines, contra Numinis placitum, naves provehunt ultra littus, quod ab iis tangi et superari nunquam oportebat. Nempe mortales ad omnia audenda et ferenda præcipites, et nulla pœna deterriti

15. *Adriæ.* Est Adria sinus ingens maris Mediterranei, *Le Golfe de Venise*; ita dictus olim ab oppido Atria, sive Adria, nunc ditionis Venetæ. Plin. Libri III. c. 16.

17. *Gradum.* Potest etiam exponi: Quem mortis impetum et incursionem timuit? aut etiam, vicinitatem: morti enim sunt, ut ita dicam, proximi, qui navigant, et à morte separari unâ tabulâ vulgò dicuntur.

20. *Acroceraunia.* Epiri montes altissimi sunt, qui sæpè idcircò fulmine feriuntur, à voce ἄκρος, *summus*, et κεραυνὸς, *fulmen.*

21. *Dissociabili.* Qui sociari non debuit, commercio, navigatione, etc. quem disjungi meritò à terris oportebat.

23. *Impiæ.* Quæ Dei sanctissimam legem et ordinem ab eo rebus præstitutum contemnunt.

24. *Vada.* Vadum propriè pars ea littoris est, quæ periculi nihil habet, eo quòd aqua ibi parum alta sit, et per eam vadere, pedibus eam trajicere, impunè liceat.

27. *Iapeti genus.* Prometheus, filius Iapeti: qui cùm beneficio Minervæ sublatus in cœlum, astra omnia cœlesti videret igne animata, tædam

Ignem fraude malâ gentibus intulit :
Post ignem æthereâ domo
Subductum, macies et nova febrium
Terris incubuit cohors ;
Semotique priùs tarda necessitas
Lethi corripuit gradum.
Expertus vacuum Dædalus aëra,
Pennis non homini datis :
Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus arduum est :
Cœlum ipsum petimus stultitiâ, neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.

à maleficio, nituntur in vetitum. Ita Prometheus Iapeti filius, ausus est ignem dolo malo in orbem deferre. Postquam autem ignis furto sublatus è cœlo est, macies et insueta febrium agmina impetum in terras fecerunt. Mors, quamvis necessaria, tamen olim remotior ac lentior, acceleravit. Dædalus pennis quas homini natura non concessit, assumptis, insuetum iter per vacuum aërem invenit. Hercules laboriosus inferorum claustra et obices perfregit. Nihil difficile mortalibus est : cœlum ipsum attentamus, quæ nostra est dementia : neque Jovem, nostris meritò sceleribus iratum, ultricia fulmina deponere sinimus.

admovit solis currui, et ignem cœlestem terris intulit, eoque luteam hominis statuam à se confectam animavit. Hoc indignè ferens Jupiter, Pandoræ uxori Epimethei (Promethei frater is erat) pyxidem dedit ad virum perferendam, refertam morbis omnibus, et pestibus. Quam cùm ille aperuisset, morbi et omnia calamitatum genera orbem invaserunt. Ipse Prometheus in Caucaso religatus est, ubi Aquila ejus jecur, in pœnas fœcundum et semper renascens, assiduè depascitur.

34. *Dædalus.* Insignis faber, qui labyrinthum in Cretâ ædificavit : in eoque posteà inclusus evolavit alis cerâ compactis.

36. *Acheronta.* Acheron unus est è fluviis inferorum, dictus quasi ἄχος ῥόος doloris fluentum.

Herculeus labor. Hercules filius Alcmenæ et Jovis, multis et gravibus laboribus, odio Junonis, objectus est. Jussus inferos adire, Cerberum indidem extraxit. Virgil. VI. Æneid.

38. *Cœlum petimus.* Ita Gigantes invadere cœlum conati sunt.

Ode IV.

Sestium, descriptâ recentis veris hilaritate, hortatur ad genio paulisper indulgendum.

Solvitur acris hyems gratâ vice veris et Favonî,
Trahuntque siccas machinæ carinas :
Ac neque jam stabulis gaudet pecus, aut arator igni,
Nec prata canis albicant pruinis.
Jam Cytherea choros ducit Venus, imminente lunâ;
Junctæque Nymphis Gratiæ decentes
Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.
Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrtô,
Aut flore, terræ quem ferunt solutæ.

Hyems aspera, subeunte in locum ejus vere, ac redeuntibus Zephiris, se remittit laxatque : naves in siccum littus antea subductæ, jam vectibus ac rudentibus in mare protrahuntur : greges non amant ampliùs contineri stabulis, aut agricolæ ad ignem considere ; agrosque candidæ pruinæ non integunt. Jam Venus ad lunam sub dio choreas agit, ac sociatæ Nymphis Gratiæ decoræ, motis in numerum pedibus pulsant humum ; interim dum in Cyclopum officinis Vulcanus fornaces igne multo succendit. Nunc decet capiti unguentis delibuto confectas è myrto coronas imponere, aut è floribus,

1. *Vice.* Vicissitudine : consueto reditu.

Favoni. Favonius, idem qui Zephyrus, ab Occidente spirat, estque ventus calidior, et amicus veris.

5. *Cytherea.* Cythera, *Cerigo*, insula est Græciæ inter Cretam et Peloponnesum, cui adjacet ad meridiem. Ibi Venus colebatur, atque inde Cytherea nuncupatur.

Imminente. Impendente, supra caput lucente.

6. *Gratiæ.* Tres numerantur, et vulgò Charites Græcâ voce appellantur : Aglaïa, Euphrosine, et Thalia.

7. *Alterno.* Modò pede hoc, modò illo ; ut fit à saltantibus.

Cyclopum. Erant ministri Vulcani. Lege Virgilium, Lib. VIII. Nomen habent à gemina voce Græcâ, κύκλος, *orbis*, *circulus* ; et ὤψ, *vultus* ; quia unicum oculum, eumque in fronte mediâ gerebant. Eorum officinas collocant poëtæ in insulis Liparæis, prope Siciliam.

Graves. Laboriosas, æstuosas.

Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
Seu poscat agnam, sive malit hœdo.
Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres, ô beate Sesti.
Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam.
Jam te premet nox, fabulæque Manes,
Et domus exilis Plutonia; quò simul meâris,
Non regna vini sortiere talis.

quos humus mollito sinu profert. Nunc in sacrâ sylvarum umbrâ Fauno sacrificia decet facere, sive agnam, sive hædum ille malit. Mors turida pauperum casas ac superbas regum domos pari impetu proruit; ô Sesti, opibus honoribusque pollens. Brevibus admodùm limitibus vita circumscribitur; quid attinet agitare et ordiri consilia longioris operæ ac laboris, et spes diuturnas alere? Brevi mors atra incautum te sibi vindicabit, ac Manes fabulosi: vises angustam Ditis domum, quam simul atque inieris, non institues convivia, in quibus rex vini et cœnæ felici talorum jactu renuncieris.

11. *Fauno.* Ruris Deo. Idem ac Pan à quibusdam esse statuitur.

Lucis. Lucus est sylva sacra: lucum autem dictum volunt ab obscuritate, quòd in eo minimùm luceat.

13. *Æquo.* Æquali. Æquè liberè pulsat divitum fores, atque pauperum: æquè penetrat in munitissimas regum domos, atque in rusticorum casas. Qui clausam domum ingredi cupiunt, fores calcibus interdum pulsant; præsertim si protervi audacesque sunt.

14. *Sesti.* Sestius, Bruti partes in bello civili amplexus fuerat: illum ut demereretur Augustus, Consulem sibi substituit, anno U. C. 731. quo hæc videtur Ode scripta.

15. *Summa.* Spatium integrum, numerus annorum.

16. *Fabulæque Manes.* Animæ mortuorum, vel ipsi inferorum Dii, de quibus sicut de Erebo, Campis Elysiis, etc. multæ apud poëtas fabulæ, sive commenta: vel etiam, multus sermo, nam latinis *fabula*, itemque Græcis μῦθος, nonnumquam sermonem etiam minimè fictum significat.

17. *Mearis.* Meaveris, transieris.

18. *Regna vini.* Solebant Romani, cùm agitarent convivia, unum è convivis cœnæ totius quasi moderatorem et arbitrum creare, idque sorte, ac jactis talis.

Talis. Talus, *un osselet;* ita vocatur, quia formam habet ossiculi oblongi, quod in talo animalium est. Affinis est talo tessera, *un dé*, quæ est cubus ab omni parte quadratus: itaque sex facies habet æquales, quibus possit insistere: talus verò quatuor duntaxat.

ODE V.

ODE V.

Agrippæ laudes à se pro dignitate celebrari posse negat.

SCRIBERIS Vario fortis, et hostium
Victor, Mæonii carminis aliti,
Quam rem cumque ferox navibus, aut equis
    Miles, te duce, gesserit.
Nos, Agrippa, neque hæc dicere, nec gravem

VArius, Homero pœne par vates, et heroïci carminis nunc quidem facilè princeps, tuam fortitudinem et reportatas de hostibus victorias celebrabit, resque à nostris militibus, duce te, sive terrâ, sive mari, preclarè gestas. Egò, Agrippa, tenuitatis meæ conscius, hæc tua facinora canere

1. *Vario.* Fuit Varius poëta insignis eâ tempestate, Augusto carus, Virgilii et Horatii amicus. Laudatur ab eodem Horatio Satirâ ultimâ libri primi Sermonum, ob eximiam condendi carminis Epici facultatem et scientiam, quo in genere carminis cùm primas Homerus tulerit, eumque tam egregiè Varius imitaretur, eam ob rem hoc in loco appellatur ales Mæonii, id est, Homerici, sive heroïci carminis.

2. *Hostium victor.* Agrippa, vir insigni prudentiâ, et rei bellicæ laude clarus fuit, Augusto imprimis gratiosus, qui ejus consiliis et fortitudine plurimùm usus est in vincendo Sexto Pompeio, Magni filio, anno U. C. 718. Præfectus universæ tum classi Agrippa, post victoriam rostratâ coronâ donatus est. Victus, eodem adjuvante, annis post quinque, Antonius ad Actium.

Aliti. Est in dandi casu, Vario aliti, pro scriberis à Vario alite carminis Mæonii. Poëtæ vocantur alites si è Cycni, quorum videlicet canendo suavitatem imitantur, legitur vulgò, *alite*; Mæonii carminis alite. Dicunt Latini, malâ alite, bonâ alite; pro felici casu, infelici fato: si hanc lectionem probas, explica: Pari, atque Homerus, omine ac felicitate.

Mæonii. Sic vocatus est Homerus, vel à patre Mæone, vel à patriâ Lydiâ, quæ Mæonia quoque dicta est.

3. *Quam rem cumque.* Pro quamcumque rem. Hæc syntaxeos figura vocatur Τμῆσις *Tmesis*, id est, sectio: quia vocabulum in duas partes scinditur.

6. *Pelidæ.* Achillis, qui Pelei filius.

Pelidæ stomachum cedere nescii,
Nec cursus duplicis per mare Ulyssei,
Nec sævam Pelopis domum,
Conamur, tenues grandia : dum pudor,
Imbellisque lyræ Musa potens vetat
Laudes egregii Cæsaris, et tuas,
Culpâ deterere ingeni.
Quis Martem tunicâ tectum adamantinâ
Dignè scripserit? aut pulvere Troïco
Nigrum Merionem? aut ope Palladis
Tydiden Superis parem?

non magis ausim, quam exitialem iram Achillis Agamemnoni cedere negantis, aut varias Ulyssis vafri navigationes, aut Pelopem ejusque familiam domesticæ crudelitatis famâ laborantem. Puderet me scilicet, neque id Musa, imbellis meæ lyræ præses atque arbitra, sineret Cæsaris Augusti, ac tuas laudes ingenii mei tenuitate vitioque corrumpere. Non cujusvis est Martem adamantinâ indutum tunicâ, vel Merionem collecto ad Trojam pulvere sordidum, vel Diomedem, Minervâ ipsi opem ferente, non inferiorem ipsis Superis, pro dignitate canere.

Cedere, *etc.* Belli Trojani modus ingens, ac mora, Homero teste, Achilles fuit, dum se abstineret à pugnâ, iratus nimirum Agamemnoni, à quo præreptam sibi Briseïdem puellam querebatur. Neque verò ullis precibus, aut suorum cladibus adduci potuit ut cum ipso rediret in gratiam, bellumque repeteret, donec tandem carissimum sibi Patroclum ab Hectore interfectum cernens, arma induit ulciscendi amici studio, et bellum, cæso Hectore, confecit.

5. *Cursus.* Currere pro navigare, latina locutio est. Errores Ulyssis toto poëmate Homerus persequitur, quam Odysseam appellavit : quasi diceres Ulysseiam, Ὀδυσσεὺς enim Græcis est *Ulysses*.

Duplicis. Dolosi; aliud dicentis, aliud sentientis.

Ulyssei. A recto casu Ulysseus.

8. *Pelopis.* Pelops rex Peloponnesi, Tantali filius. Atrei et Thyestæ pater fuit. Tantalus Pelopem interfecit : Atreus Thyestis fratris sui filios necatos, patri epulandos apposuit. Ægystus Thyestis filius Atreum ejusque filium Agamemnonem sustulit : Orestes Agamemnonis filius matrem Clytemnestram occidit, etc.

13. *Adamantinâ.* Durâ, solidâ, nitidâ, instar adamantis.

15. *Merionem.* Meriones ex insulâ Cretâ venit ad bellum Trojanum cum Idomeneo, cujus auriga erat, ac Marti ipsi, ut Homerus testatur, fortitudine par.

Tydiden. Sic vocatur Diome-

des, Ætoliæ in Græciâ rex, Tydei filius: post Achillem et Ajacem fortissimus Græcorum, à quo Mars ipse vulneratus est. Confecto bello Trojano, in Apuliam, uxoris libidinosæ odio, se recepit, ibique urbem Arpos condidit. Virgil. XI. Æneid. vers. 243.

ODE VI.

Tiburtinum agrum laudat. Plancum consolatur, præsertim exemplo Teucri.

LAUDABUNT alii claram Rhodon, aut Mitylenem;
Aut Ephesum, bimarisve Corinthi
Mœnia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Insignes, aut Thessala Tempe.
Sunt quibus unum opus est, intactæ Palladis urbem
Carmine perpetuo celebrare, et

LAudent alii, per me licet, nobilem Rhodum, Mitylenem, Ephesum, aut Corinthum gemino mari cinctam: aut Thebas, Bacchi natalibus; aut Delphos Apollinis oraculo celebres; aut Tempe, amœnissimum Thessaliæ locum. Sunt qui in hoc uno elaborant, ut Athenas Minervæ sacram urbem usque canant, et undique oleam colligant, ex quâ

1. *Rhodon.* Rhodus, *Rhodes*, est insula maris mediterranei, è regione Ciliciæ: olim Soli sacra; amœnissimo situ, portu amplissimo, in quo visebatur Solis ingens statua, quem Colossum vocarunt.

Mitylenem. Mitylene, *Metelin*, est urbs primaria insulæ Lesbi, in mari Ægeo.

2. *Ephesum.* Ephesus, *Ephese*, est in Ioniâ regione Asiæ minoris: ampla civitas olim, et Ephesinæ Dianæ templo inclyta.

Corinthi. Est Corinthus, urbs Græciæ, in isthmi illius, quo Peloponnesus cum reliquâ Græciâ quasi committitur, faucibus sita: hinc mare Ægeum, inde Ionium prospiciens, unde bimaris dicitur. Nunc appellatur *Coranto*.

3. *Thebas.* Thebæ, nunc *Stives*, urbs Bœotiæ in Græciâ, Pindari, Bacchi, etc. patria.

Delphos. Delphi, nunc *Delpho*, urbs ejusdem Græciæ, in Achaïâ, prope Parnassum. In eâ visebatur templum celebre Apollinis.

4. *Tempe.* Sunt valles quædam Thessaliæ in Græciâ, longè amœnissimæ, ad Peneum amnem. Est ea vox neutrius generis et pluralis numeri.

Undique decerptam fronti præponere olivam.
　Plurimus in Junonis honorem,
Aptum dicit equis Argos, ditesque Mycenas.
　Me nec tam patiens Lacedemon,
Nec tam Larissæ percussit campus opimæ,
　Quàm domus Albuneæ resonantis,
Et præceps Anio, et Tiburni lucus, et uda
　Mobilibus pomaria rivis.
Albus ut obscuro deterget nubila cœlo
　Sæpè Notus, neque parturit imbres
Perpetuos : sic tu sapiens finire memento

coronam suo imponant capiti. Non pauci, ut ab Junone gratiam ineant, Argos prædicant ac Mycenas. Ego neque Lacedemone, quam commendat civium patientia; neque fertilibus Larissæ campis, æquè capior, atque villâ propè Albuneam positâ, et limpidis quibus abundat fontibus, atque Anione ac Tibure, vicinisque nemoribus et pomariis, quæ rivis huc illuc errantibus irrigantur. Quemadmodum Notus sæpè nubes, quibus obscuratur aër, dimovet, ac serenitatem refert, neque pluvias

7. *Olivam.* Ferunt Minervam cum Neptuno contendisse, uter Athenis nomen imponeret : ita inter eos convenisse, ut is vinceret qui utilius humano generi munus edidisset. Neptunus terram tridente percutiens equum produxit : Pallas oleam, et vicit. Hinc illi olea sacra.

9. *Argos.* Hoc Argos, in numero singulari, hi Argi, in plurali ; urbs Peloponnesi ; *Argo.* Item Mycenæ, nunc *Argios, Adrianos.* Nec non Lacedæmon, sive Sparta, quæ nunc oppidulum est, vulgò dictum *Misitra.* In eâ urbe pueri à parentibus ad laborem ferendum erudiebantur, plagis impositis, inediâ, etc.

11. *Larissæ.* Civitas erat Thessaliæ, Achillis patria : nunc appellatur *Larizza*, vel *Larsa.*

12. *Albuneæ.* Albunea, sive Albula, est fons aquas salubres effundens, prope Tibur, in Italiâ : vocatur nunc, *Bagni di Tivoli.*

Domus. Spelunca unde fons oritur : aut vicina villa.

13. *Anio.* Fluvius Italiæ, Tiburtinum irrigans agrum, et in Tiberim undas suas deferens : ab indigenis *Teverone* dictus.

Tiburni. Tiburnus, vel Tiburtus, homo Græcus, cum Catillo et Corâ fratribus suis venit in Italiam, et Tibur, (*Tivoli*) condidit. Ab ejus nomine appellabatur sylva sacra, non procul Tybure.

15. *Deterget.* Sic antiqui codices habent, Lambino teste : à verbo detergeo : dicitur etiam detergo.

Tristitiam, vitæque labores
Molli, Plance, mero; seu te fulgentia signis
Castra tenent, seu densa tenebit
Tiburis umbra tui. Teucer Salamina, patremque
Cùm fugeret, tamen uda Lyæo
Tempora populeâ fertur vinxisse coronâ,
Sic tristes affatus amicos:
Quò nos cumque feret melior Fortuna parente,
Ibimus, ô socii, comitesque;

perpetuò effundit; ita tu, Plance, pro tuâ sapientiâ, modum vitæ laboribus ac ærumnis impone, easque dulci vino dilue. Sive in castris versère, et inter arma degas; sive in opaco Tiburtinæ tuæ villæ nemore. Teucer, cùm se, patris metu, mandaret fugæ, ac Salaminem desereret, nihilominùs mero indulsisse largiùs, ac populeam capiti coronam illigasse perhibetur; sodalesque mœrore confectos ad eum allocutus modum esse; Quemcumque in locum nos deportabit Fortuna æquior mihi et amicior patre, læti libentesque pergemus, ô socii et comites fidelissimi. Duce me, auspice me, nihil est quod perfici posse desperetis. Fuit hoc nobis Apollinis oraculo certissimo

19. *Plance.* Secutus fuerat Plancus Antonium, hostem Cæsaris Augusti: ab eo deinde ad Augustum rediit, à quo cùm negligeretur et à rebus gerendis amoveretur, in villam suam Tiburtinam se recepit, ibique versantem Horatius consolatur.

21. *Teucer.* Ajacis frater, cujus mortem quia ultus non erat, vel quia patri in suspicionem de fratris morte venerat, eum Telamon pater, Trojâ eversâ, redeuntem in patriam Salaminem (Insula est Græciæ contra Atticam in Sinu Saronico urbem habens cognominem) ingressu prohibuit. Teucer profugus in Cyprum contendit, ubi novam urbem condidit quam Salaminem quoque appellavit.

22. *Lyæo.* Bacchus vocatur Lyæus à verbo Græco λύω, *solvo*, quia curas et ærumnas discutit.

23. *Populeâ.* In epulis coronas adhibebant, ex arbore populo, (*peuplier*) quæ Baccho erat sacra. Herculi eadem addicta erat; is enim ex inferis detulisse ad superos primus ferebatur, cùm indè Cerberum extraheret. Itaque victores, aut qui rem quampiam periculosam aggrediebantur, imponebant capiti coronas è populo, quasi ad invocandum Herculem.

25. *Melior Fortuna parente.* Mihi amicior et æquior quàm ipse pater: is enim domo et patriâ nos expulit: illa in Cyprum deducet, urbi urbem et regnum condemus.

Nil desperandum Teucro duce, et auspice Teucro.
Certus enim promisit Apollo
Ambiguam tellure novâ Salamina futuram.
O fortes, pejoraque passi
Mecum sæpè viri, nunc vino pellite curas:
Cras ingens iterabimus æquor.

promissum, fore ut in regione nova condatur aliquando altera Salamine, cujus eadem ac prioris appellatio, ambiguum faciet, de utrâ loquantur posteri cùm Salaminem appellabunt. Nunc vobis veniat in mentem pristinæ fortitudinis, necnon periculorum et malorum, quæ graviora sæpè mecum pertulistis: jam ærumnas vino mergite, cras iterum conscendemus, et navigationem repetemus.

27. *Auspice.* Auspex apud Romanos erat ille, qui sumebat auspicia; vel cujus nomine, ductu, auctoritate, aliquid gerebatur. Erant autem auspicia, signa quædam divinæ voluntatis, ut quidem putabant Ethnici, et præsagia futurorum, sumpta ex avium cantu, pastu, ac precipuè volatu.

29. *Ambiguam.* Potest etiam sic exponi: Quæ cùm veteri de gloriâ et nobilitate certabit.

ODE VII.

Lydiam increpat, quòd Sybarim amore malo implicatum ab honestis exercitationibus avocet.

LYDIA dic, per omnes
Te Deos oro, Sybarin cur properes amando
Perdere? cur apricum
Oderit campum, patiens pulveris, atque solis?
Cur neque militaris
Inter æquales equitet, Gallica nec lupatis

O Lydia, oro te per quicquid est Deorum, dic mihi quid sit cur Sybarin amore tuo implicatum, in exitium pertrahere, festines? Cur, cùm per ætatem et vires pulverem pati et

3. *Apricum.* Locus apricus vocatur qui soli est expositus, qui est patens, sub dio.

6. *Gallica ora.* Equi è Galliis advecti erant præcipuo in pretio.
Lupatis. Lupatum frænum;

Temperet ora frænis?
Cur timet flavum Tiberim tangere? cur olivum
Sanguine viperino
Cautiùs vitat; neque jam livida gestat armis
Brachia, sæpè disco,
Sæpè trans finem jaculo nobilis expedito?
Quid latet, ut marinæ
Filium dicunt Thetidis, sub lacrymosa Trojæ

solem possit, exercitationes tamen ab juvenibus usurpari solitas in campi Martii apertâ planitie, fugiat? Cur militarem in modum non hæreat in æquo, inter sodales ejusdem secum ætatis, neque Gallicum quadrupedem asperiore fræno domet? Quare natationem in Tiberi aversatur? quare oleum, quo qui luctantur, inungunt corpora, diligentiùs quàm viperarum cruorem fugit? Nec jam Lacertos præfert tritos ac liventes tractando disco, aut jaculo ultra certas metas torquendo, cùm toties in ejusmodi armis usurpandis gestandisque virium suarum et industriæ laudabile specimen ediderit? Quorsum domi delitescit, quemadmodum latitasse perhibent Achil-

sive unicâ voce, lupatum, (*un mords fort rude*) est frænum instructum quibusdam asperis, instar dentium lupinorum, aculeis, quibus lingua et os equi graviùs pungitur.

8. *Flavum.* Pulchrum, vel flavas arenas volventem.

Olivum. Athletæ ut haberent artus ac lacertos magis tractabiles, et habiles ad pugnam; aut etiam ut adversariis prensantibus elaberentur faciliùs, oleo ungebantur cum cerâ mixto: quod unguenti genus ceroma vocitabant, à voce κηρὸς, cera, κήρωμα.

10. *Livida.* Color lividus, est subniger, qualis est vulneris recèns inflicti, non tamen hiantis et rupti.

Armis. Sic vocantur instrumenta cujuslibet exercitationis, ludi, artis.

11. *Disco.* Est discus, *un disque, un palet*, massa ferrea vel lapidea, plana et rotunda, quæ projiciebatur à lusoribus ad certum usque finem et metam. Eam ad rem utebantur sæpè aliquo amento, id est, loro, quod circa brachium illigabant, unde livor; eo loro discus involvebatur, ac tanquam è fundâ, longiùs ac validiùs jaciebatur, manu in orbem rotatâ.

12. *Nobilis.* Spectandus, inclytus. Possunt etiam exponi voces istæ, *cur non livida gestat armis brachia?* de armis bellicis, clypeo, arcu, etc. Quare non tractat arma, qui tam facilè discum et jaculum torquet?

14. *Filium Thetidis.* Thetis cognoverat in fatis esse, ut filius suus Achilles periret, si

Funera, ne virilis
Cultus in cædem, et Lycias proriperet catervas?

lem fœmineâ tectum veste, paulò ante Trojanum exidium, ne proficisci ad bellum cogeretur, ubi medias inter cædes contra Lycios depugnaret?

Trojano bello interesset. Eâ re illum fœmineo cultu indutum clam ad Lycomedem, Regem insulæ Scyri, misit, ubi delitesceret inter nobiles puellas. Ea fraus Ulyssi cùm suboluisset, venit ad Lycomedem more ac modo institoris et in risco, cæteras inter merces puellis idoneas, ensem occultavit, quem Achilles, neglectis muliebribus crepundiis, cupidè arripiens, detectus est, et ad bellum pertractus. Vide Ovid. XIII. Metamorph. initio.

16. *Lycias.* Lycia est regio minoris Asiæ; cujus populi opem tulere Trojanis contra Achillem et Græcos. Lyciorum præcipui duces erant Sarpedon et Glaucus.

Ode VIII.

Hortatur ad Hiemem hilarè transigendam.

Vides ut altâ stet nive candidum
Soracte; nec jam sustineant onus
Sylvæ laborantes; geluque
Flumina constiterint acuto?
Dissolve frigus, ligna super foco

ASpicis ut Soracte totum candidis nivibus refertum sit, ut arbores in sylvis nive onustæ pœne rumpantur, ut fluvii glacie præpediti cursum inhibuerint. Frigus depelle, injectis prolixè in caminum lignis, ô Thaliarche, ac vinum à qua-

1. *Stet.* Sic Virgil. dixit: *stant lumina flamma.* Virgil. 6. Æneid. *vers.* 300.

2. *Soracte.* Mons est Romæ vicinus, in quo S. Sylvester summus Pontifex, sæviente in Christianos Ethnicorum furore delituit, unde nunc etiam appellatur *Monte* di *san Sylvestro.*

5. *Dissolve.* Frigus omnia veluti contrahit constringitque: itaque laxari et dissolvi dicitur, cùm pellitur et mitigatur.

Largè reponens; atque benigniùs
 Deprome quadrimum Sabinâ,
  O Thaliarche, merum diotâ.
Permitte Divis cætera; qui simul
Stravere ventos æquore fervido
 Deprælianles, nec cupressi,
  Nec veteres agitantur orni.
Quid sit futurum cras, fuge quærere; et
Quem fors dierum cumque dabit, lucro
 Appone: nec dulces Camœnas
  Sperne puer, neque tu choreas,
Donec virenti canities abest
Morosa: nunc et campus, et areæ,
 Lenesque sub noctem susurri,
  Composita repetantur horâ.

tuor annis conditum largiùs solito profer ex amphord. Hoc unum tu modò cura, alia negotia relinque Superis, qui simul atque composuere prælia ventorum in perturbato mari decertantium, quiescunt in sylvis orni cupressique. Noli esse sollicitus quid crastinâ die sit eventurum, et quemcumque diem tibi Fortuna largiatur, eo utere tanquam lucro certo; neque studia litterarum, aut chorearum oblectamenta quæ tuam ætatem decent aspernare. Dum floret juventus, ac senectus tristis procul est, nunc, inquam, operam exercitationibus Campi Martii; revise identidem forum ac plateas, et tempore constituto, paulo ante noctem, cum amicis confabulationes frequenta.

7. *Sabinâ.* Sabini Italiæ Populi. Apud eos vasa fictilia egregia fiebant. Quadrimum vinum, *un vin de quatre feuilles.*

8. *Diota.* Vas utrinque ansatum, et quasi auritum διώτη, à voce Græca, οὖς ὠτὸς, *auris*; et δὶς, bis.

15. *Appone lucro.* Perscribe quasi in rationum libro, in quem referuntur lucra accepta. Adde ad certum lucrum.

17. *Virenti.* Sano, valenti, juvenilem et viridem ætatem agenti.

18. *Campus.* Martius.

Areæ. Loci aprici et patentes, ubi luditur, etc.

Ode IX.

Mercurium laudat.

Mercuri, facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentùm
Voce formasti catus, et decoræ
More palestræ :
Te canam magni Jovis, et Deorum
Nuntium, curvæque lyræ parentem;
Callidum quiquid placuit jocoso
Condere furto.
Te, boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci

O Mercuri, eloquens nepos Atlantis, qui homines recens procreatos et ferarum more viventes excoluisti arte dicendi, pro tuâ sapientiâ, et palestræ exercitationibus assuefecisti : prædicabo te Jovis ac Deorum internuntium, et lyræ inventorem, tuamque in rebus lepido subducendis furto et abscondendis, calliditatem. Ita cum Apollinis vaccas olim dolo abduxisses adhuc puer, idem Apollo multa comminatus, nisi eas ipsi restitueres, demum risit cùm sibi ademptam quoque à te pharetram animadvertit. Quid quòd Priamus Trojâ

1. *Mercuri.* Mercurius Jove et Maiâ Atlantis filiâ genitus, oratoribus ac poëtis, furibus, mercatoribus præerat.

Atlantis. Atlas, avus Mercurii, Mauritaniæ rex fuisse dicitur, astrologiæ deditissimus; quam ob causam cœlum humeris sustinuisse perhibetur.

3. *Catus.* Antiqua vox; id est, solers, acutus, sagax.

4. *More.* Instituendo palæstram, ejus morem et consuetudinem afferendo.

Palestræ. Ea vox significat luctationem, et quamlibet corporis exercitationem; vel etiam locum ubi peragitur. *La lutte, les exercices du corps.* Decoram vocat, quia corpus maximè format, ac decenti motu habile venustumque solet reddere.

7. *Jocoso furto.* Quo non lucrum, sed risus captatur.

9. *Boves.* Apollo, susceptâ cum Jove rixâ, cœlo pulsus operam suam pascendis bobus, Admeto Regi Thessaliæ locavit.

Voce dum terret, viduus pharetrâ
Risit Apollo.
Quin et Atridas, duce te, superbos
Ilio dives Priamus relicto,
Thessalosque ignes, et iniqua Trojæ
Castra fefellit.
Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgâque levem coërçes
Aureâ turbam, superis Deorum
Gratus et imis.

egressus, in Græcorum castra Trojanis infensa, te ducente clam, nullo visus pervenit, atque Menelaum, et Agamemnonem Atrei filios rebus secundis feroces placavit. Tu piorum animos deducis in regionem amœnissimam, et umbrarum volitantium gregem aureâ virgâ in unum compellis, Diis cœlestibus æque ac infernis, acceptissimus.

13. *Atridas.* Atrei filios, Agamemnonem et Menelaum.

14. *Dives.* Currum agens onustum auro et muneribus.

Priamus, etc. Achilles Hectoris à se interfecti cadaver circa Trojanos muros ter raptatum penes se habebat. Illud redempturus Priamus Trojâ egressus est, ac beneficio Mercurii, sopitis Græcorum excubiis, in Achillis tentorium pervenit nemine prohibente, ab eoque filii corpus recepit. Homer. Iliad. Ω.

15. *Thessalos.* Græcos. Pars pro toto : Thessalia enim pars est Græciæ.

Ignes. Solent excubitores, cùm pervigilant, ignem excitare in stationibus.

17. *Lætis sedibus.* Campis Elysiis, quæ inferorum regio est piis addicta. Vide Virgil. Lib. VI. versu 640. et seqq.

18. *Levem turbam.* Animas mole corporis exutas : sive potiùs, simulacra et meras imagines.

19. *Virgâ aureâ.* Hæc vulgò Caduceus vocatur. Bacillus est, quem hinc et inde amplectuntur angues duo, commissis et interjectis in summâ bacilli parte capitibus, caudis in imâ ; cætero corpore in hemicyclum circa bacillum utrinque circumfuso. Aiunt Mercurium cùm virgam tenens manu iret per Arcadiam, invenisse duos serpentes inter se colligatos ac depugnantes, virgâque interpositâ, statim pugnam diremisse. Eam ob rem Caduceus pacis fœderisque symbolum est, et Oratores ac Legati de pace missi, Caduceatores vocantur.

Ode X.

Leuconoën de vitæ brevitate admonet.

Tu ne quæsieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi
Finem Dî dederint, Leuconoë; nec Babylonios
Tentâris numeros, ut meliùs, quidquid erit, pati,
Seu plures hyemes, seu tribuit Jupiter ultimam,
Quæ nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum. Sapias, vina liques; et spatio brevi

O Leuconoë, noli scrutari (neque enim hoc rescire licet) quos vitæ meæ vel tuæ limites definierint Superi : neque ad eam rem investigandam, Babyloniorum artem divinandi per certos numeros, adhibeas. Fac ut sapias, et instituas animum ad perferendum quidquid eveniet, tibique persuadeas id multo esse meliùs et consultiùs; sive plures annos tibi ad vivendum Jupiter concedit; sive hunc esse postremum jubet qui modò hybernos fluctus maris Etrusci frangit ad objectas rupes in littore. Autor igitur tibi sum ut vina percoles, utque tecum reputans breve spatium vivendi nobis datum, amputes

2. *Babylonios numeros.* Astrologorum subductiones, *les calculs des Babyloniens; les supputations des Astrologues.* Astrologiæ periti erant Chaldæi. Eâ perperam interdum utebantur ad futuros eventus, qui acti sunt è liberâ voluntate hominis, prædicendos. Porro numeris eâ maximè scientiâ nitebatur : et inesse numeris vim quandam divinam arbitrati sunt Philosophi, præsertim Platonici, et Pytagoræi.

3. *Ut meliùs, etc.* Locutio est Græca : pro, ut melius, quicquid erit, patiaris. Vocula enim, ὡς, ὥςτε, apud Græcos, cum infinitivo jungitur. Ὥςτε ῥᾷον, ὅτιἂν ἔςαι παθεῖν. Quidam conjunctè legunt ista *Ut melius quicquid erit pati... sapias :* et exponunt : Ut melius calleas pati quicquid tibi eveniet. Alii, sic simpliciter explicant, *ut melius pati;* si quidem multò satius est pati.

5. *Pumicibus.* Pumex propriè lapis est multis foraminibus pertusus, aridus, levis et siccus. Hîc usurpatur pro cautibus littori objectis.

6. *Thyrrenum mare.* Alluit partem Italiæ occidentalem : ut sinus Adriaticus, orientalem : appellatur etiam mare inferum. *La mer de Toscane.*

Spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida
Ætas; carpe diem, quàm minimùm credula postero.

spem, quæ futurum tempus quasi longum prospicit. Dum hæc modò tecum loquor, præteriit jam tempus, et vitæ partem aliquam decerpsit, invidit que nobis. Hunc, quem vivis, diem, tanquam florem brevi periturum, decerpe, ac vide ut quàm minimùm spei ponas in crastino eique, tanquam incerto, diffidas.

Liques. Liquare vinum est illud per collum, sive incerniculum et tenue linum, transmittere, ut purgetur ac liquidius fiat : *couler le vin.*

Spatio brevi, etc. Potest exponi simpliciter : angustis limitibus coërce spes tuas, quæ longiùs proferuntur. Vel, cùm sit vitæ spatium adeo breve, etc.

8. *Carpe diem.* Qui vel flores vel lanam carpunt, paulatim carpunt, et summis digitis : ita debent homines præsentis vitæ ac diei deliciis frui, carptim, et obiter.

Ode XI.

A Jovis ac numinum aliquot aliorum, heroumque Romanorum laudibus, ad Cæsaris Augusti præconium delabitur.

Quem virum, aut heroa, lyrâ, vel acri
Tibiâ sumes celebrare Clio?
Quem Deum? cujus recinet jocosa
Nomen imago,
Aut in umbrosis Heliconis oris,

O Clio, cujus viri aut herois laudes, seu lyra, seu tibiâ, canendas deleges? Quem prædicare Deum placet? Quis erit ille cujus nomen echo iterabit, vel in sylvis Heliconis,

1. *Acri.* Cujus sonus acutior.

2. *Clio.* Una Musarum, quæ novem recensentur.

4. *Jocosa imago vocis.* Ita Echonem describit, quæ ludendo quasi et garriendo, voces reflectit ac refert.

5. *Heliconis.* Montis Græciæ in Bæotiâ, qui Musis sacer : nunc vocatur *Helicona*, et Parnasso vicinus. Hinc Musæ Heliconides et Heliconiades vocantur.

Aut super Pindo, gelidove in Hœmo,
Undè vocalem temere insecutæ
          Orphea silvæ,
Arte maternâ rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresque ventos,
Blandum et auritas fidibus canoris
          Ducere quercus.
Quid priùs dicam solitis parentis
Laudibus, qui res hominum ac Deorum,
Qui mare et terras, variisque mundum
          Temperat horis.
Undè nil majus generatur ipso,
Nec viget quidquam simile, aut secundum.
Proximos illi tamen occupavit
          Pallas honores,

vel in Pindo, aut Hœmo, quo ex monte nemora promiscuè secuta sunt canentem Orpheum, eâ quam à matre Calliope didicerat, musicâ, fluvios velocissimos sistentem, ac ventos, ipsasque adeo quercus; perinde ac si fuissent auribus præditæ, blandissimè canendo pertrahentem. Age verò: quis priore loco laudandus sit quàm Jupiter, quem celebrare vulgò solemus, ut hominum parentem ac Deorum? quorum unus gubernat fata, qui terras, maria, omnemque mundum, alternâ tempestatum

6. *Pindo.* Pindus mons Thessaliæ in Græciâ.

Hœmo. Hæmus mons Thraciæ, qui Thessaliam à Thraciâ dividit.

8. *Orphea.* Terminatio est Græca; Latinè, Orpheum diceres. Is musicus et poëta insignis fuit, genere Thrax, Calliopes et Apollinis filius. Tantum canendo valebat, ut saxa et sylvas movere, fluviorum cursum inhibere, etc. diceretur. Ejus lyra in cœlum assumpta, locum in sideribus habet.

11. *Blandum ducere.* Græco more dictum: ut ista, *celer sequi*, *reperire atrox*, *efficax eluere*, etc.

16. *Horis.* Græca vox, ὧρα, non tantùm certam diei partem significat, verùm etiam anni majorem partem unam aliquam ex iis quas tempestates quator appellamus: *les saisons de l'année.*

19. *Proximos.* Nihil est Jovi secundum. Est tamen ei Pallas proxima, licèt longo intervallo. Secundum enim intelligitur id, quod statim sequitur et adhæret: proximum verò, etiam quod longè remotum est, dummodo inter duo disjuncta nihil medium interjectum sit.

20. *Pallas.* Filia Jovis ex ejus, ut fingunt poëtæ, cerebro prognata; belli ac scien-

Præliis audax. Neque te silebo,
Liber, et sævis inimica virgo
Belluis: nec te metuende certâ,
Phœbe, sagittâ.
Dicam et Alciden, puerosque Ledæ,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem: quorum simul alba nautis
Stella refulsit,
Defluit saxis agitatus humor,
Concidunt venti, fugiuntque nubes,
Et minax (sic Dì voluere) ponto,

diversarum vice moderatur et continet: ex quo nihil procreatur ipso majus, nil par aut geminum existit; Pallas tamen proximo illi honore præcipuo colitur. Neque verò illaudatum te ac indictum relinquam, ô Bacche, cujus fortitudo in præliis olim contra Gigantes commissis enituit: nec te, Diana, venatrix virgo, feris infesta: nec te, Apollo, cujus sagittæ non immeritò formidantur, quippe quæ nunquam aberrant. Canam etiam Herculem, et Ledæ filios, Castorem equis in circo agitandis; Pollucem adversariis pugilatu superandis, insignem: quorum sidus candidum et bene ominatum ubi primùm nautæ aspexerunt, fluctus per tempestatem superfusi scopulis, decidunt; ponunt iram venti, fugam dant nubila, et

tiarum Dea: quam Latini Minervam vocant; Græci, verò Palladem, à verbo πάλλειν, *vibrare*, quia vulgò pingebatur cum hastâ, quam veluti vibrare videbatur.

21. *Præliis audax.* Bacchus enim, ut ait alibi, *in prælia trudit inermem.* Huc adde, quòd in prælio à Jove contra Gigantes commisso rem in primis strenuè gessit, laudemque præcipuam est à Jove consecutus his verbis, εὖ υἱὲ, *euge fili;* unde et Baccho nomen inditum, ut *Evous*, *Evius*, etc. diceretur.

22. *Liber.* Appellatur ita Bacchus, quia vinum libertatem affert magnam dicendi quidlibet ac faciendi.

25. *Alciden.* Herculem, ita vocatum ab Alceo ipsius patruo: vel à voce Græca ἀλκὴ, *robur.*

Pueros Ledæ. Castor et Pollux. Ledæ filii, Helenæ fratres; hic Jovem, ille Tyndarum patrem habuit. Ambo in sidera sunt relati, et favere navigantibus dicuntur. Gemini nuncupantur, ac tertium in zodiaco locum tenent.

26. *Pugnis*, Pugnos, et manum interdum cestu (*un ceste*) ac loris plumbo rigentibus, armatam adhibebant pugiles, seque plagis contundebant, dejiciebant humi, etc. *Les combats des Athlètes.*

Unda recumbit.
Romulum post hos priùs, an quietum
Pompilì regnum memorem, an superbos
Tarquinì fasces dubito, an Catonis
Nobile lethum.
Regulum, et Scauros, animæque magnæ

unda insurgens, atque iratæ similis, ipsis jubentibus sternitur, et quiescit. Secundùm Castorem et Pollucem ambigo utrum priorem locum Romulo tribuam, an illi Numam Pompilium placidè in pace regnantem anteponam? an Tarquinium fascibus et cæteris insignibus regiæ majestatis ornatum, an Catonem gloriosâ nece fortiter pereuntem? Quàm libenter grandiore

35. *Fasces.* Erant virgarum seu bacillorum manipuli, revincti loro, *des Faisceaux.* In medio manipulo erat securis, cujus cuspis extabat : hæc significabat potestatem interficiendi, virgæ verò, potestatem leviùs castigandi sontes, pro criminum videlicet gravitate aut levitate. Præibant Consulibus Lictores 12. cum totidem fascibus. Iis olim utebantur Etruriæ reges, à quibus eosdem, ut alia quædam majestatis insignia, sumpsit Tarquinius Priscus, quintus rex Romanorum, de quo potiùs hìc loquì censendus est Horatius, quàm de septimo, sive Tarquinio Superbo : hunc enim sua impietas et crudelitas fecerat indignum qui tot præclaris viris annumeraretur. Porro superbos fasces vocat; quia regum ac postea Consulum majestatem ornabant, et summum in rep. jus indicabant.

Catonis. Duo fuere Catones; ambo probitatis ac severitatis antiquæ laude clari. Alter, Marcus Portius Cato, Censorius cognominatus: alter ejus nepôs, Uticensis dictus, quia Uticæ (quæ est urbs Africæ) sibi violentas manus attulit, ne veniret in manus C. Julii Cæsaris, à quo Senatûs et Pompeii partes, quas secutus erat, videbat esse victas. Is cùm graviter ferro se vulnerasset, impeditus fuit ab amicis, ne repetito vulnere periret, imò vulnus obligari passus est : sed post paulo direptis, quibus obligata erat plaga, fasciis, per illam insertà in alvum manu, viscera sibi et vitam avellit.

37. *Regulum.* M. Attilius Regulus floruit primo bello Punico, atque unus in primis terrestri maritimoque prælio vires Carthaginiensium fregit. Cùm pacem petentibus dare nisi iniquis conditionibus, nollet, et duriores quasdam conditiones proponeret, redintegrato bello, victus ab iisdem est, Xantippo Lacedæmonio duce, et in acie captus cum quindecim Romanorum millibus, occisis triginta millibus, anno Urbis duodequingentesimo, ante Christum 228. Post à Carthaginiensibus Romam mis-

Prodigum Paullum, superante Pœno,
Gratus insigni referam Camœnâ,
Fabriciumque.
Hunc, et incomtis Curium capillis
Utilem bello tulit, et Camillum
Sæva paupertas, et avitus apto

versu canerem Regulum, Scauros et Paulum Æmilium, qui, cùm vi tores Cannensi prælio Carthaginienses videret, animam in apertum discrimen ac mortem projecit! Non omittam Fabricium, quem similiter atque Curium intonsum impexumque, et Camillum, dura pauperies et angusta res domestica, ut erat à majoribus accepta, eduxit ad res magnas fortiter et

sus, ut de permutandis captivis cum Senatu ageret, id ne fieret intercessit, quia è rep. esse minimè judicabat, et Carthaginem sponte, ut promiserat, rediit: ubi, resectis palpebris, illigatus in catastâ quadam, vigilando necatus est.

Scauros. Eorum egregia virtus enituit in administrandâ rep. Celebratur præ cæteris M. Scaurus princeps Senatûs, qui cum à Q. Vario Hispano accusaretur, quòd socios ad arma concitasset, ita causam suam egit: *Q. Varius Hispanus M. Scaurum Senatûs principem arguit socios ad arma concitasse: M. Scaurus princeps Senatûs negat: testis nemo: utri vos Quirites, credere debetis?* Quibus auditis, absolutus est.

38. *Paullum.* L. Æmilius Paullus Consulatum gessit cum C. Terentio Varone, quo anno populus Rom. maximam ab Annibale cladem accepit ad Cannas Apuliæ viculum, commisso per Varonis temeritatem prælio, in quo cæsa Romanorum millia 40. Ipse Paullus Consul, cùm fugâ consulere sibi potuisset, maluit animam pro rep. profundere. Contigit ea clades anno Urbis 538. ante Christum 216. Olympiadis 141. anno 1.

40. *Fabricium.* Consul Romanus fuit eximiæ frugalitatis. Adversùs Pyrrum Epirotarum regem, et Samnites, circa annum U. C. 470. ante Christum 270. gravia bella gessit, eorum armis et muneribus invictus. Virgil. VI. Æneid. *Parvo potentem Fabricium* nominavit.

41. *Curium.* Æqualis Fabricii fuit. Cùm rapas in foco domi torreret, Samnitium Legati magnum auri pondus attulere: quibus ille respondit, M. Curium malle imperare locupletibus, quàm locupletem esse. Pyrrhum acie victum Italiâ expulit.

42. *Camillum.* Ille Romanam rem contra victores Gallos sustinuit. Dictator factus, Veios an. Urb. 358. cepit, Româ Gallos ejecit, ac eosdem postea penitus delevit.

43. *Apto lare.* Domo angusta, quæ fundo exiguo conveniret: minimè superbâ, et magnificâ. Lar, est Deus domesticus, et familiæ proprius, pro ipsâ domo ponitur.

Cum lare fundus.
Crescit occulto, velut arbor, ævo
Fama Marcelli: micat inter omnes
Julium sidus, velut inter ignes
Luna minores.
Gentis humanæ pater atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni
Cæsaris fatis data; tu, secundo
Cæsare, regnes.
Ille, seu Parthos Latio imminentes
Egerit justo domitos triumpho,
Sive subjectos Orientis oris
Seras et Indos;
Te minor latum reget æquus orbem.

præclarè in bello gerendas. Marcelli gloria augessit in dies, instar arboris quæ tacitis et occultis incrementis erigitur sensim et corroboratur. Astrum Julium præ cæteris, non secus ac luna inter stellas, fulget. O Jupiter mortalium pater et custos, tibi fata curam magni Cæsaris demandarunt: hunc in orbe regendo secundum habere ne graveris. Sive ille Parthos Italiam invadere meditantes repulerit, deque illis triumpharit: sive Orientis populos, Seras, Indosque domuerit: tibi tamen ultrò cedet, ac te uno inferior, orbem hunc nostrum

46. *Marcelli.* M. Claudius Marcellus, Gallos Insubres, eorumque ducem Viridomarum superavit, Syracusas bello Punico secundo cepit anno Urbis 542. At quarto post anno, secundis cum Annibale præliis aliquot factis, ejusdem insidiis circumventus, et oppressus est. Alius Marcellus Augusti gener, cùm hæc scriberet Horatius, erat; sed admodum adolescens, et post paulò extinctus, cùm annum ageret ferè vigesimum, anno ab urbe conditâ 731. De quo Virgil. sub finem lib. VI. meminit.

47. *Julium sidus.* Post obitum C. Julii Cæsaris, stella quædam comata conspecta est per noctes septem, et credita ipsius Cæsaris animæ, qui hac specie ad superos evolaret. Virgil. Eclogâ IX. *Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.* Et VIII. Æneid. versu 680. *Patriumque aperitur vertice sidus.*

50. *Magni Cæsaris.* Augusti videlicet, qui Julio Cæsare, aliisque Heroibus major, et dignus, cui custos ac tutor Jupiter à fatis detur.

56. *Seras.* Asiæ populi versûs ortum, prope Sinas. Serum regio ab aliquibus appellatur Tartaria orientalis inter Scythiam, et Sinas.

Tu gravi curru quaties Olympum;
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

æquitate summâ gubernabit, dum tu cœlum obtinebis, in eoque currum tonantem ages, ac infesto fulmine contaminatos improborum flagitiis lucos evertes.

Ode XII.

Romam à bellis civilibus deterret, per allegoriam à navi ductam.

O Navis, referent in mare te novi
Fluctus! ô quid agis? fortiter occupa
Portum: nonne vides, ut
Nudum remigio latus;
Et malus celeri saucius Africo,
Antennæque gemant? ac sine funibus
Vix durare carinæ
Possint imperiosius
Æquor? non tibi sunt integra lintea;

O Navis misera, siccine iterum te committis mari? Quin potiùs invadis portum in eoque te contines? Nonne intueris avulsos ab utroque latere remos, malum vento diffractum, antennas stridentes, et vim procellæ non ferentes, quæ tanta est ut rates nullæ, rudentibus, similiter ac tu, destitutæ

1. *Novi fluctus.* Nova civilis belli consilia, et pericula.

3. *Portum.* Pacem, otium, concordiam, clementiam Augusti, et sapientiam in gubernandâ Repub.

4. *Remigio.* Milites ea vox significat per quos bellum promovetur: ut malus indicat primarios duces, Pompeium, v. g. qui cæsus in Ægypto: Cassium et Brutum C. Julii Cæsaris percussores, qui deleto exercitu, mortem sibi conciverant, commissâ ad Philippos, urbem Macedoniæ, ducibus Octavio et M. Antonio pugnâ, A. U. 712. ante Christum 42.

7. *Carinæ.* Carina propriè est trabs major in imâ navi, quæ toti navigio substernitur. Sæpè sumitur pro ipsâ navi. Pars pro toto.

Non Dî, quos iterum pressa voces malo.
Quamvis Pontica pinus,
Sylvæ filia nobilis,
Jactes et genus, et nomen inutile:
Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit: tu, nisi ventis
Debes ludibrium, cave.
Nuper sollicitum quæ mihi tædium,
Nunc desiderium, curaque non levis,
Interfusa nitentes
Vites æquora Cycladas.

in impotenti pelago consistere queant? Non suppetunt tibi vela integra, quæ in locum lacerorum reponas: non Superi, quos, urgente periculo, rursum inclames. Etsi ex arboribus eximiis sylvarum Ponticarum confecta sis, tuorumque natalium nobilitate glorieris: nihil hæc tamen ad vincendam tempestatem juvant; neque picturata puppis et aureis ornamentis decora, metum trepidantibus nautis eximit. Itaque tibi consule, nisi ventis ludibrio esse velis, ó navis, quæ nuper tantam mihi sollicitudinem attulisti, quam nunc salvam esse etiam atque etiam desidero, moneo te ac obtestor ut æquor frequentibus et scopulosis Cycladibus obsitum fugias.

10. *Non Dî, etc.* Quia iratis et adversis Superis bellum civile renovabitur. Vel, per Deos indicat duces exercituum, et reip. principes, qui omnes ferè cæsi. Singulæ naves habebant Deos quosdam præsides, et quasi tutelares: eratque certus in puppi locus ubi hæc simulacra statuebantur.

11. *Pontica.* Pontus est regio Asiæ, à Ponto rege sic appellata, prope Colchidem ad mare Euxinum. In ea sylvæ ingentes, et arbores navibus fabricandis idoneæ.

14. *Pictis puppibus.* Ornari solebant puppes pictis Deorum imaginibus, monstris marinis extantibus, et mari imminentibus, etc. Hæc ornamenta significant populi Romani, vel ipsius Bruti nobilitatem: istis, inquit, ornamentis milites pugnaciores non fiunt, nec depelluntur pericula, etc.

16. *Debes ludibrium.* Ita loquuntur Græci, ὄφλισκάνειν γελῶτα, risum debere, se ridendum præbere, dignum risu esse. ὀφλειν ἄνοιαν, μωρίαν, esse obnoxium insaniæ: ὄφλειν ὠμότητα, damnari crudelitatis, etc.

17. *Nuper.* Cùm Tribunus militum essem in Bruti exercitu: tunc me reip. afflictæ ac vexatæ magnopere tædebat; nunc eamdem cupio restitutam in integrum. Vide Horatii vitam in limine hujus libelli.

19. *Interfusa, etc.* Ordo

verborum est : devites æquora fusa, id est, porrecta, fluentia, inter Cycladas nitentes. Sunt autem Cyclades, insulæ minores quinquaginta, in mari Ægeo, in orbem sitæ. A voce Græcâ, κύκλος, *orbis, circulus.* Ibi propter angustias fretorum, et promontoria, difficilis admodum est navigatio. Innuit pericula civilis belli.

Nitentes. Insulæ scopulosæ et montibus obsitæ longè lucent, præsertim solis radiis ictæ.

Ode XIII.

Nereus Trojæ excidium prædicit.

Pastor cùm traheret per freta navibus
Idæis Helenam perfidus hospitam;
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera

Cum Paris Helenam, à qua fuerat hospitio exceptus, navibus Trojanis per summam perfidiam abduceret : tunc Nereus cessare ventos, ac, licèt invitos, feriari jussit, ut

1. *Pastor perfidus.* Paris, Priami Trojanorum regis et Hecubæ filius, appellatur hîc Pastor, quia Priamus, cum è somnio uxoris, quæ facem ardentem parere sibi visa fuerat, atque ex hariolorum responsis cognovisset Paridem Trojani excidii causam fore, jusserat eum, ubi primùm in lucem editus foret, exponi feris in sylvâ : sed eumdem mater clam inter pastores in Idâ monte curavit educandum. Ibi ortâ inter Deas, Junonem, Venerem, et Palladem rixâ et contentione de formæ præstantiâ, judex adhibitus, causam Veneri adjudicavit. Aliquot post annis agnitus et receptus à patre in Græciam navigavit, Helenæ uxoris Menelaï, amore captus; quam cùm abduxisset in Phrygiam Græcorum proceres Aulidem, quæ civitas est Bœotiæ maritima, convenerunt, ibique de Trojâ evertendâ, nisi Helena redderetur, conjurarunt. Paris denique Achillem per dolum interfecit, à Pyrrho Achillis filio est occisus.

2. *Idæis.* In Idâ fabricatis. Ida mons Trojæ vicinus. Est et alius ejusdem nominis in Cretâ.

Perfidus. Cùm enim Paris à Menelao fuisset amicè exceptus, uxorem illi suam rapuit.

3. *Ingrato.* Motu enim, murmure, ac tumultu, maximè gaudent venti.

Nereus fata. Malâ ducis avi domum,
Quam multo repetet Græcia milite,
Conjurata tuas rumpere nuptias,
Et regnum Priami vetus.
Eheu! quantus equis, quantus adest viris
Sudor! quanta moves funera Dardanæ
Genti! Jam galeam Pallas, et ægida,
Currusque, et rabiem parat.
Nequicquam, Veneris præsidio ferox,
Pectes cæsariem; grataque fœminis
Imbelli citharâ carmina divides:

occasum Trojæ à fatis definitum prædiceret. O Pari, sinistris ominibus in patriam deducis mulierem, quam à te Græcia, ingenti exercitu conscripto, reposcet, seque solemni jurejurando et fœdere obstringet, ad inauspicatas tuas nuptias dirimendas, et antiquum Priami regnum funditùs evertendum. Eheu! quantùm laboris ac defatigationis in hoc ferali et luctuoso bello equis et viris imminet! quantùm utrisque sudandum erit! quàm diras clades, quàm tristes ruinas Trojanis tuis et funera struis infelix! Jam Pallas concipit furorem bellicum, galeamque, et clypeum adornat. Frustra Veneris ope superbus comam bellè fluentem compones, ac jucundos mulierculis versiculos, modo

5. *Nereus.* Oceani et Thetidis filius, maris præses. Ejus filiæ Nereides, Nymphæ maris: uxor Doris. A Poëtis vocatur Deorum antiquissimus ac veri amantissimus.

Fata. Fatum ab antiquis dicebatur, ordo quidam rerum immutabilis. Vulgò ponitur pro re certò eventurâ, certò prædictâ.

Mala avi. Auspicio sinistro.

10. *Dardanæ genti.* Pro, Dardaniæ. Dardanus, Jovis filius ex Electrâ Atlantis filiâ, urbem Dardanum in Troade condidit: Dardano successit filius Erichthonius: Erichthonio Tros, qui urbem Dardanum, de suo nomine Trojam dixit; Ilus Troïs filius, eamdem Ilium appellavit. Ili filius fuit Laomedon, Priami pater.

11. *Ægida.* Ægis, erat Jovis aut Minervæ (utrique enim propriè tribuitur) lorica, vel clypeus. Facta vox è Græco αἰξ αἰγὸς, *capra*: quia scutum illud intectum erat pelle Amaltheæ capræ, quæ Jovem infantem suo lacte aluerat.

13. *Veneris.* Cujus in gratiam dixit sententiam, et cui aureum illud pomum, à Discordiâ projectum, dederat.

15. *Divides.* Alternis cantitando, et lyram pulsando; Vel, *Divides fœminis*, id est, in circulo fœminarum et cho-

Nequicquam thalamo graves
Hastas et calami spicula Gnossii
Vitabis, strepitumque, et celerem sequi
Ajacem : tamen, heu! serus adulteros
Crines pulvere collines.
Non Laërtiaden, exitium tuæ
Gentis, non Pylium Nestora respicis?

his, modo illis, ad modum lyræ strepitum decantabis : frustra in thalamo abditus, hastas et jacula militum fugies, ac tuum caput bellico tumultui, et Ajaci te strenuè persequenti, subduces : tibi, licèt serò, pereundum erit; lues adulterii pœnam, et illa tua cæsaries pulvere immundo fœdabitur. Non vides Ulyssem qui unus maximè ad exscindendam Trojam va-

ro cantabis, nunc huic, nunc illi accinens.

17. *Calami Gnossii.* Gnossus, sive Gnosus, (*Ginosa*) civitas olim Cretæ (*Candie*) insulæ, è regione maris Ægei. Cretenses porro insignes erant arte jaculandi. Calami, sive arundines, ad conficiendas sagittas, ob levitatem et lævorem adhibentur.

19. *Ajacem.* Duplex apud Græcos Ajax fuit : alter à patre Telamone Telamonius cognominatus, proximam ab Achille fortitudinis laudem obtinuit in Græcorum exercitu. Ortà de armis Achillis, quem Paris interfecerat, controversià, superatus fuit eloquentià Ulyssis, ac repulsæ dolore in furorem actus gladio se confodit : cruor illius in florem hyacinthum est mutatus, ut fusè describit Ovidius XIII. Metam. Ajax alter, ab Oïleo patre dictus est Oïleus, Locrensium rex, insignis pedum celeritate, et animi fortitudine. Captà Trojà, Cassandram Minervæ sacerdotem in ejus templo temeravit : quamobrem Dea irata excitavit tempestatem apud Caphareum Eubœæ promontorium in Græcià, et sacrilegum hominem cum aliis plerisque malè perdidit.

21. *Laërtiaden.* Ulyssem filium Laërtæ, regem Ithacæ et Dulichii insularum. Ejus uxor Penelope, castimoniæ laude floruit : hanc ille ne desereret, cæteris Græcis ad Trojanorum bellum proficiscentibus, insaniam simulavit; sed fraude per Palamedem detectà, pertractus est Trojam, ubi unus maximè adjuvit urbis expugnationem, Achille ad bellum adducto, cæso Rheso, Palladio denique rapto : sine quibus Trojam capi non posse in fatis erat. Post Ilii-occasum, domum rediens variis terrà marique casibus jactatus, tandem in Ithacam pervenit, ac procos qui ejus uxorem et domum obsidebant, interfecit : ipse aliquanto post ab Telegono filio, quem è Circè susceperat, per errorem est interfectus.

22. *Nestora.* Nestor Nelei filius, Pyli rex, senex ad bel-

Urgent impavidi te Salaminius
Teucerque, et Sthenelus sciens
Pugnæ, sive opus est imperitare equis
Non auriga piger. Merionem quoque
Nosces : ecce furit te reperire atrox
Tydides, melior patre;
Quem tu, cervus uti vallis in alterâ
Visum parte lupum graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuæ.
Iracunda diem proferet Ilio,
Matronisque Phrygum, classis Achillei;

lebit? Nestorem non intueris? Hinc te jam premunt Teucer, inde Sthenelus, non minùs peritus pugnæ manu conserendæ, quàm currus bellici agitandi. Intelliges etiam qui vir sit Meriones. En ut te furens investigat, ardetque invenire Diomedes patre suo fortior? quem, præ metu spiritum vix ducens, inerti vitabis fugâ, ut cervus, omisso quod pascebat gramine, fugit lupum in alterâ parte vallis conspectum. At non hoc tamen Helenæ tuæ promiseras, longè alium te illi jactaveras. Achillis ira, suos milites à bello arcentis et navibus eos continentis, erit in causâ, quamobrem excidium Trojæ ac mulierum Phry-

lum Trojanum profectus est, ubi consilio et prudentiâ res Græcorum ita promovit, ut Agamemnon sæpè prædicaret se Trojam brevi tempore expugnare potuisse, si decem Nestores nactus esset. Tres hominum ætates vixisse fertur.

24. *Teucer.* Telamonius à patre Telamone dicitur; Salaminius à patriâ. Ajacis, de quo supra memini, frater. Cùm post excidium Trojæ rediret in patriam Salaminem insulam Ægæi maris, inde à patre pulsus irato, quòd Ajacis fratris mortem ultus non esset, profugit in Cyprum, ibique urbem condidit, quam de nomine relictæ patriæ Salaminem appellavit.

Sthenelus. Capanei et Evadnes filius, unus è Græcorum ducibus, qui bello Trojano interfuerunt.

25. *Sciens pugnæ.* Omisit Horatius, ut solet alterum *sive:* Peritus sive pugnandi, sive equos agitandi. Pugnabant Græci vulgò è curribus, ita ut unus in curru ipso staret, unde hastâ, jaculis vexabat hostes; alius equos flecteret ac regeret. Utrumque à Sthenelo strenuè præstari Nereus dicit.

31. *Sublimi anhelitu.* Qui anhelant, caput usque sublime tollunt, quasi ad aërem pleniùs hauriendum.

34. *Achillei.* Genitivus est nominis Achilleus, è Græco

Post

Post certas hyemes uret Achaïcus
Ignis Iliacas domos.

giarum luctus longiùs differatur : sed, exactis tandem certis annis, Ilium injecto à Græcis igne deflagrabit.

Α'χιλλεύς ; vulgò Achilles dicitur : Græcorum principum fortissimus, Pelei Thessaliæ regis et Thetidis filius. Ob ereptam sibi ab Agamemnone Briseïdem diu à bello abstinuit, unde protracto longiùs Trojæ obsidio, demum ut Patrocli amici sui ab Hectore occisi necem ulcisceretur arma rursus induit, Hectorem ipsum interfecit, etc.

35. *Achaïcus*. Græcus. Achaïa, pars est Græciæ, in limine Peloponnesi ; ibi Corinthus, etc.

Ode XIV.*

Scripserat versus quosdam maledicos in Tindaridem ; veniam petit, ac palinodiam canit.

O Matre pulchrâ filia pulchrior,
Quem criminosis cumque voles modum
Pones ïambis; sive flammâ,
Sive mari libet Adriano.
Non Dindymene, non adytis quatit

O Filia, quæ matrem pulchram formâ vincis, statues pro tuo arbitrio de ïambicis versibus maledicis, quos in te scripsi, et modum pœnæ, quem volueris, præscribes ; sive igni tradere, sive mergere mari placeat. Non Cybele, non Apollo

2. *Criminosis.* Exposui, maledicis, *satyriques, médisants.* Nam crimen sæpè significat accusationem, probum, maledictum et vituperationem.

Quem criminosis cumque. Tmesis est, pro, Quemcumque criminosis.

4. *Adriano.* Mare Adrianum, sive sinus Adriaticus, est ad orientem Italiæ.

5. *Dindymene.* Dindymus, Dindymi ; et in plurali Dindyma, Dindymorum, mons est Phrygiæ, in quo Cybele mater Deorum, ab hoc monte Dindyme dicta, colebatur.

Adytis. Adyta. ἄδυτα, sunt intimæ partes templi, quo, præter sacerdotes, adire fas nemini est. Ab α privante, et δύομαι subeo.

Mentem sacerdotum incola Pythius,
Non Liber æquè; non acuta.
Sic geminant Corybantes æra,
Tristes ut iræ; quas neque Noricus
Deterret ensis, nec mare naufragum,
Nec sævus ignis, nec tremendo
Jupiter ipse ruens tumultu.
Fertur Prometheus addere principi

templi Delphici penetralia incolens; non Bacchus tanto furore suorum sacerdotum mentes concutit, exagitatque: non Corybantes tanto impetu ac stridore sua pulsant tympana, repetitis ictibus; quantam animis mortalium vim ac perturbationem affert ira, quæ nec intentatos enses, nec incendia aut naufragia, nec ipsum denique tonantis Jovis fulmen extimescit.

Cùm Prometheus è luto fingeret hominem, dicitur coactus

6. *Incola Pythius.* Apollo, qui sic dictus fertur à Pythone serpente, quem jaculis confixit. *Incola* vocatur hoc in loco, vel quia templi adyta inhabitabat; vel quia mentibus sacerdotum, quos afflabat, insidere dicebatur. Vide Virgilium Lib. VI. versu 50 et 80. vel potiùs, quia urbem Phocidis Pytho dictam, sibi sacram, ut Homerus ait, incolere ac præsenti numine fovere videbatur.

8. *Corybantes.* Sacerdotes Cybeles, ita dicti à voce Græcâ κορύπτειν, quæ significat, caput saltando jactare. Illi enim velut insano furore correpti saltabant, ærea cymbala percutiendo. Cujus moris hæc origo fuit, quòd olim Corybantes cùm Jovem è Rheâ seu Cybele natum, clam alerent, ne infans vagitu proditus à Suturno patre devoraretur, novum ludi genus excogitaverunt, clypeolos æneos [illegible]er se complodendo: quo strepitu tum æris tinnientis, tum numerosæ saltationis, quæ Dactylus est vocata, effecerunt ut vagientem Jovem Saturnus non exaudiret. Iidem appellati fuere Curetes, Galli, Phryges et Dactyli Idæi.

10. *Noricus ensis.* Est Noricum tractus Germaniæ, ubi nunc pars Bavariæ; item Stiria, Carinthia, etc. Ibi eruebatur ferrum optimum ad conficiendos enses.

13. *Prometheus.* Iapeti filius et pater Deucalionis. Dicitur Jovi operam navasse in formandis è luto mortalibus; et ad hoc opus prolusisse formandis è luto mortalibus; et ad hoc opus prolusisse formandis animalibus, adjuvante fratre suo Epimetheo, qui cùm bonam optimi luti partem in fingendis animantibus consumpsisset, coactus est Prometheus particulam aliquam ex iisdem animantibus decerpere, qua hominem augeret ac ditaret.

Limo coactus, particulam undique
Desectam; et insani leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.
Iræ Thyesten exitio gravi
Stravere; et altis urbibus ultimæ
Stetere causæ, cur perirent
Funditùs, imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.
Compesce mentem: me quoque pectoris
Tentavit in dulci juventâ
Fervor, et in celeres ïambos
Misit furentem. Nunc ego mitibus
Mutare quæro tristia; dum mihi

fuisse particulas ex animalibus omnibus decerpere, quas isti luto insereret, atque ita leonis bilem et iracundiam humano stomacho indidisse. Irá gravissimas calamitates misero Thyestæ importavit: eadem extitit in causâ, cur clarissimæ civitates æquarentur solo, et aratrum super eversis urbium mœnibus pertrahi victor crudelis juberet. His exemplis admonita, Tyndari, pone modum iræ: ego etiam (fateor) æstu quodam adolescentiæ abreptus, istos ïambos, ut obsequerer animo, effudi: nunc acerba carmina compensare mollioribus meditor, et contrariis versibus ea delere; modò pristinam tuam benigni-

Principi. Primo: hanc enim sæpè vim Latina vox *princeps* habet. Exponi etiam potest, primario et nobiliori limo, quia homini animantium principi formando adhibitus.

17. *Thyesten.* Filium Pelopis nepotem Tantali, qui, ut conceptam in fratrem suum Atreum iram expleret, ejus uxorem temeravit. Atreus verò Thyestæ liberos patri epulandos apposuit.

18. *Ultimæ.* Gravissimæ; exitiales.

20. *Imprimeret, etc.* Tum demum urbs periisse funditùs censebatur, cùm in ejus ruinis aratrum circumductum esset; quod Carthagini eversæ contigit. Ita spem omnem urbis restituendæ tollebant.

22. *Me quoque, etc.* Inde colligi potest Horatium istos olim ïambos scripsisse in Tyndaridem, quæ ejusdem circiter atque ille ætatis foret.

24. *Celeres ïambos.* Versus ïambici constant magnam partem ex Iambis pedibus, qui è duabus syllabis priorem brevem habent; atque adeo celeriùs pronunciantur quàm spondei qui duabus longis constant, quàm Dactyli qui tribus syllabis; etc.

Fias recantatis amica
Oprobriis, animumque reddas.

tatem et amicitiam, cùm orationem et sententiam mutavero, mihi redones, ac me jacentem et mæstum erigas.

Ode XV.

Tyndaridem in suam villam invitat.

Velox amœnum sæpè Lucretilem
Mutat Lyceo Faunus, et igneam
Defendit æstatem capellis
Usque meis, pluviosque ventos.
Impune tutum per nemus arbutos
Quærunt latentes et thyma deviæ
Olentis uxores mariti:
Nec virides metuunt colubros,
Nec Martiales hœduliæ lupos;

Sæpè Faunus ex monte Lyceo commigrat in montem Lucretilem amœnissimum, et æstivos calores, ac ventos, qui pluviam pariunt, semper à meis capellis propulsat, quæ sine ullo anguium metu per sylvas errant securæ, ac virgulta tenera quæ carpant, thymumque, rimantur. Ipsi hœduli non extimescunt pugnaces ac immanes lupos, quotiescumque Fauni fis-

1. *Lucretilem.* Italiæ in Sabinis, montem: ubi Horatii villa.

2. *Faunus.* Antiquissimus fuit Italiæ rex, à quo genita putantur ea numina rustica quæ Faunos, seu Sylvanos, poëtæ vocant, cornutos, caprinis pedibus, etc.

Lyceo. Lyceus Arcadiæ mons in Græciâ; Pani, qui idem ac Faunus esse perhibetur, sacer.

7. *Mariti olentis.* Hirci fœtentis. Ita Virgil. *Vir gregis ipse caper.* Ecl. 7, v. 7.

9. *Martiales.* Sacros Marti, quia sunt bellicosi, et rapto vivunt.

Hœdulei. Idem est atque hœduli; teneri hœdi. In vetustis aliquot libris legitur *hœdilia*, nempe hœdorum stabula: quam lectionem tuetur Lambinus, et ait, *hœdilia*, pedem esse Ionicum pro Choriambo, qui pedes sunt inter se pares tempore. Ipse tamen legi malit, *hœduliæ*, quæ vox idem ac hœdilia significat.

Utcumque dulci, Tyndari, fistulâ
Valles et Usticæ cubantis
Lævia personuere saxa.
Dî me tuentur: Dîs pietas mea,
Et Musa cordi est. Hîc tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.
Hîc in reductâ valle, caniculæ
Vitabis æstus; et fide Teïâ
Dices laborantes in uno
Penelopen, vitreamque Circen.

tulâ canentis vox in vallibus, et Ustica, humili monte vicino, insonuit. Nempe sum in tutelâ Superûm, qui pietatem meam et versus acceptos habent. Ades igitur, et fruere opibus rusticis, quas tibi hæc mea villa profundet ad satietatem. Hîc in semotâ valle opacum, sæviente licèt Caniculâ, captabis frigus, et Anacreontiis modis numerisque, canes Penelopen ac Circen ambas unius Ulyssis amore flagrantes. Hîc Lesbium hauries

10. *Utcumque.* Quandocumque, ubicumque. Particula ut significat interdum tempus et locum quo aliquid fit.

11. *Cubantis.* Leviter declivis, ut cubantis hominis speciem præ se ferre videatur.

12. *Lævia.* Polita, et attrita torrentium, vel imbrium jugi lapsu.

14. *Hinc tibi.* Ita voces dispone. *Hinc*, ex hac meâ villâ. *Manabit ad plenum*, fluet ac prometur affatim et largè, *opulenta copia honorum ruris*, ut ex *benigno cornu.* Honores ruris vocantur omnes fruges rusticanæ. Benignus valet idem, quod liberalis, munificus.

16. *Cornu.* Amaltheæ capræ lacte nutritum à Nymphis Jovem ferunt. Eas ut muneraretur Jupiter, edixit, ut ex illius capræ cornu resecto fruges omnes et fructus in perpetuum, velut inexhausto de fonte, scaturirent. Eam ob rem Cornu copiæ vocatum est.

17. *Reductâ.* Quæ sinus quosdam flexuosos ac recessus habet: quæ remota et longiùs ducta sit.

Caniculæ. Stella est lucida in ore Canis astri, quæ etiam Syrius appellatur, cui sol cùm subest, æstus ingravescit.

18. *Fide.* Fides, fidis; nervum seu chordam significat, sive lyram fidibus instructam. Anacreon Poëta Lyricus fuit, Teo Ioniæ civitate, oriundus.

20. *Penelopen.* Uxorem Ulyssis. Ex eâ suscepit filium Telemachum; è Circe, Telegonum.

Vitream. Nitentem, vel fallacem et perfidam; vitrum enim citò frangitur: sic vitream Famam appellat. Satyr. 3. Lib.

Hic innocentis pocula Lesbii
Duces sub umbrâ : nec Semeleïus
Cum Marte confundet Thyoneus
Prælia ; nec metues protervos.

vinum sub umbrosâ pergulâ, quod capiti nihil nocebit aut stomacho : non Bacchus martem lacesset, ac tristia miscebit prœlia ; nec ullus tibi à protervis et petulantibus viris metus erit.

III. vel, marinam ; sic vitreus pontus dicitur, id est, cæruleus. Incoluit enim Circe montem Circeum in Italiæ orâ maritimâ.

Circen. Solis filiam, veneficiorum peritissimam, quæ Ulyssem tempestate jactatum excepit, et socios ejus in porcos mutavit, etc. Homer. X. Odyss. Hæc imago fuit Voluptatis, quæ homines ad pecudum conditionem abjecit.

21. *Lesbii.* Subaudi, vini. Generosum vinum nascebatur in Lesbo insulâ maris Ægæi, nunc *Metelin* dictâ, ab urbe primariâ Mitylene.

23. *Thyoneus.* Bacchus, ita dictus à verbo θύω, furo, *Semeleïus*, ab ipsius matre Semele, quæ dicta quoque reperitur Thyone. Porro tunc Bacchus miscet cum Marte prælia, quando à poculis venitur ad arma ; vel, quando poculis simul et ferro certatur ; qualis fuit Lapithas inter et Centauros commissa in epulis rixa.

Ode XVI.

Utendum vino, sed moderatè ac sobriè.

Nullam, Vare, sacrâ vite priùs severis arborem,
Circà mite solum Tiburis et mœnia Catili.

O Vare, vide, ut in agro Tiburtino unam præ omnibus arboribus vitem feras. Quippe nihil iis hominibus succedit

1. *Vare.* Is ille videtur esse Quintilius Varus, cujus obitum deflet Ode hujus Libri 20. poëta non aspernandus. Villam habebat in agro Tiburtino. Porro poëtis vinum in usu et in pretio semper fuisse Horatius et verbis, et exemplo docuit.

Sacrâ. Baccho scilicet consecratâ : vel egregiâ, divinâ.

2. *Mite Solum.* Quia mites uvas effert : vel, pingue, et uvidum.

Mœnia Catili. Urbem à Catilo conditam, nempe ipsum Tibur (*Tivoli.*) Catillus, sive Catilus, Coras, et Tibur sive Tiburtus, Amphiaraï filii aut

Siccis omnia nam dura Deus proposuit: neque
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.
Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem crepat?
Quis non te potiùs, Bacche pater, teque decens Venus?
At, ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata; monet Sithoniis non levis Evius:

è sententiâ qui vinum oderunt, nec ulla est alia ratio curas abigendi. Quis enim bene potus, de militia, aut paupertate queritur? Ac non potiùs Bacchum Veneremque canit? Ne quis tamen in bibendo modum excedat, utque Bacchi donis parcè ac sobriè utamur, nos admonet pugna Lapithas inter et Centauros in convivio pugnata, nec non mala per ebrietatem Thracibus importata, cùm explendæ libidinis avidi, exiguum discrimen ponunt inter eas res quas ratio permittit aut vetat. Ego te, ô Bacche, non lacessam, non commovebo invitum;

nepotes, varias urbes in Italiâ posuerunt. Virgil. Lib. VII. versu 670.

3. *Siccis.* Sobriis, vino nequaquam madidis, abstemiis.

5. *Crepat.* Crepare, interdum est, effutire, venditare, verbis amplificare. Sic Epist. lib. 1, de agricolâ: *Sulcos*, ait, *et vineta crepat mera;* id est, habet in ore prædicatusque ac memorat.

7. *Liberi.* Sic vocatur Bacchus; quia nihil vino est liberius.

8. *Centaurea, etc.* Pirithoüs Ixionis filius, cùm Hippodamiam duceret, epulum nuptiale Centauris, Thessaliæ incolis, sibi necessitudine conjunctis præbuit. Cùm omisisset autem Marti sacrificare, illius iram in se concitavit. Itaque Mars inter Centauros et Lapithas, ad convivium itidem vocatos, rixam excitavit, quæ dirâ utriusque partis strage commissa est.

9. *Sithoniis.* Sithonia est pars Thraciæ: Thracia, pars Europæ supra Græciam, ad Septentrionem, ubi nunc Hadrianopolis, Constantinopolis, etc.

Evius. Unum è Bacchi cognominibus est, à Jove illi inditum in eo bello quod Gigantes cum Diis gesserunt. Fingunt enim poëtæ, cùm cæteri Dii perterriti fugerent aut laterent, Bacchum leonis ora induisse, atque rem in hostes cœlo imminentes strenuè gessisse. Quamobrem à Jove collaudatum his verbis *εὖ υἱὲ*, *Euge, fili:* postea Evyon, seu Evhyum fuisse, honoris causâ, salutatum. Inde fit fœmininum Evhyas, quod Bacchi sacerdotem, seu Baccham et Mænàdem significat.

Cùm fas atque nefas exiguo fine libidinum
Discernunt avidi. Non ego te, candide Bassareu,
Invitum quatiam, nec variis obsita frondibus
Sub divum rapiam. Sæva tene cum Berecynthio

nec tua sacra pampinis involuta proferàm in lucem. Tu modò continе et comprime tua tympana, et tubas, quibus homines in ebrietatem et furorem præcipites agis; cujus furoris et ebrietatis comites sunt amor sui cæcus, arrogantia et insolentia,

10. *Exiguo fine, etc.* Ebrii non animadvertunt quantùm intersit inter justum et injustum, turpe et honestum: omnia confundunt, eosque solos fines ac terminos nôrunt, quos libido statuit.

11. *Candide.* Qui simplex, apertus, verax et sincerus es. In vino veritas, ut fert parœmia.

Bassareu. Bacchi cognomen est, à Bassarà urbe Lydiæ, ubi præcipuè colebatur, vel à talari quadam veste quà utebantur ejus Sacerdotes: quæ Bassarides hinc etiam vocabantur: vel denique à pelle lyncis, quam Thraces ita nuncupabant.

12. *Invitum.* Bacchus non invitus sua largitur munera temperatè utentibus: at non æquo animo patitur nos obrui vino.

Quatiam. Quos irritamus et provocamus, eos succutimus et fodicamus. Sententia est: Non bibam intemperantiùs. Quatere, idem est aliquando ac movere. Quatere sacra seu movere, est instrumenta sacrificii loco movere, aliò deportare, id fiebat aliquando à Bacchi Sacrificulis, vino madidis, et cæco furore agitatis.

Nec variis, etc. Solebant tertio quoque anno celebrari festa Bacchi, quæ Orgia, seu Bacchanalia, Trieterica, et Nyctelia dicebantur: in iis Bacchi simulacra, instrumenta quædam sacrificii, et suppellex propria, ut vannus, thyrsi, calathi, etc. efferebantur, et foras educta gestabantur per urbem, pampinis et frondibus obvoluta, in montes deportabantur, etc. insano cum tumultu. Similiter facere videntur qui supra modum bibunt. Bacchus trahi et jactari videtur, non duci et deferri, cùm in bibendo modus præteritur.

Obsita. Plena obducta.

13. *Sub divum.* Divum, aut dium, idem significat ac Jupiter, qui à Græcis dicitur, Ζεὺς τοῦ Διὸς; unde videtur procreata vox, dium. Jupiter autem pro aëre sumitur. Itaque *rapere sub dium*, est, in apertum proferre, *exposer au jour: sub dio esse*; in aperto loco esse, qui nullo tecto operiatur. Nefas esse credebant proferre in apertum sacra Bacchi et mysteria: ita significabant evulganda non esse quæ dicantur aut fiunt in vino. Non committam, inquit Hor. ut arcana mihi credita, ebrius aperiam.

Sæva tene, etc. Fingitur Bacchus adigere homines ad

Cornu tympana, quæ subsequitur cæcus amor sui,
Et tollens vacuum plus nimio Gloria verticem,
Arcanique Fides prodiga, perlucidior vitro.

Caput altius, quàm par est, tollens; lingua infida et parum tenax arcanorum, ac pectus ipso vitro magis pellucens.

insaniam incondito cornuum et tympanorum strepitu: et in ejus sacris Bacchæ eo solo accensæ, præcipites ac furiosæ discurrebant. Id ne sibi accidat Horat. precatur. Cornu, *un cornet:* tympana, *des tambours, des tymbales.*

Berecynthio. Berecynthus mons erat Phrygiæ, in quo Cybele colebatur à Corybantibus, cornua tympana dementi sonitu pulsantibus.

15. *Vacuum.* Levem, arrogantem, prudentiæ expertem.

16. *Fides.* Cura arcani conservandi est lex, quæ si violatur, jam non est fides, sed perfidia, seu fides ficta et perversa: quæ arcanum profundit, ut prodigus nummos.

Perlucidior. Id perlucere, seu pellucere, tralucere, dicitur, quod lucem admittit, adeo ut quod intus est appareat: tale est vitrum; tale pectus hominis arcana patefacientis. Pellucidus, *transparent.*

Ode XVII.

Mæcenatem invitat ad frugalem cœnam.

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Græcâ quod ego ipse testâ
Conditum levi, datus in theatro

Bibes domi meæ, Mæcenas carrissime, equitum decus, in exiguis cyathis, vinum haud magni pretii, Sabino in agro

1. *Sabinum.* Sabini, populus Italiæ non procul Româ, ob antiquam probitatem notus. In eorum agro vinum deterioris notæ gignebatur. Ibi Horatii erat villula.

2. *Cantharis.* Cantharus vilis est patera, modicus scyphus.

Græcâ. E Samo insulâ Græciæ, afferebantur eximiæ testæ, seu vasa fictilia. Cumanam interpretatur Turnebus, quia Cumis, et in eâ regione Italiæ, quæ magna Græcia olim dicta est, istiusmodi fictilia conficiebantur.

3. *Levi.* A verbo lino, *cacheter, boucher.* Pice vel gypso

Cùm tibi plausus,
Care Mæcenas eques, ut paterni
Fluminis ripæ, simul et jocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.
Cæcubum, et prælo domitam Caleno
Tu bibes uvam; mea nec Falernæ
Temperant vites, neque Formiani
Pocula colles.

natum, quod ipse condidi in fictili amphorâ Græcâ, cujus os pice obduxi, eo tempore quo populi totius ingenti plausu exceptus es, cùm prodires in theatrum ad spectandos ludos, adeo ut ripæ Tiberis fluvii qui ab Etruriâ patriâ tuâ fluit, laudibus tuis personarent, easque veluti gratulans Echo Vaticani montis geminatas tibi referret. Potabis tu quidem domi tuæ vinum Cæcubum aut Calenum: ac generosa ejusmodi vina, qualia sunt Falernum et Formianum, meis poculis non serviunt.

inducebant corticem, quo lagenæ os claudebatur: notabantque in pice nomen Consulis qui tum gerebat magistratum; ut intelligi posset annus, quo vinum fuisset conditum. Hinc *relino*, id est, corticem et operculum amphoræ tollo, resigno.

4. *Plausus.* Viri populo gratiosi et bene de Rep. meriti à populo ludos spectante faustis acclamationibus excipi consueverant: invisi contra, et improbi, sibilis, et sinistrâ admurmuratione.

5. *Eques.* Mæcenas eques Romanus fuit, Augusto carissimus, qui licèt ab Etruriæ regibus esset oriundus, tamen præ modestiâ in equitùm ordine constiterat. Fuit autem in ornandis ac provehendis, cum omnium disciplinarum, tum præsertim poëticæ, cultoribus, adeo benignus, ut ab eo, etiam hodie, studiosorum patroni, Mæcenates appellentur.

7. *Vaticani montis.* Vaticanus collis est, non procul à Tiberi et Janiculo, supra molem Hadriani. In eo est conditum admirabile S. Petri templum. *Le Vatican.*

8. *Jocosa imago.* Echo.

9. *Cæcubum.* Cæcubum, vel Cæcubus, est mons Latii, prope Fundos et Amyclas urbes, ad sinum Caïetanum; cujus solum optimi vini est ferax. Nunc vocatur *Monte di Gaïeta.*

Caleno. Calenum erat oppidum Campaniæ Italæ, in cujus agro mite ac generosum vinum nascebatur.

Domitam. Pressam, calcatam.

10. *Falernæ.* Falernus mons et ager Campaniæ inter Calenum et Sinuessam, ejus vinum acre et austerum, magno erat in pretio.

11. *Formiani.* Formiæ, For-

miarum, urbs Campaniæ Italæ maritima, juxta Caïetam, à Lamo quondam Lacone condita; Læstrygonum olim sedes. A Saracenis excisa fuit, estque nunc in ejus loco pagus, *Mola* nuncupatus.

Temperant. Aqua propriè vinum temperat: non vinum aquam, aut scyphos. Misceo, tempero, usurpantur pro merum infundo in calicem: nam antiquis vinum nisi lymphâ temperatum potare nefas erat.

ODE XVIII.

Pueros ac puellas hortatur ad preces Apollini ac Dianæ adhibendas.

DIANAM teneræ dicite virgines;
Intonsum pueri, dicite Cynthium;
Latonamque supremo
Dilectam penitus Jovi.
Vos lætam fluviis, et nemorum comâ,
Quæcumque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erymanthi
Sylvis, aut viridis Cragi.
Vos Tempe totidem tollite laudibus

O Puellæ, Dianam laudibus meritis ornate: vos pueri Apollinem, intonsâ comâ insignem canite, et Latonam Jovi præ cæteris acceptam. Vos, ô virgines, celebrate Deam quæ fluviis delectatur, et sylvis, quæcumque aut Algidum coronant montem, aut Erymanthum, aut Cragum. Vos, ô

2. *Cynthium.* Nomen est Apollinis à Cyntho monte, in Delo insulâ, quo in monte Latona fertur Apollinem ac Dianam peperisse; unde ille Cynthius, hæc Cynthia, passim à poëtis appellantur.

6. *Algido.* Algidus mons est Dianæ sacer, non procul Româ, ita vocatus ab frigore, quod illi conciliat, densa quæ ipsum coronat, sylva: nunc *Selva del Aglio.*

7. *Erymanthi.* Erymanthus mons Arcadiæ, in quo aprum agrorum vastatorem Hercules domuit, humerisque impositum ad Eurystheum attulit.

8. *Cragus.* Lyciæ mons, in Asiâ minori.

9. *Tempe.* Is locus Appollini sacer idcirco erat, quòd in cum secessisse post occisum serpentem Pythonem diceretur, et sacra quædam piacularia fecisse. Ibi erecta illi ara, inde lauri

Natalemque, mares, Delon Apollinis;
Insignemque pharetrâ,
Fraternâque humerum lyrâ.
Hic bellum lacrymosum, hic miseram famem,
Pestemque, à populo, et principe Cæsare in
Persas, atque Britannos
Vestrâ motus aget prece.

pueri, totidem laudibus extollite amœna Tempe, necnon insulam Delum, ubi Apollo natus est, et pharetram, quam idem humero suspensam gestat, ac lyram ipsi à Mercurio fratre datam. Deus ille vestris precibus placatus bellum, famem, pestem, à capite civium et Augusti depulsam, in Persas ac Britannos, hostes Romanorum, transferet.

petebantur ad coronandos victores, in Pythiis ludis, etc.

10. *Delon.* Insulam Ægæi maris, Cycladum omnium clarissimam. Dicta autem putatur Delos, cùm ante Ortygia vocaretur, quòd Latonæ, locum ad pariendum quærenti, nec ubi consisteret, Junone iratâ illam ubique persequente, reperienti, hæc insula, ex imo emergens mari, se opportunè ostenderit; δῆλος, *manifestus, clarus*, nunc vocatur *Sdilles.*

15. *Persas.* Populum Asiæ, Romanis infensum.

Britannos. Angliam: quæ nondum erat à Romanis perdomita.

ODE XIX.

Vir probus ubique securus est.

INTEGER vitæ, scelerisque purus,
Non eget Mauris jaculis, neque arcu;
Nec venenatis gravidâ sagittis,
Fusce, pharetrâ;

QUicumque vitam criminis immunem ducit, ô Fusce, ille non indiget, quo se tutetur, Maurorum jaculis et arcu, non pharetra sagittis veneno imbutis refertâ: sive sit

2. *Mauris.* Mauri sunt Africæ ad Septentrionem et Occasum populi, ad fretum Gaditanum.

4. *Fusce.* Aristius Fuscus poëta, idemque orator eximius erat.

Sive per Syrtes iter æstuosas
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.
Namque me sylvâ lupus in Sabinâ,
Dum meam canto Lalagen, et ultra
Terminum curis vagor expeditus,
Fugit inermem:
Quale portentum neque militaris
Daunia in latis alit esculetis;
Nec Jubæ tellus generat, leonum

peragraturus Syrtes arenis calidis infestas, sive per vastas Caucasi solitudines iter habiturus, aut per eas regiones, quas præterlabitur Hydaspes, de quo tam multa literis prodita sunt. Atque huic ipse rei tes is idoneus esse possum: Dum enim nuper in Sabinâ sylvâ expatior ultra notos mihi fines ac tramites, meam laudans et canens Lalagen, ecce occurrens lupus, me conspecto, licèt armis carerem, aufugit. Erat ille monstro similis; tam teter et immanis, ut Daunia in vastis suis nemoribus frequenti quercu consitis, nullum ipsi parem nu-

5. *Syrtes.* Duo sunt sinus periculosissimi in mari Lybico: alter major, prope Cyrenem; alter minor, prope Carthaginem: ibi mare* vadosum, et arenarum instabiles cumuli. Appellantur etiam Syrtes in eadem Africâ, quædam loca in patentibus aridisque campis, haud minùs periculosa, quàm Syrtes maritimæ, ventis arenas verrentibus, et hinc, illincque deportantibus: unde facies locorum ita repente mutatur, nunc in arenosos montes erecta, nunc in valles subsidens, ut viatores cogantur aspectu siderum iter suum regere, ac sæpè arenis obruantur.

7. *Caucasum.* Caucasus Asiæ mons ad Septentrionem; Indiam à Scytiâ separat, præruptis ab omni parte cautibus: incolas nullos admittit, unde *inhospitalem* vates vocat, *inhabité.*

8. *Hydaspes.* Fluvius Indiæ.

13. *Militaris.* Quæ milites effert strenuos ac fortes.

14. *Daunia.* Pars est Apuliæ. Vulgò, *l'Apouille*: Italis, *La Capitanata.*

Esculetis. Esculetum locus esculis consitus. Esculus porrò est è quercuum genere, sic dicta, teste Servio, quòd primi mortales ejus glande pro escâ uterentur.

15. *Jubæ tellus.* Mauritania, in qua regnavit Juba, qui Pompeianas partes contra Cæsarem constantissimè secutus est. Victo Pompeio, copias cum Scipione conjunxit, commissoque prælio victus, ubi nihil spei reliquum esse vidit,

Arida nutrix.
Pone me, pigris ubi nulla campis
Arbor æstivâ recreatur aurâ,
Quod latus mundi nebulæ, malusque
Jupiter urget:
Pone sub curru nimiùm propinqui
Solis, in terrâ domibus negatâ:
Dulcè ridentem Lalagen amabo,
Dulcè loquentem.

triat; nullam Africa, leonum parens, feram similem gignat. Fac me versari in campis incultis et æterno frigore torpentibus, ubi nullus æstivi caloris halitus arbores mulcet, in eâ mundi parte quam nives, pruinæ, et hyems perpetua, iratusque Jupiter vexat: colloca me in eâ, si lubet, regione quæ soli subjecta, immodico torretur calore, in qua nullæ domus, incolæ nulli; ubicumque diligam Lalagen suaviter arridentem, suaviter et verba facientem.

oppipare cum Petreïo legato, epulatus est ac mutuis ambo vulneribus concurrentes fortiter ceciderunt.

17. *Pigris, etc.* Ita describit Zonam utramque frigidam, polis Arctico et Antarctico suppositam.

19. *Malus Jupiter.* Aër hybernus; cœlum grave et insalubre.

21. *Sub curru, etc.* Ita Zonam torridam pingit: quam tamen falsò affirmat incolis ac domibus carere. Constat enim eas oras frigidis ventis recreari, madescere imbribus, nocturno frigore contra diurnos calores defendi; demum indigenis et advenis florere.

ODE XX.

Quintilii mortem deflet.

Quis desiderio sit pudor, aut modus
Tam cari capitis? præcipe lugubres

QUid est cur quemquam pudeat lugere mortem hominis, qui tam carus tibi meritò fuit, aut cur quisquam modum

1. *Desiderio.* Desiderium est propriè dolor de hominis absentià, aut morte conceptus.

Cantus, Melpomene, cui liquidam pater
Vocem cum citharâ dedit.
Ergo Quintilium perpetuus sopor
Urget! cui Pudor, et Justitiæ soror
Incorrupta Fides, nudaque Veritas,
Quando ullum invenient parem?
Multis ille bonis flebilis occidit,
Nulli flebilior quàm tibi, Virgili.
Tu frustra pius, heu! non ita creditum
Poscis Quintilium Deos.
Quòd si Threïcio blandiùs Orpheo
Auditam moderêre arboribus fidem
Non vanæ redeat sanguis imagini,

in lugendo tenere valde curet? O Melpomene, quæ accepisti à Jove Musarum patre, canoram vocem, artemque pulsandæ scienter citharæ, suggere nobis carmen lugubre, quo mortem hanc prosequamur. Ergone obiit Quintilius, ille cui haud scio an ullum unquam similem reperturæ sint Veritas, Pudor, et Fides soror Justitiæ?

Habent profectò plerique viri probi cur extinctum illum defleant, at nemini justior est mœrendi causa quàm tibi, ô Virgili. Tamen frustra illum, quæ tua est pietas, ereptum reposcis à Superis, petisque ut eum ab inferis excitatum restituant luci; non enim ita tibi datus erat, ut repetendus non esset: imo creditus fuerat potiùs ad tempus, quàm propriè datus: ac licèt Orpheo suaviùs caneres, ita ut auritas arbores citharæ tuæ fidibus traheres, non tamen sanguinem ac vitam posses reddere inani simulacro quod semel ferali suâ vir-

5. *Quintilium.* Erat ille affinis Virgilii, et Amicus: poëta ipse quoque non contemnendus, Cremonensis dictus à patriâ: non ille Quintilius Varus, qui, ut Tacitus fusè scribit, legiones amisit in Germaniâ; ad quem fortè scripta est Ode hujus libri 16. Is certè cùm sibi necem amisso exercitu conscivit, anno U. C. 762. jam obierant Virgilius et Horatius.

6. *Urget.* Premit, occupat, constrictum tenet.

7. *Fides.* Religio et constantia in servandis promissis, in arcano tegendo, in amicitiis colendis, etc.

Nuda. Simplex, aperta, carens fuco.

15. *Imagini.* Mortuorum animas poëtæ vocant umbras et simulacra virorum. Virgil. Lib. VI. Æn. versu 290. Quin etiam distinguebant Ethnici umbram, sive imaginem, ab animâ: et animam quidem cœlo vel tartaro addici putabant: um-

Quam virgâ semel horridâ
Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.
Durum! sed levius fit patientiâ
Quidquid corrigere est nefas.

gâ tristi umbrarum turbæ addidit Mercurius, qui nullis exoratur precibus, ut positas à fatis leges refigat, Orcique clausas fores reseret. Non me fugit quàm hoc acerbum ac triste sit; nihilominus dolorem ac sensum mali, quod mutare ac sarcire non possumus, ipsâ patientiâ facimus leviorem.

bram verò, sive imaginem semper ad inferos devolvi.

16. *Virga.* Caduceo.

18. *Gregi.* Mortuorum umbras ad inferos deducebat Mercurius.

Ode XXI.

Se omni solutum curâ et metu, laudare Lamiam velle dicit.

MUSIS amicus, tristitiam et metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis; qui sub Arcto

DOnec mihi favebunt Musæ mœrorem ac sollicitudinem omnem procul à me amando, neque laborabo admodum,

2. *Tradam portare, etc.* Sic loquuntur poëtæ, cùm significant à se negligi quidpiam et oblivioni tradi. Virgil. IX. Æneid. *Auræ*
Omnia discerpunt, et nubibus irrita donant.

Protervis, etc. Petulantibus, huc illuc temerè licenterque vagantibus.

Creticum mare. Creta. *Candie*, insula maxima è regione maris Ægæi, ad Meridiem, Africam versùs. Urbes olim in eâ erant centum: præcipuæ, Gortina, Cydon, Gnossus. Mons etiam editissimus, Ida, in quo Jupiter educatus: nunc ea insula Turcis paret, ac civitates præcipuas numerat Candiam, Caneam, Rhetimum, et Sitiam.

3. *Arcto.* Arctos, Ἄρκτος, apud Græcos, *ursum*, vel *ursam* significat. Id nominis habent in cœlo duo signa septentrionalia, quæ à Latinis Ursæ appellantur, altera major, al-

Rex gelidæ metuatur oræ,
Quid Tiridaten terreat unicè
Securus. O quæ fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiæ coronam,
Pimpleï dulcis: nil sine te mei
Prosunt honores. Hunc fidibus novis,
Hunc Lesbio sacrare plectro,
Teque tuasque decet sorores.

quis in plagâ Septentrionali rex imperium obtineat, ac metum armorum suorum vicinis injiciat: quidve Tiridates præcipuè pertimescat. O Musa mihi carissima, quæ lympidis fontibus delectaris, age, texe mihi coronam è floribus, quam Lamiæ meo imponam. Nisi tu scribenti mihi adsis, quicquid operæ ad amicos meos ornandos studiique contulero, frustra erit. Porro Lamia dignissimus est quem tu ac tuæ sorores ornari et immortalitati consecrare studeatis novo genere Latini carminis, quod Alcæus et Sappho pridem apud Græcos invenerunt.

tera minor. Major vocatur etiam Helice, sive Plaustrum; minor, Cynosura: hanc Phœnices; illam Græci nautæ observabant.

5. *Tiridatem.* Ille Parthorum regnum occupavit, eoque spoliavit Phraatem, qui, evocatis Scytharum auxiliis, cùm regnum repeteret, fugit Tiridates ad Augustum, ad quem legatos misit Phraates, per quos dedi sibi Tiridaten postulabat.

7. *Apricos.* Gaudentes Locis apertis, et soli expositis.

8. *Lamiæ.* Lamus Neptuni filius et Læstrigonum rex imperitavit in Italiæ orâ maritimâ, ubi et Formias oppidum condidit. Ab eo nobilis familia Lamiarum nomen accepit.

9. *Pimplea.* Pimpla Macedoniæ mons, in cujus radice fons Pimpleus Musis sacer: à quo ipsæ dicuntur Pimpleæ, Pimpleides.

Mei honores. Versus à me in amicorum honorem facti.

10. *Fidibus novis.* Vel novo genere carminis, nempe Lyrico: vel elegantiore versu et accuratiore. Solent nimirum fides novæ argutiorem edere sonum, quàm veteres et detritæ.

11. *Lesbio.* Lesbos insula maris Ægæi, fuit clara natalibus Alcæi et Sapphus, quibus acceptam, aut ornatam poësim Lyricam Græci ferunt.

Plectro. Plectrum est instrumentum quo lyræ nervi carpuntur, *un archet.*

12. *Sorores.* Musas.

Ode XXII.

Ad amicos, ne inter pocula rixentur.

NATIS in usum lætitiæ scyphis
Pugnare, Thracum est. Tollite barbarum
Morem, verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.
Vino et lucernis Medus acinaces
Immane quantùm discrepat. Impium
Lenite clamorem, sodales,
Et cubito remanete presso.

Solemne Thracibus est, ad pugnam abuti cyathis, qui ad hilaritatem et compotationem sunt instituti. Sit ista sane barbarorum, consuetudo, at procul à moribus vestris absit; videte ne cruenta jurgia Bacchum vexent, qui modestè ac verecundè tractandus est. Mirum quantum sit discriminis inter convivia et prælia: ô sodales, parcite insanis clamoribus, et

2. *Thracum.* Thracia, sive Thraca, hodie *Romania*, Europæ regio, ad Septentrionem Macedoniæ, supra Græciam posita, inter Istrum et Ægæum mare. Hujus incolæ Thraces dicuntur.

3. *Verecundum.* Pingebatur Bacchus juvenili formà: est autem verecundia et pudor, propria dos juventutis. Significatur etiam eo vocabulo debere modum in bibendo servari.

4. *Bacchum prohibere rixis.* Videtur esse Hypallage, pro, rixas à Baccho prohibete et removete. Quomodo antea Od. 15. *meis defendit æstatem capellis.*

5. *Lucernis.* Eas cum vino conjungit, quia olim sub noctem duntaxat agitabantur convivia.

Acinaces. Gladius est Persicus: acie latâ et incurvâ. Medi autem sæpè pro Persis ponuntur, quia Medorum imperium ad Persas translatum fuit.

6. *Immane quantum.* Ita loquuntur Græci: *θαυμαστὸν ὅσον ἀμύσθηλον. ἀμήχανον ὅσον*: et ab iis Latinis mirum, nimiùm, immanè quantum, pro, summopere, mirum in modum.

8. *Remanere.* Manete, ut estis, accumbentes, videlicet in toris, et sinistro cubito innixi. Hoc enim corporis habitu ac situ cœnabant Romani veteres, ut modicè inflexâ et incurvatâ superiore corpo-

Vultis severi me quoque sumere
Partem Falerni? dicat Opuntiæ
Frater Megillæ, quo beatus
Vulnere, quâ pereat sagittâ.
Cessat voluntas? non aliâ bibam
Mercede. Quæ te cumque domat Venus,
Non erubescendis adurit
Ignibus, ingenuoque semper
Amore peccas. Quidquid habes, age,
Depone tutis auribus. Ah miser!
Quanta laboras in Charybdi,
Digne puer meliore flammâ.
Quæ Saga, quis te solvere Thessalis

nolite toris exsurgere ad manus conserendas. Si vultis ut vobiscum bibam, ed faciam lege, ut Megillæ frater aperiat mihi quo ipse telo fuerit à Cupidine vulneratus. Non placet ea tibi conditio? nullo alio pretio adducar ad bibendum. Quocumque amore flagras, ejusmodi est ille, ut ejus te pudere nequaquam debeat, non est ignobilis aut illiberalis. Quodcumque habes arcani, ede, ac mihi taciturno committe. O te infelicem! quàm sæva in Charibdi jactaris! dignus eras profectò qui alio flagrares amore. Quæ Venefica, quis Magus,

ris parte, cubitoque sustentatâ, reliquâ jacerent, quod propriè est accubare, seu accumbere; nam recumbere, est toto jacere corpore, ita nempe composito, ut somnum facilè possis capere.

Presso. In pulvinar impresso et infixo, qui torum premat; qui admotus cubili, in eo hæreat.

9. *Severi.* Austeri, quod non facilè digeratur et concoquatur.

Opuntiæ. Opus, Opuntis, civitas Bœotiæ in Græciâ. Hinc Opuntius.

11. *Frater Megillæ.* Unus erat è convivis.

18. *Ah miser.* Hoc dicit, audito clam nomine illius quam Megillæ frater adamabat.

19. *Charybdi.* Charybdis, nunc *il Capo* de *Faro*, est gurges in freto Siculo, fluctus in girum et verticem contorquens, ac naves abreptas sorbens. Illi opponitur in eodem freto, alter gurges, Scilla dictus. Describit utrumque pluribus verbis Virgilius Lib. III. Æn. versu 420.

21. *Thessalis.* Thessalia regio Græciæ ad Orientem, inter Macedoniam, Albaniam, Achaïam et mare Ægæum. Urbes habebat præcipuas Larissam, Pharsalum, Philippos, Thermopylas; fluvium verò, Peneum. In eadem frequentes venefici, et herbæ idoneæ istis artibus.

Magnus venenis? quis poterit Deus?
Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimærâ.

licèt præsentissimis venenis utatur? vel potius quod Numen te poterit in libertatem vindicare? Vix ipse Bellerophon cum suo Pegaso huic te Chimæræ illigatum et implicatum solvat.

24. *Pegasus.* Equus alatus, è sanguine Medusæ, cùm hujus caput à Perseo abscinderetur, natus, ac Pegasus dictus, quia prope fontem ortus erat, in eo loco quem Gorgones incolebant: πηγὴ, *fons.* Equus autem ille ubi primùm est editus, evolavit in montem Heliconem, ibique saxum ungulâ feriens, fontem aperuit, qui ex eo Hippocrene, id est, fons equi, ἵππου κρήνη, est appellatus. Posteà verò a Bellerophonte, qui per id tempus expeditionem in Chimæram parabat, captus est, ad extremum in cœlum translatus, atque inter sidera Delphinum et Aquarium, collocatus.

Chymæra. Monstrum fuit, in Lyciâ.

Ode XXIII.

Nauta incidit in corpus Archytæ. Hunc Archytas orat, ne se insepultum jacere patiatur.

Te maris et terræ, numeroque carentis arenæ
Mensorem cohibent, Archyta,

O Archyta, itane tu, qui maria et terras metiri solitus eras, qui numerum inire poteras arenarum, quæ nullo numero

2. *Cohibent.* Tam exiguum spatium sex, v. g. pedum fossa te continet, quem vivum orbis totus non capiebat? Dixerat, aliquis, si injectus erat pulvis cadaveri Archytæ, non erat igitur insepultum. Respondeo, parti tantùm corporis malignè injectum pulverem ac parcè fuisse, ita ut maxima pars esset inhumata; itaque sub finem Odæ idem Archytas orat nautam ut affatim et largiter arenam injiciat. Aliter etiam explicari potest istud *cohibent :* nempe, Quia sepulchri beneficium, quod licèt exiguum, tibi tamen negatum est, umbra tua, insepulto corpore, vagatur, atque cohibetur, ne inferos adeat, ne Stigen transmittat. Insepulti enim arcebantur ab Elisiis campis. Virgil. Lib. VI. Æn. vers. 325.

Pulveris exigui prope littus parva Matinum
Munera: nec quidquam tibi prodest
Aërias tentasse domos, animoque rotundum
Percurrisse polum, morituro.
Occidit et Pelopis genitor, conviva Deorum;
Tithonusque remotus in auras:
Et Jovis arcanis Minos admissus; habentque

videntur comprehendi; tunc, inquam, angusto tumulo prope littus hoc Matinum contineris? Quid profuit tibi cœlum ipsum tuâ scientiâ et ingenio penetrasse, si eras aliquando moriturus? Non est cur hoc valde admireris, ô nauta; ipse quoque Tantalus, qui epulis Deorum accubuit, mortuus est; ipse Tithonus, in vaporem subtilissimum extenuatus; nec non Minos,

Mensorem terræ. Geometram Græci vocant, à γῆ, *terra*, et μέτρέω, *metior.*

Archyta. Archytas, oriundus Tarento, quæ est urbs Italiæ ultimæ, philosophus et Geometra præstantissimus fuit. Extat ad eum præclara Platonis epistola.

3. *Pulveris exigui, etc.* Non tantum terræ, quantum sit satis ad totum cadaver tuum contegendum.

Matinum. Matini populi sunt Apuliæ, in Lucaniæ finibus; ubi flores apibus idonei.

Parva munera. Parvum sepulchrum, quod munus et officium mortuis viventes præstant.

7. *Occidit, etc.* Responsio est Architæ.

Pelopis genitor. Tantalus Phrygiæ rex, qui, cùm Deos in terris peregrinantes hospitio excepisset, ut certo aliquo argumento divinitatem eorum experiretur, filium suum cæsum illis epulandum apposuit; revocandum ab illis ad vitam non dubitans, si Dii essent. Feralem escam cùm cæteri Dii refugissent, sola Ceres Pelopis humerum dextrum absumpsit. Quare Jupiter cùm Pelopem ad vitam revocasset, humerum illi eburneum restituit: patrem verò tanti sceleris auctorem ad inferos detrusit, ubi Eridani fluvii aquis mento tenus immersus, et pendentibus ab arbore capiti imminente pomis, perpetuâ tamen fame ac siti cruciatur, desidentibus, dum ammovere labra tentat, aquis, pomis sublimè, dum ea captat, avolantibus.

8. *Thithonus.* Laomedontis Trojanorum regis filius, Memnonis pater, quem Aurora, ejus amore capta, rapuit, curruque sublatum vexit in Æthiopiam. Senio confectus, post longissimam, quam petierat ab Aurorâ, vitam, in cicadam denique mutatus fingitur ab aliis, extabuisse diuturno senio dicitur, et veluti fumus evanuisse.

Tartara Panthoïden, iterum Orco
Demissum; quamvis clypeo Trojana refixo
Tempora testatus, nihil ultra

quicum arcana sua Jupiter communicavit; demum ipse Pythagoras, qui se Panthoi filium Euphorbum fuisse, ac vixisse temporibus Trojani belli testabatur, ostendens clypeum, quem

10. *Panthoïden.* Pythagoras philosophus fuit Samius, Mnesarchi filius, qui post Ægyptum, Babylonem, Spartam, aliasque celeberrimas orbis terrarum urbes ac regiones, discendi studio lustratas, cùm in Samum insulam Ægei maris, patriam suam, revenisset, eamque à Polycrate tyranno videret occupatam, secessit in Italiam, delectâque sede apud Crotoniatas, philosophiam ibi est professus, quo tempore Servius Tullus Romæ regnabat. Primus docuit μετεμψύχωσιν, id est, animarum transfusionem in alia corpora; idque ut persuaderet, affirmabat primùm se Æthalidem, Mercurio natum fuisse; deinde Euphorbum Panthoi ducis Trojani, Hecubæ fratris, filium, qui à Menelao est interfectus; postea Hermotimum, etc.

Iterum Orco Demissum. Videlicet primò, cum esset Euphorbus; iterum verò, cùm esset Pythagoras: de hac enim geminâ tantum metempsychosi Pythagoræ loquitur hoc in loco Horatius.

Orco demissum. Quia nempe ejus anima, toties fuerat ad inferos delapsa, et inde toties revocata, quoties ab uno corpore in aliud translata erat. Vel, etsi anima ad Orcum demissa non fuisset, saltem simulacrum et imago, eò deduxerat.

11. *Quamvis, etc.* Ita Pythagoras de se ipse canit apud Ovid. XV. Metam. numero meo 111. *Ipse ego, nam memini, Trojani tempore belli Panthoïdes Euphorbus eram; cui pectore quondam Hæsit in adverso gravis hasta minoris Atridæ: cognovi clypeum lævæ gestamina nostræ, Nuper Abantiadis, templo Junonis, in Argis.* Hunc porrò Euphorbi clypeum Menelaüs, inter cætera Trojanorum spolia, in templo Junonis fixerat: Pythagoras verò refixerat, id est, detraxerat, et suum olim, cùm esset Panthoï filius, fuisse agnoverat.

12. *Nihil ultra, etc.* Corpore solo veluti mortuus erat, animâ in aliud corpus transeunte, et ibi vitam recentem inchoante. Animas enim suas Pythagorei dicebant non modò esse immortales, quod philosophi cæteri, si fortè Epicureos exeipias, non negabant, sed corpori semper alicui junctas, et integræ vitæ compotes esse: quippe animæ quasi dimidiatam tantùm vitam habent cùm sunt à corpore separatæ; plenam et totam, cùm eidem insertæ.

Nervos atque cutem morti concesserat atræ;
Judice te, non sordidus auctor
Naturæ verique. Sed omnes una manet nox,
Et calcanda semel via lethi.
Dant alios Furiæ torvo spectacula Marti:
Exitio est avidis mare nautis:
Mista senum ac juvenum densantur funera: nullum
Sæva caput Proserpina fugit.
Me quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis.

e Junonis templo detraxerat, et quem à se, tunc Euphorbo, gestatum dicebat; is, inquam, licet minima sui parte, et solo corpore esset mortuus, iterum tamen occidit, ac delapsus est ad inferos, homo, ut ipse censes, maximæ auctoritatis, in iis quæ ad rerum naturalium et veritatis cognitionem pertinent. Nimirum eâdem omnes aliquando involvendi nocte sumus, omnibus imposita moriendi necessitas est, hæc via semel terenda. Sunt, quos Furiæ in bellum ac cædes medias rapiunt, ut Martem sævum oblectent hoc veluti ludo et spectaculo: nautæ, dum lucro inhiant, marinis procellis pereunt: crebra juvenum pariter ac senum funera efferuntur: nulli manus diras Proserpina non injicit, nullum præterit. Me quoque auster procellosus, qui Orionem cadentem comitari solet, Illy-

17. *Spectacula.* Haud secus atque gladiatores populo ad spectaculum exhibentur. Furiæ porro, sive Eumenides, Noctis filiæ, tres à Poëtis numerantur, Alecto, Megæra et Tisiphone. In bello furor magis, quàm ratio, dominatur.

19. *Nullum caput, etc.* Fingebant hoc esse jus Proserpinæ inferorum reginæ, Plutoni uxoris, ut quoties aliquis obiret, illi crinem è capite auferret, eumque sic orco addiceret. Virgil. Lib. IV. Æneid. versu 698.

21. *Orionis.* Venator insignis fuisse dicitur, qui à scorpione vulneratus, vel à Dianâ, cui vim inferre tentabat, sagittis confixus, in cœlum translatus est, et prope Tauri sidus collocatus. Constat hoc Orionis signum stellis sexdecim, et magnas, cùm oritur occiditve, tempestates concitat; unde *nimbosus Orion* vocatur à Virgilio, et hìc, datur illi comes Notus, meridianus ventus ater et procellosus.

Devexi. In occasum proni.

22. *Illyricis.* Illyris, sive Illyrium, et Illyricum, est Europæ regio ampla, ad dextrum Adriatici maris latus clauditur, à Septentrione, Histriâ et Germaniâ; ab Oriente, Pannoniâ, Macedoniâ, et Albaniæ parte. Hodie Sclavonia dicitur, seu Dalmatia

At tu, nauta, vagæ ne parce malignus arenæ
Ossibus et capiti inhumato
Particulam dare. Sic, quodcumque minabitur Eurus
Fluctibus Hesperiis, Venusinæ
Plectantur sylvæ, te sospite: multaque merces,
Unde potest, tibi defluat æquo
Ab Jove, Neptunoque sacri custode Tarenti.
Negligis immeritis nocituram
Postmodo te natis fraudem committere? forsan
Debita jura, vicesque superbæ
Te maneant ipsum; precibus non linquar inultis,
Teque piacula nulla resolvent.

rici maris fluctibus naufragum hausit. At tu, ô nautâ, noli esse parcus in arenâ cadaveri meo insepulto aspergendâ. Faxint vicissim Superi, ut quascumque Eurus procellas parat, intentatque Italo mari, illæ in Venusina nemora, te salvo atque illæso, desæviant: ut lucri plurimùm facias, ubicumque fas erit, propitio Jove, ac favente tibi Neptuno, cujus in fide tutelâque Tarentum est. An meas preces negligis et scelus hoc admittere non times, quasi non tibi, sed tuis duntaxat filiis ac nepotibus licèt immerentibus, exitio futurum sit? Tu ipse forsan lues illud ac parem pœnam dependes: non irritum erit quodcumque tuo capiti malè precabor, nec ullis sacrificiis illud avertes, ac piabis. Age, moram longiorem non afferet id quod

l'*Esclavonie*. Ab eâ vocabatur olim Illyricus sinus, qui hodie Adriaticus nuncupatur, *le Golfe de Venise*. Ejus tamen maris pars ubi Drilo fluvius se exonerat, propriè dicta est sinus Illyricus, *le Golfe du Drin*.

23. *Malignus*. Vel, est inhumanus; vel ut reor, parcus: opponitur enim *benigno* cujus ea vis est ut eleganter significet largum et liberalem.

Venusinæ. Venusia Apuliæ oppidum est, Horatii patria; non procul à finibus Lucaniæ, in Italiâ.

29. *Tarenti*. Conditum fuerat Tarentum à filio Neptuni, qui proinde in eâ præcipuè colebatur. Nunc vocatur *Tarente*.

31. *Fraudem*. Ea vox significat interdum culpam et noxam; interdum exitium et pœnam.

32. *Debita jura, etc.* Videtur hoc esse jus quoddam, lexque naturalis, ut qui aliquem damno vel injuriâ affecit, eâdem plectatur pœnâ.

Vices superbæ. Pœnæ superbo et immani facto vicissim debitæ.

34. *Piacula*. Victimæ, sacrificia, quibus homines, Numine placato, liberantur metu

Quamquam

Quamquam festinas, non est mora longa; licebit
Injecto ter pulvere curras.

postulo. Etsi properas, poteris ubi meo corpori ter pulverem injeceris, institutam navigationem brevi repetere.

ritis pœnis. *Des sacrifices d'expiation.*

36. *Ter.* Pertinebat ad religionem et sepulturæ cæremoniam iste numerus.

Curras. Currere, pro navigare, Latini dicunt non poëtæ solum, sed etiam oratores.

Ode XXIV.

Iccius quidam, Horatii amicus, è philosopho miles factus erat: hunc vates ridet.

Icci, beatis nunc Arabum invides
Gazis, et acrem militiam paras
Non ante devictis Sabææ
Regibus, horribilique Medo
Nectis catenas. Quæ tibi virginum,

O Icci, nunc inhias Arabum opibus, teque ad bellum sedulo accingis; Sabæorum regibus non domitis hactenus à populo Romano, Parthisque immanibus, vincula præparas. Quæ-

1. *Icci.* Ælius Largus ab Augusto missus in Arabiam cum exercitu fuit anno ab Urbe condità septingentesimo trigesimo. In ejus copiis fecit stipendia iste Iccius.

Arabum. Est Arabia regio Asiæ amplissima: Ægyptum et mare Erythræum habet ab Occidente; ab Ortu Persidem et sinum Persicum; Oceanum à Meridie; à Septentrione Palæstinam, sive Judæam. Tres in partes vulgò dividitur; quarum quæ Ægypto et Judææ proxima est, vocatur *Petræa*, ab urbe Petrâ. Altera pars, Petrææ proxima, vocatur *Deserta*. Tertia vocatur *Felix*, et Meridiem Oceanumque versùs protenditur, solo feracissimo, et rerum omnium frugumque ditissimo.

3. *Sabææ.* Sunt Populi Felicis Arabiæ. Eorum regio thure abundat. Quamvis autem nonnulli jam reges Arabum à Romanis victi fuissent, ut Aretas à Pompeio, etc. nondum tamen in Sabæam, quæ pars Arabiæ interior et remotior est, arma Romana penetraverant.

Sponso necato, barbara serviet?
Puer quis ex aulâ capillis
Ad cyathum statuetur unctis,
Doctus sagittas tendere Sericas
Arcu paterno? Quis neget arduis
Pronos relabi posse rivos
Montibus, et Tiberim reverti;
Cùm tu coëmptos undique nobiles
Libros Panæti, Socraticam et domum,
Mutare loricis Iberis,
Pollicitus meliora, tendis?

nam erit ex illis gentibus barbaris mulier, quam, ejus interfecto viro, abduces in servitutem? Quem adolescentem in regiâ educatum aulâ, et ad emittendas arcu sagittas à patre diligenter institutum, jubebis tibi pincernam esse, bene comptum atque crinibus odorato unguento delibutis nitidum? Nemo jam profectò negaverit flumina, quæ ex altis montibus feruntur prona et declivia, posse sursum labi et refluere ad eorumdem montium verticem; ipsumque Tiberim posse in suum reflecti fontem et caput, siquidem tu, qui paulo ante philosophica celeberrimi Panætii scripta mercatus undique fueras, et libros à Socratis discipulis elaboratos; jam iisdem abjectis, et deposito meliore litterarum, quod velle te amplecti significaras, studio, loricam induere cogitas.

9. *Sericas.* Seres Indiæ populi sunt, utuntur maximè arcu. Itaque *Sericas sagittas tendere peritum* accipe pro eximio jaculatore.

14. *Panæti.* Fuit Panætius philosophus Stoïcus; è Rhodo insulâ oriundus. Scripsit libros de Officiis, quos imitatus est Cicero. Romæ Scipionem erudivit.

Socraticam domum. Proseminatos à Socrate philosophos intelligit, ut Platonem, Xenophontem, etc. Socrates porro Atheniensis fuit: philosophiam quæ mores format præsertim excoluit. Accusatus ab Anytho quodam viro divite et improbo, quòd de Diis malè sentiret, capitis damnatus est ac bibere venenum confectum è cicutæ succo jussus, pótionem letiferam impavidus hausit, gallum Æsculapio debere se dictitans, hanc enim avem immòlabant olim Æsculapio qui morbo levabantur.

15. *Iberis.* Hispanis; sic dictis à fluvio Ibero, *Ebre*, qui ortus in Castellæ veteris finibus, Catalaniamque perfluens, in Mare mediterraneum effunditur prope Tortosam. Callebant Hispani ferrum tingere, et arma fabricare.

Ode XXV.

Glycera, Horatii amica, ædiculam Veneri dedicaverat, eique sacrificabat. Rogat vates Venerem, ut adesse ne gravetur.

O Venus, Regina Cnidi, Paphique,
Sperne dilectam Cypron, et vocantis
Thure te multo Glyceræ, decoram
Transfer in ædem.
Fervidus tecum puer, et solutis
Gratiæ zonis, properentque Nymphæ,
Et parum comis sine te Juventas,
Mercuriusque.

O Venus, quæ in urbibus Cnido et Papho præ cæteris Numinibus coleris, relinque Cyprum insulam tibi carissimam, et in ornatissimum Glyceræ sacellum, in quod illa te vocat, magnamque tibi copiam thuris adolet, concede. Veniat tuus tecum Cupido, et Gratiæ discinctis vestibus, ac Nymphæ cum Mercurio et Juventute, quæ, si absis, parum est hilaris et festiva.

1. *Cnidi*: Cnidus. (*Gnido*) est urbs Asiæ minoris Veneri sacra, in regione quæ Caria dicitur.

Paphi. Est oppidum in Cypro insulà, inter Ciliciam et Syriam posita. In eâ urbe Venus præcipuè colebatur, ac velut imperitabat.

7. *Juventas.* Dea præses Juventutis. Hebe quoque vocabatur à voce Græcâ ἥβη, *pubertas*, Herculis fuisse uxor fingitur.

8. *Mercurius.* Veneri comes additur, quia nihil est amore disertius.

Ode XXVI.

Sanam in corpore sano mentem petit ab Apolline.

Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates? quid orat, de paterâ novum
Fundens liquorem? non opimas
Sardiniæ segetes feracis:
Non æstuosæ grata Calabriæ
Armenta: non aurum, aut ebur Indicum:
Non rura, quæ Liris quietâ
Mordet aquâ, taciturnus amnis.

Quidnam poscit ab Apolline, cui templum nupperrimè consecratum fuit, Horatius poëta ipsi carissimus? Quid eum rogat, cùm sacrificium ipsi facit, vini de Scypho profusi, primitias offerens? Non peto ut impleantur mea horrea messibus è Sardiniâ collectis: non ut mei sint greges omnes,

1. *Dedicatum.* Anno ab urbe cònditâ 726. Augustus Cæsar, victis ante triennium Antonio et Cleopatrâ, ope, ut putabat, præsertim Apollinis, ei templum in Palatino excitavit dedicavitque; eodemque loco bibliothecam libris omnibus instructam adornavit.

2. *Novum liquorem.* Intellige mustum et primitias vini: vel vinum integrò et recenti è dolio haustum; vel, quòd tunc primum in eo templo offerretur: vel denique, præstans et generosum. Sic Virgilius vinum eximium appellat *novum nectar*, Eclog. V. versu 71.

3. *Fundens, etc.* Ista vini effusio in aram vel humum, dicebatur libatio, et sacrificii genus quoddam erat. Liquor enim effusus perit, ac modo quodam immolatur.

4. *Sardiniæ.* Est insula è regione Italiæ ad Occidentem à Corsicâ modico freto disjuncta, *La Sardaigne.* In eâ cœlum grave, fertiles agri, urbs primaria *Caralis.*

5. *Calabriæ.* Extrema hæc Italiæ regio est, *La Calabre:* pars regni Neapolitani. Pascuis abundat.

6. *Indicum.* India pars Asiæ maxima; ad Fluvios Indum et Gangem, aurò, ebore, gemmis et aromatis dives.

7. *Liris.* Italiæ fluvius Latium à Campaniâ et Samnio separans, nunc vocatur *Garigliano.*

Premant Calenâ falce, quibus dedit
Fortuna', vitem: dives et aureis
Mercator exsiccet culullis
Vina Syrâ reparata merce,
Dîs carus ipsis: quippe ter et quater
Anno revisens æquor Atlanticum
Impunè. Me pascunt olivæ,
Me cichorea: levesque malvæ.
Frui paratis et valido mihi
Latoë, dones, et, precor, integrâ
Cum mente: nec turpem senectam
Degere, nec citharâ carentem.

qui siticulosos Calabriæ agros depascuntur; non aurum posco, vel ebur, quo abundat India; non fertiles campos, per quos Liris leniter ac placidè volvitur. Putent, per me licet, vineas Calenas cultello instar falcis incurvo, quibus eas largita est Fortuna. Institor locuples aureis loculis exhauriat vina, quæ advectis è Syriâ mercibus redemit; quem præsentibus ac propitiis uti Diis vel ex eo intelligas, quòd per annum ter quaterve decurrat absque naufragio Atlanticum Oceanum. Olivis ego vescor, cichoreâ, malvisque: has mihi epulas et opes modicas paravi: quibus ita per te mihi frui liceat, ô Latonæ fili, ut valeam corpore pariter ac mente; itemque ut famam et gloriam hactenus collectam, et condendorum carminum facultatem vel in ipsâ senectute conservem.

9. *Calenâ.* Calenum, Sabinorum in Italiâ oppidum, cujus ager vitibus dives.

12. *Reparata.* In locum priorum, quæ exhausit, empta: permutatis cum vino mercibus advectis è Syriâ, quæ est pars Asiæ intra Ciliciam, Euphratem, Ægyptum, et Arabiam.

14. *Atlanticum.* Africanum ad litus Mauritaniæ, ubi mons Atlas.

16. *Leves malvæ.* Quia levant alvum ac solvunt.

18. *Latoë.* Latona, Græcis Λητὼ mater Phœbi et Dianæ. Hinc Latoüs, Epithetum Apollinis.

ODE XXVII.

Lyram suam compellat, hortaturque ad carmen aliquod pangendum.

POSCIMUS, si quid vacui sub umbrâ
Lusimus tecum, quod et hunc in annum
Vivat et plures; age, dic Latinum,
Barbite, carmen,
Lesbio primum modulate civi:
Qui ferox bello, tamen inter arma,
Sive jactatam religarat udo
Littore navim,

AGedum, ô mea lyra, si quos tecum otiosus et in umbrâ [illegible]nsidens versiculos cecini. qui utinam et hoc et aliis deinceps annis compluribus conserventur et vigeant; oro te, ut quidpiam nunc Latini carminis promas. Te primus omnium usur-[illegible] modulandos versus lyricos Alcæus, oriundus è Lesbo [illegible] insulâ, qui sive in medio armorum tumultu versaretur, homo bellicosus et assuetus militiæ; sive in aliquo portu constitisset à longâ et difficili navigatione conquiescens, Bacchum, Musas,

1. *Poscimus.* Testatur Lambinus in omnibus fere libris manuscriptis legi *Poscimur.* Si placet hæc scriptura, interpretare : Rogant me amici ut aliquid ludam; ades ô lyra mea, morem illis geramus.

5. *Lesbio.* Alcæus, poëta Græcus, dicitur princeps invenisse lyricum carmen Græcum, quod ab eo vocatum Alcaicum. Erat is patriâ Mitylenæus, quæ civitas, hodie *Metelin*, est primaria insulæ Lesbi, in mari Ægæo. Gravia gessit cum Atheniensibus bella, et Pyttacum tyrannum Mitylenis expulit, non melior poëta quàm miles.

Modulate. Sumitur hîc in patiendi significatione: Qui modulis temperatus fuisti aptatus fidibus consonis, etc. *touché par Alcée.*

7. *Religarat.* Idem valet ac ligaverat, non verò solverat, ut vult nuperus interpres. Sic Satyrâ 5. Lib. I. scribit idem Horatius :

Retinacula mulæ
Nauta piger saxo religat.

Et hoc ipsa loci hujus sententia docet : opponit enim Vates armorum tumultum, otio et quieti confectæ navigationis.

Liberum, et Musas, Veneremque, et illi
Semper hærentem puerum canebat;
Et Lycum nigris oculis, nigroque
Crine decorum.
O decus Phœbi, et dapibus supremi
Grata testudo Jovis, ô laborum
Dulce lenimen, mihi cumque salve
Rite vocanti.

Venerem et Cupidinem, qui ab eâ nunquam discedit, ac Lycum nigris oculis ac nigra cæsarie spectandum cantitabat. O cithara, quâ Phœbus gloriatur, quam rerum potens Jupiter suis epulis libenter adhibet, ô solatium in ærumnis omnibus suavissimum, sis bona felixque mihi, quandocumque te, ut par est, invocabo.

14. *Testudo.* Piscis est, ab ingenti, quâ tegitur, testâ dictus. Ex ejusmodi testâ lyram confecisse fertur Mercurius, additis filis et nervis, qui, ob testæ concavum sinum, non insuaves edebant sonos.

15. *Cunque.* Quovis tempore, quovis loco. Ista vocula jungitur vulgò aliis, v. g. ubicunque, quandocumque : à poëtis interdum separatur, per Tmesin, Mihi te vocanti cumque, id est, ubicunque te, et quandocumque appellanti, præsto sis.

ODE XXVIII.

Salutari Numinis timore correptus, Providentiam, quam olim cum Epicureis negaverat, agnoscit.

PARCUS Deorum cultor, et infrequens,
Insanientis dum sapientiæ
Consultus erro, nunc retrorsum

EGo, qui olim superis cultum parcè ac rarò adhibebam, dum gravi tenebar errore, quo me philosophia demens imbuerat;

2. *Insanientis sapientiæ.* Philosophiam intelligit Epicuri, qui Providentiam divinam negabat.

3. *Retrorsum vela dare.* Mutare sententiam. Stoïcorum philosophiam iterum amplecti, quam deserueram, ut genio indulgerem, negatâ Dei Providentiâ. Quo enim pacto pius esse potest ac probus, qui Deum aut nullum esse, aut res humanas non curare putat?

Urbesque, gentesque, et Latium ferox,
Regumque matres barbarorum, et
Purpurei metuunt Tyranni:
Injurioso ne pede proruas
Stantem columnam: neu populus frequens
Ad arma cessantes, ad arma
Concitet, imperiumque frangat.
Te semper anteit sæva Necessitas,
Clavos trabales, et cuneos manu
Gestans ahenâ; nec severus
Uncus abest, liquidumque plumbum.
Te Spes et albo rara Fides colit
Velata panno; nec comitem abnegat,

navigat: tuum numen timent Daci bello feroces, Scythæ incertis vagantes sedibus, urbes magnæ ac populi; timent Latini bellicosi, necnon matres barbarorum regum, et ipsi demum reges purpurâ, cæterisque majestatis insignibus conspicui. Oro te, atque obtestor ne Romanum imperium, quod nunc floret, atque instar columnæ stat, aliquo infelici casu concutias ac deturbes; neve inquieta multitudo cives pacatos ad arma iterum sumenda provocet, ac rempublicam evertat. Te semper antecedit dura Necessitas, instructa uncis præduris, plumbo, clavis ingentibus et cuneis, quos ferreâ manu gerit. Te assectatur vulgò Spes, necnon Fides, candidis induta vestibus, quæ licèt in

10. *Latium.* Pars Italiæ, ubi Roma. In eâ Saturnum à Jove pulsum latuisse perhibent: unde Latio nomen.

12. *Tyranni.* Ea vox apud veteres Latinos odiosa non erat, ac pro rege aut principe accipiebatur.

17. *Necessitas.* Ideo præire Fortunæ Necessitatem dicit, quia putabant neminem resistere posse Fortunæ.

18. *Trabales.* Quibus compingi trabes solent, atque adeo validos et prægrandes. *Clavos* autem gerit Necessitas, quia ita res componit, nectitque, ut refigi ac dissolvi nequeant: *Cuneos*, quia omnia distringit; cuneus enim, *un coing*, est ferrum in aciem latam desinens, quo finduntur ligna. Uncus, *un croc*, servit rebus validè trahendis, aut inter se nectendis: quales sunt hami quidam ferrei quibus saxa firmissimè continentur. Utebantur etiam antiqui unco ad cruciatus, et maleficiorum pœnas. Plumbo committuntur lapides, etc.

19. *Ahenâ.* Forti, durâ, æris instar: ineluctabili.

21. *Spes.* Quis enim non sperat in rebus, vel perditissimis?

Albo. Fides candida, simplex, et aperta debet esse.

Utcumque mutatâ potentes
Veste domos inimica linquis.
At vulgus infidum, et meretrix retro
Perjura cedit: diffugiunt cadis
Cum fæce siccatis amici,
Ferre jugum pariter dolosi.
Serves iturum Cæsarem in ultimos
Orbis Britannos, et juvenum recens
Examen, Eoïs timendum
Partibus Oceanoque rubro.
Eheu! cicatricum et sceleris pudet
Fratrumque. Quid nos dura refugimus

terris rara sit, non tamen te deserit, quandocumque potentium atria relinquis, ac vestem lætam albamque atræ mutas. Tunc enim fideles amici manent: At perfida plebs et meretrices, juratam fidem frangere nihil veritæ abscedunt; atque adeo illi omnes, quibus constantiæ satis non est ut sortem adversam, quasi jugum quoddam, unà cum amicis tolerent, in fugam se convertunt, postquam amicorum dilapidarunt opes, et eorum dolia fæce tenus exhauserunt. Fac igitur, ut Cæsarem in Angliam profecturum et recentes ejus copias, quas Parthi, et alii Orientis populi Erythræum accolentes mare, pertimescunt, omni calamitate ac periculo prohibeas. Hactenus bellum civile nos exercuerit, jam aliò Romana vertantur arma. Pudet nos, pudet tot, vulnerum in hoc ferali bello acceptorum, quorum nondum cicatrices obductæ sunt. Piget, pudetque tot admisisse crimina, fratrum sanguinem fudisse pudet. Quid sceleris heu! mortales miseri, hoc ferreo nati sæculo, non ausi sumus? Quid uspiam est rei sacræ, cui sacrilegas manus non injecerimus? Quid ab juvenum militari

23. *Mutatâ veste.* Fortuna prospera fingebatur uti candidis vestibus: adversa, nigris et pullis. Meretrix, *une Courtisanne.*

28. *Dolosi ferre.* Hellenismus: perfidi et fallaces, utpote qui non ferunt, etc. Sic ante dixit, *Præsens tollere*, id est, *potens ad tollendum.*

30. *Britannos.* Sic appellabatur Anglia; quam orbis esse finem ad Septentrionem credebant.

31. *Examen.* Propriè de apibus dicitur; metaphoricè de exercitu, et qualibet multitudine.

Eoïs. Orientalibus: ἑῷος: Eoüs, ἠώς, *aurora.* Parthos et Medos intelligit, qui cùm ante annos aliquot Crassum interemissent, exercitum hunc in se comparatum rebantur. Item Arabes, quibus bellum anno post tertio illatum.

Ætas? quid intactum nefasti
Liquimus? unde manus juventus
Metu deorum continuit? quibus
Pepercit aris? O utinam novâ
Incude diffingas retusum in
Massagetas Arabasque ferrum.

protervià tutum ac tectum fuit, aut cujus libidinem immanitatemque timor numinum compescuit? Ne aris quidem ipsis parcitum est. Utinam, ô Fortuna, tela nostra civili hebetata cæde, sic acuas iterum, et imposita rursum incudi reformes, ut eadem in Massagetas Arabesque convertas?

35. *Nefasti.* Idem est quod nefandi, infelices, scelesti. Illa vox propriè dicebatur de quibusdam diebus, quibus claudebatur forum, neque licebat prætori fari verba solennia, *Do, Dico, Addico.*

39. *Diffingas.* Ea vox interdum significat corrumpere, destruere : hìc sonat, recudere, reformare, iterum fingere. *Reforger, remettre à la forge.*

Retusum, hebetatum, *émoussé.*

40. *Massagetas.* Massagetæ, Scythiæ populi erant.

ODE XXX.

Platio Numidæ, amico suo, ex Hispaniâ reduci gratulatur.

Et thure, et fidibus juvat
Placare, et vituli sanguine debito,
Custodes Numidæ Deos:
Qui nunc Hesperiâ sospes ab ultimâ

Nunc, nunc decet incenso ad aras thure, dicendis carminibus, et immolato, quem Superis promissi, vitulo, gratias ipsis referre, quòd Numidam salvum et incolumem præstiterint: Qui modò ab extremâ Hispaniâ sospes reversus, amicos

4. *Hesperiâ.* Pars Europæ occidentalis, Hesperia sæpè dicitur, ab Hespero, stella quæ solem occidentem sequitur; vel Atlantis quodam filio, qui ibi regnavit. Hispania tamen ferè vocatur, ultima Hesperia : Italia verò Hesperia magna, vel proxima.

Caris multa sodalibus,
Nulli plura tamen dividit oscula,
Quàm dulci lamiæ; memor
Actæ non alio rege puertiæ,
Mutatæque simul togæ.
Cressâ ne careat pulchra dies notâ:
Neu promptæ modus amphoræ,
Neu morem in Salium sit requies pedum:
Neu multi Damalis meri
Bassum Treïciâ vincat amystide:
Neu desint epulis rosæ,
Neu vivax apium, neu breve lilium.

osculatur, ac præ cæteris Lamiam, quicum pueritiam sub eodem rectore ac moderatore se traduxisse ac simul togam prætextam virili mutasse meminit. Age, dies tam felix lapillo candido notetur; promantur lagenæ, et affatim largèque hauriantur: neque choreis more Salio ducendis modus statuatur aut requies. Bassus, egregius ille potor, non sinat vinci se à Damali muliere vinosâ, et Thracium poculum uno haustu sorbere solitâ. Instruantur epulæ, ac rosis, apio, liliis, hilarentur.

9. *Togæ.* Romani pueri togam prætextam, id est, purpureo cinctam limbo, gestabant usque ad annum 17, quo sumebant virilem togam.

10. *Cressâ.* Cretensi. Cres, vir Cretensis; Cressa mulier. In Cretâ insulâ nascitur terra quædam alba, quâ Thraces solebant faustos vitæ suæ dies notare: cùm infaustos contra, nigris lapillis in urnam conjectis, numerarent.

11. *Promptæ.* Id est, quæ citò et sine morâ petenti detur: vel, è cellâ vinariâ depromptæ.

12. *Morem in Salium.* Ut solent Salii. Erant illi sacerdotes Martis, à saliendo sic appellati, quia certis anni temporibus, saltationem quandam obibant Romæ in honorem Martis, ter pede humum pulsantes agilitate summâ.

13. *Multi meri.* Vino præter modum indulgere solita.

14. *Amystide.* Ἄμυστις, vox Græca est, significans poculi quoddam genus quod uno quasi spiritu et labris non clausis ebibebatur, ab α privante, et μύζω, os claudo. Unde adverbium ἀμυστὶ, et sine respiratione, tractim, uno spiritu, sine interspiratione. Eo poculo utebantur Thraces, vinosi homines et ebriosi.

16. *Vivax.* Quod diu viret et quasi vivit. Contra lilium *breve* dicitur, quia citò marcescit ac decidit. Apium, *du persil, de l'ache.*

Ode XXXI.

Triumphat gaudio propter extinctam, quæ cladem imperio Romano parabat, Cleopatram.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus : nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, sodales.
Antehac nefas depromere Cæcubum
Cellis avitis, dum Capitolio
Regina dementes ruinas,

Nunc potandum, nunc demum choreis indulgendum est, ô amici; nunc tempus est opipara et exquisita fercula, qualia Saliis apponuntur, Deorum templis inferre. Piaculum antea fuisset vinum Cæcubum è vetustis horreis inducere, dum Cleopatra Ægypti Regina cœco furore abrepta, Capitolium evertere

2. *Saliaribus.* Erat Romæ pervagatum, Salios opipare vesci; adeo ut cœnæ Saliares pro exquisitis et sumptuosis dicerentur.

3. *Pulvinar.* Sacculum ea vox significat plumâ, vel tomento molli fartum, qui subjici solet capiti, aut cubito cubantium, *un coussin, un carreau.* Id porro moris Romæ erat ut devictis hostibus, aut re quovis alio modo bene gestâ, sternerentur in templis lectuli, et in iis collocarentur Deorum statuæ pulvinis impositæ; ut iis à populo supplicaretur : imo apponebantur dapes opimæ, quasi Diis, in communi lætitiâ, epulaturis : atque istas fortasse Saliares vocat, id est, à Saliis sacerdotibus procurari et apponi solitas.

5. *Cæcubum.* Cæcubi agri sunt in Campaniâ Italâ, prope urbem Fundos : ubi vina olim optima.

Capitolio. Erat Capitolium, templum Jovis in clivo Tarpeio, ita dictum quòd dum jacerentur ejus fundamenta, in iis hominis caput inventum esset.

7. *Regina.* Cleopatra, Ægypti regina, quam Antonius adamavit : quod cùm ægrè ferret Augustus, cujus sororem Octaviam Antonius duxerat, bellum inter eos coortum est. Commissâ navali ad Actium, Epiri promontorium (nunc *Capo Figalo* dictum) pugnâ, victus Antonius se in fugam cum

Funus et Imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum, quidlibet impotens
Sperare, fortunâque dulci
Ebria. Sed minuit furorem
Vix una sospes navis ab ignibus;
Mentemque lymphatam Mareotico
Redegit in veros timores
Cæsar, ab Italiâ volantem
Remis adurgens, (accipiter velut
Molles columbas, aut leporem citus
Venator in campis nivalis

ac Romanum Imperium delere meditabatur cum suâ spadonum cohorte impurâ; tam vecors et rebus aliquot prosperè gestis velut inebriata, ut nihil sperare non auderet. Sed illius præcipitem insaniam compressit amissa classis, et naves ferme omnes incensæ. Ipsam hausto intemperantiùs Ægyptio vino furentem, et oblitam periculi, vero timore perculit Cæsar, ab Italiâ velis remisque fugientem properè insecutus, instar accipitris timidum columbarum gregem, aut venatoris leporem per

Cleopatrâ, quæ intererat, conjecit, ac post paulo necem sibi ipse intulit. Hunc imitata Cleopatra aspidibus corpori admotis, ne viva caperetur, se interemit, anno U. C. 723.

10. *Morbo.* Libidine ac spurcitiâ inquinatis Eunuchis.

Impotens sperare. Græca locutio est. Ita impotens, ita sui non compos, ut omnia sibi adpromitteret.

14. *Lymphatam.* Furiosi appellantur lymphati, quia, lymphas, sive aquas, fugiunt et horrent, ii præsertim quos canis rabiosus appetierit. Vel, quia creditum est ab veteribus, quia Nymphas (erant illæ fontium Deæ) aut earum speciem in fonte vidissent, eos furore corripi.

14. *Mareotico.* Subaudi, *vino:* quod generosum in primis nascebatur prope Mareotidem Ægypti paludem, *Lago di Buchiara.* Est et Ægypti regio, eodem nomine dicta, Mareotis. Multi meri erat ista Cleopatra, itemque Antonius.

15. *In veros timores.* Ipso pugnæ Actiacæ initio fugam meditabatur Cleopatra parum sollicita quâ ratione Antonius se expediret; atque adeo sexaginta navibus per medium agmen elapsa fugit: sed cùm vidit sibi instare missas à Cæsare Liburnicas, tunc verè timere cœpit.

16. *Ab Italiâ volantem.* Ab eâ nimirum Epiri parte, quæ Italiam respicit. Ipse quidem Cæsar Cleopatram insecutus

Æmoniæ), daret ut catenis
Fatale monstrum; quæ generosiùs
Perire quærens, nec muliebriter
Expavit ensem, nec latentes
Classe citâ reparavit oras.
Ausa et jacentem visere regiam
Vultu sereno fortis, et asperas
Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum;
Deliberatâ morte ferocior:

Thessaliæ agros nive oppletos, insectantis. Id quidem agebat Augustus, ut hoc ferale monstrum caperet vivum et in vincula conjiceret: sed illa nobiliorem oppetere mortem gestiens, neque horruit, ut mos fœminis, nudum ensem arripere, quo sibi vitam, si liceret, adimeret; neque veloci classe petiit remotas interioris Ægypti partes, ubi repararet, exercitum, et arces, ad instaurandum bellum, communiret; sed suam ipsius regiam, domumque, rebus desperatis profligatam, non dubitavit invisere, lætitiam ipso vultu forti et generoso præ se ferens, ac lethiferos angues manibus contrectare, et admovere bracchiis ausa est, ut eorum veneno in corpus admisso periret, eò animosior, quòd necem hanc sibi afferre certum jamdiu et constitutum haberet: nimirum quia mulier superba, et summo loco

non est: sed, ut dixi, misit è suis navibus quæ ipsam insequerentur.

20. *Æmoniæ.* Thessaliæ, quæ est pars Græciæ, ita vocatæ ab quodam ejus principe Æmone.

21. *Fatale monstrum.* Fato quodam et irâ Superum exortum. Exitiale, detestabile. Vel, Cæsari à fatis reservatum et debitum.

Monstrum. Cleopatram, belluæ instar furentem. Et verò monstri simile fuit, Romanum imperium ab unâ fœminâ in tantum periculum adduci potuisse.

23. *Expavit ensem.* Tentavit Cleopatra sibi necem consciscere arrepto satellitis gladio, aut illo ipso ense, quo præcincta erat, ut ait Plutarchus; sed ipsam Proculeïus, datus illi custos à Cæsare, prohibuit.

24. *Reparavit oras.* Urbes et loca regni sui remotiora et abdita non requisivit, recuperavit, iterum munivit ad aleam belli denuo tentandam. Cogitabat, Plutarcho teste, transferre classem in Arabicum sinum, et cum auro argentoque, ac magna suorum manu, in ignotas sedes migrare, bellumque ac servitutem, sic effugere; quòd cùm non successisset, id præcipuè moriens doluisse dicitur.

Sævis Liburnis scilicet invidens,
  Privata deduci superbo
    Non humilis mulier triumpho.

nata, invidebat hanc Cæsari gloriam, ut ab eo liburnis navibus in Italiam deportata, ibi, tanquam privata fœmina, regiis exuta insignibus et ornamentis, in triumpho duceretur.

3o. *Liburnis.* Subaudi, navibus. Liburnia fuit olim pars Illyrici, ad orientem Italiæ, prope Istriam. Ibi ædificabantur naves celeberrimæ, iisque potissimum usus est Augustus in Actiacâ pugnâ. Quocirca *Liburnas sævas* Horatius appellat, nempe Cleopatræ funestas, à quibus victa scilicet Ægyptiorum classis. Itaque novam illis gloriam invidebat, si se victam priùs, deinde etiam captam, ad triumphum deducerent.

ODE XXXII.

Servum admonet ut cœnam sine ambitioso apparatu struat.

Persicos odi, puer, apparatus:
Displicent nexæ phylirâ coronæ:
Mitte sectari, rosa quo locorum
  Sera moretur.
Simplici myrto nihil allabores

O Puer, non delector cœnâ magnificè et sumptuosè ut à Persis fieri solet, adornatâ: fastidio coronas è floribus phylyrâ nexis consutas: noli anxiè quærere quo in loco rosæ tardiores proveniant. Id unum volo, ut nihil ad myrtum obviam et para-

1. *Persicos.* Persæ populi sunt Asiæ, vicini Arabibus, à quibus sinu Persico dirimuntur.

Apparatus. Unguenta, v. g. odores, aulæa, et alias id genus operosas delicias.

2. *Philyrâ.* Est cortex intimus ac tenuissimus arboris tiliæ, *du tilleul*, qui ducitur in tæniolas, quibus nectuntur coronæ floreæ.

5. *Simplici.* Ramulo inornato, quo caput tuum meumque implices.

Myrto. Est arbuscula Veneri sacra: eadem odorata et fumos vini discutere credita.

ODE XXVII.

Lyram suam compellat, hortaturque ad carmen aliquod pangendum.

POSCIMUS, si quid vacui sub umbrâ
Lusimus tecum, quod et hunc in annum
Vivat et plures; age, dic Latinum,
Barbite, carmen,
Lesbio primum modulate civi:
Qui ferox bello, tamen inter arma,
Sive jactatam religarat udo
Littore navim,

AGedum, ô mea lyra, si quos tecum otiosus et in umbrâ considens versiculos cecini, qui utinam et hoc et aliis deinceps annis compluribus conserventur et vigeant; oro te, ut quidpiam nunc Latini carminis promas. Te primus omnium usurpavit ad modulandos versus lyricos Alcæus, oriundus è Lesbo insulâ, qui sive in medio armorum tumultu versaretur, homo bellicosus et assuetus militiæ; sive in aliquo portu constitisset à longâ et difficili navigatione conquiescens, Bacchum, Musas,

1. *Poscimus.* Testatur Lambinus in omnibus fere libris manuscriptis legi *Poscimur.* Si placet hæc scriptura, interpretare : Rogant me amici ut aliquid ludam ; ades ô lyra mea, morem illis geramus.

5. *Lesbio.* Alcæus, poëta Græcus, dicitur princeps invenisse lyricum carmen Græcum, quod ab eo vocatum Alcaicum. Erat is patriâ Mitylenæus, quæ civitas, hodie *Metelin*, est primaria insulæ Lesbi, in mari Ægæo. Gravia gessit cum Atheniensibus bella, et Pyttacum tyrannum Mitylenis expulit, non melior poëta quàm miles.

Modulate. Sumitur hîc in patiendi significatione: Qui modulis temperatus fuisti aptatus fidibus consonis, etc. *touché par Alcée.*

7. *Religarat.* Idem valet ac ligaverat, non verò solverat, ut vult nuperus interpres. Sic Satyrâ 5. Lib. I. scribit idem Horatius :

Retinacula mulæ
Nauta piger saxo religat.

Et hoc ipsa loci hujus sententia docet : opponit enim Vates armorum tumultum, otio et quieti confectæ navigationis.

Liberum, et Musas, Veneremque, et illi
Semper hærentem puerum canebat;
Et Lycum nigris oculis, nigroque
Crine decorum.
O decus Phœbi, et dapibus supremi
Grata testudo Jovis, ô laborum
Dulce lenimen, mihi cumque salve
Rite vocanti.

Venerem et Cupidinem, qui ab eâ nunquam discedit, ac Lycum nigris oculis ac nigra cæsarie spectandum cantitabat. O cithara, quâ Phœbus gloriatur, quam rerum potens Jupiter suis epulis libenter adhibet, ô solatium in ærumnis omnibus suavissimum, sis bona felixque mihi, quandocumque te, ut par est, invocabo.

14. *Testudo.* Piscis est, ab ingenti, quâ tegitur, testâ dictus. Ex ejusmodi testâ lyram confecisse fertur Mercurius, additis filis et nervis, qui, ob testæ concavum sinum, non insuaves edebant sonos.

15. *Cumque.* Quovis tempore, quovis loco. Ista vocula jungitur vulgò aliis, v. g. ubicumque, quandocumque: à poëtis interdum separatur, per Tmesin. Mihi te vocanti cumque, id est, ubicumque te, et quandocumque appellanti, præsto sis.

ODE XXVIII.

Salutari Numinis timore correptus, Providentiam, quam olim cum Epicureis negaverat, agnoscit.

Parcus Deorum cultor, et infrequens,
Insanientis dum sapientiæ
Consultus erro, nunc retrorsum

Ego, qui olim superis cultum parcè ac rarò adhibebam, dum gravi tenebar errore, quo me philosophia demens imbuerat;

2. *Insanientis sapientiæ.* Philosophiam intelligit Epicuri, qui Providentiam divinam negabat.

3. *Retrorsum vela dare.* Mutare sententiam. Stoïcorum philosophiam iterum amplecti, quam deserueram, ut genio indulgerem, negatâ Dei Providentiâ. Quo enim pacto pius esse potest ac probus, qui Deum aut nullum esse, aut res humanas non curare putat?

Vela dare, atque iterare cursus
Cogor relictos. Namque Diespiter
Igni corusco nubila dividens,
Plerumque per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum:
Quo bruta tellus, et vaga flumina,
Quo Styx, et invisi horrida Tænari
Sedes, Atlanteusque finis
Concutitur. Valet ima summis
Mutare, et insignem attenuat Deus,
Obscura promens: hinc apicem rapax

nunc retro navem flectere, et relictam repetere viam cogor. Enim vero Jupiter aliquis est, qui non solùm cœlo nubibus obsito, verùm etiam puro et sereno, tonat, igneumque currum agit fragore tanto, ut tellus, fluvii, ima tartara, et totus, ad ultimos usque fines, orbis contremiscat. Potest Deus res humanas ita mutare, ut quæ infimo in loco erant, extent in summo: qui eminebant cæteris, deprimantur; qui obscuri jacebant et ignobiles, emergant ac proferantur in lucem. Honores et

5. *Diespiter.* Jupiter; quasi diei pater.

6. *Igni, etc.* Qui tonare solet scissis nubibus.

7. *Per purum.* Existit tonitru collisis in nube vaporibus et exhalationibus, quæ interdum adeo sunt subtiles, ut non impediant quin cœlum appareat serenum et purum. Jam vero fulgura et tonitrua sic edita cœlo puro, antiqui, nescio quâ superstitione ducti, credebant esse dira et mali ominis. Vide Virgil. I. Georg. versu 491.

9. *Bruta tellus.* Licèt sensus omnis expers, videtur tamen Deum tonantem sentire et expavescere.

10. *Styx.* Fluvius, vel palus inferorum.

Invisi. Qui videri non potest, abditi.

Tænari. Tænarus, Tænari; sive Tænara, Tænarorum, est promontorium Laconiæ in Peloponneso. Ibi antrum ingens ostendebatur, per quod Herculés ab inferis rediisse, Cerberumque vinctum ad superos traxisse dicebatur: atque has esse inferorum fauces vulgò jactabant. Itaque pro ipsis inferis ea vox usurpatur à poëtis. Nunc ab indigenis vocatur *Capo Maina.*

11. *Atlanteus finis.* Veteres orbem non protendi ad Occidentem, ultra Oceanum Atlanticum existimabant.

13. *Deus.* Ea vox clarè docet Horatium hîc Epicureis non favere, qui Deum negabant de humanis rebus esse sollicitum.

14. *Apicem.* Summos honores, opes, et alia id genus, quæ inter humanas res eminent.

Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hîc posuisse gaudet.

insignia dignitatum aliis eripit Fortuna, non sine gravi tumultu, et ad alios transferre amat.

ODE XXIX.

Fortunam pro Cæsare et ejus exercitu deprecatur.

O Diva, gratum quæ regis Antium,
Præsens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos:
Te pauper ambit sollicitâ prece
Ruris colonus; te dominam æquoris,
Quicumque Bithynâ lacesssit
Carpathium pelagus carinâ.
Te Dacus asper, te profugi Scythæ,

O Dea, quæ apud Antium præcipuè coleris, eique urbi præsides; quæ hanc habes potestatem, ut quemlibet hominem ex infimâ conditione vitæ attollas ad supremam; contra verò in supremo positum loco et triumphantem, inopinâ morte dejicias, ejusque triumphum in funebrem pompam convertas. Te inops agricola precibus anxiis colit: te, ut mari imperitantem, deprecatur mercator quisquis æquor Asiæ minori objectum

1. *O Diva, etc.* Anno ab U. C. 727. Horatii 38. Octavius Cæsar Britanniam armis perdomare cogitavit, novisque copiis collectis in Gallias venit. Britanni, missis in Galliam legatis, pacem oraverunt.

Antium. Urbs in littore Tyrrheno, *Antio*, non procul Ostiâ, olim Volscorum caput.

5. *Ambit.* Ut candidati solent, blandiendo, rogitando, etc.

7. *Bithynâ.* Est Bithynia, minoris Asiæ pars.

8. *Carpathium, etc.* Insula inter Cretam et Rhodum: *Scarpanto.*

9. *Dacus.* Eam Daci obtinebant regionem, quam occupant nunc Valachi, Transylvani, et Moldavi: gens dira et barbara.

Scythæ. Populus Asiæ, ad Septentrionem: nunc Tartari.

Urbesque, gentesque, et Latium ferox,
Regumque matres barbarorum, et
Purpurei metuunt Tyranni:
Injurioso ne pede proruas
Stantem columnam: neu populus frequens
Ad arma cessantes, ad arma
Concitet, imperiumque frangat.
Te semper anteit sæva Necessitas,
Clavos trabales, et cuneos manu
Gestans ahenâ; nec severus
Uncus abest, liquidumque plumbum.
Te Spes et albo rara Fides colit
Velata panno; nec comitem abnegat,

navigat: tuum numen timent Daci bello feroces, Scythæ incertis vagantes sedibus, urbes magnæ ac populi; timent Latini bellicosi, necnon matres barbarorum regum, et ipsi demum reges purpurâ, cæterisque majestatis insignibus conspicui. Oro te, atque obtestor ne Romanum imperium, quod nunc floret, atque instar columnæ stat, aliquo infelici casu concutias ac deturbes; neve inquieta multitudo cives pacatos ad arma iterum sumenda provocet, ac rempublicam evertat. Te semper antecedit dura Necessitas, instructa uncis prædutis, plumbo, clavis ingentibus et cuneis, quos ferreâ manu gerit. Te assectatur vulgò Spes, necnon Fides, candidis induta vestibus, quæ licèt in

10. *Latium.* Pars Italiæ, ubi Roma. In eâ Saturnum à Jove pulsum latuisse perhibent: unde Latio nomen.

12. *Tyranni.* Ea vox apud veteres Latinos odiosa non erat, ac pro rege aut principe accipiebatur.

17. *Necessitas.* Ideo præire Fortunæ Necessitatem dicit, quia putabant neminem resistere posse Fortunæ.

18. *Trabales.* Quibus compingi trabes solent, atque adeo validos et prægrandes. *Clavos* autem gerit Necessitas, quia ita res componit, nectitque, ut refigi ac dissolvi nequeant: *Cuneos*, quia omnia distringit; cuneus enim, *un coing*, est ferrum in aciem latam desinens, quo finduntur ligna. Uncus, *un croc*, servit rebus validè trahendis, aut inter se nectendis: quales sunt hami quidam ferrei quibus saxa firmissimè continentur. Utebantur etiam antiqui unco ad cruciatus, et maleficiorum pœnas. Plumbo committuntur lapides, etc.

19. *Ahenâ.* Forti, durâ, æris instar: ineluctabili.

21. *Spes.* Quis enim non speret in rebus, vel perditissimis?

Albo. Fides candida, simplex, et aperta debet esse.

Utcumque mutatâ potentes
Veste domos inimica linquis.
At vulgus infidum, et meretrix retro
Perjura cedit: diffugiunt cadis
Cum fæce siccatis amici,
Ferre jugum pariter dolosi.
Serves iturum Cæsarem in ultimos
Orbis Britannos, et juvenum recens
Examen, Eoïs timendum
Partibus Oceanoque rubro.
Eheu! cicatricum et sceleris pudet
Fratrumque. Quid nos dura refugimus

terris rara sit, non tamen te deserit, quandocumque potentium atria relinquis, ac vestem lætam albamque atræ mutas. Tunc enim fideles amici manent: At perfida plebs et meretrices, juratam fidem frangere nihil veritæ abscedunt; atque adeo illi omnes, quibus constantiæ satis non est ut sortem adversam, quasi jugum quoddam, unà cum amicis tolerent, in fugam se convertunt, postquam amicorum dilapidarunt opes, et eorum dolia fæce tenus exhauserunt. Fac igitur, ut Cæsarem in Angliam profecturum et recentes ejus copias, quas Parthi, et alii Orientis populi Erythræum accolentes mare, pertimescunt, omni calamitate ac periculo prohibeas. Hactenus bellum civile nos exercuerit, jam aliò Romana vertantur arma. Pudet nos, pudet tot, vulnerum in hoc ferali bello acceptorum, quorum nondum cicatrices obductæ sunt. Piget, pudetque tot admisisse crimina, fratrum sanguinem fudisse pudet. Quid sceleris heu! mortales miseri, hoc ferreo nati sæculo, non ausi sumus? Quid uspiam est rei sacræ, cui sacrilegas manus non injecerimus? Quid ab juvenum militari

23. *Mutatâ veste.* Fortuna prospera fingebatur uti candidis vestibus: adversa, nigris et pullis. Meretrix, *une Courtisanne.*

28. *Dolosi ferre.* Hellenismus: perfidi et fallaces, utpote qui non ferunt, etc. Sic ante dixit, *Præsens tollere*, id est, *potens ad tollendum.*

30. *Britannos.* Sic appellabatur Anglia; quam orbis esse finem ad Septentrionem credebant.

31. *Examen.* Propriè de apibus dicitur; metaphoricè de exercitu, et qualibet multitudine.

Eoïs. Orientalibus: ἑῴοις: Eoïs, ἠὼς, *aurora.* Parthos et Medos intelligit, qui cùm ante annos aliquot Crassum interemissent, exercitum hunc in se comparatum rebantur. Item Arabes, quibus bellum anno post tertio illatum.

Ætas? quid intactum nefasti
Liquimus? unde manus juventus
Metu deorum continuit? quibus
Pepercit aris? O utinam novâ
Incude diffingas retusum in
Massagetas Arabasque ferrum.

protervâ tutum ac tectum fuit, aut cujus libidinem immanitatemque timor numinum compescuit? Ne aris quidem ipsis parcitum est. Utinam, ô Fortuna, tela nostra civili hebetata cæde, sic acuas iterum, et imposita rursum incudi reformes, ut eadem in Massagetas Arabesque convertas?

35. *Nefasti.* Idem est quod nefandi, infelices, scelesti. Illa vox propriè dicebatur de quibusdam diebus, quibus claudebatur forum, neque licebat prætori fari verba solennia, *Do, Dico, Addico.*

39. *Diffingas.* Ea vox interdum significat corrumpere, destruere: hìc sonat, recudere, reformare, iterum fingere. *Reforger, remettre à la forge.*

Retusum, hĕbetatum, *émoussé.*

40. *Massagetas.* Massagetæ, Scythiæ populi erant.

Ode XXX.

Platio Numidæ, amico suo, ex Hispaniâ reduci gratulatur.

Et thure, et fidibus juvat
Placare, et vituli sanguine debito,
Custodes Numidæ Deos:
Qui nunc Hesperiâ sospes ab ultimâ

Nunc, nunc decet incenso ad aras thure, dicendis carminibus, et immolato, quem Superis promissi, vitulo, gratias ipsis referre, quòd Numidam salvum et incolumem præstiterint: Qui modò ab extremâ Hispaniâ sospes reversus, amicos

4. *Hesperiâ.* Pars Europæ occidentalis, Hesperia sæpè dicitur, ab Hespero, stellâ quæ solem occidentem sequitur; vel Atlantis quodam filio, qui ibi regnavit. Hispania tamen ferè vocatur, ultima Hesperia: Italia verò Hesperia magna, vel proxima.

Caris multa sodalibus,
　　Nulli plura tamen dividit oscula,
Quàm dulci lamiæ; memor
　　Actæ non alio rege puertiæ,
Mutatæque simul togæ.
　　Cressâ ne careat pulchra dies notâ:
Neu promptæ modus amphoræ,
　　Neu morem in Salium sit requies pedum:
Neu multi Damalis meri
　　Bassum Treïciâ vincat amystide:
Neu desint epulis rosæ,
　　Neu vivax apium, neu breve lilium.

osculatur, ac præ cæteris Lamiam, quicum pueritiam sub eodem rectore ac moderatore se traduxisse ac simul togam prætextam virili mutasse meminit. Age, dies tam felix lapillo candido notetur; promantur lagenæ, et affatim largèque hauriantur: neque choreis more Salio ducendis modus statuatur aut requies. Bassus, egregius ille potor, non sinat vinci se à Damali muliere vinosâ, et Thracium poculum uno haustu sorbere solitâ. Instruantur epulæ, ac rosis, apio, liliis, hilarentur.

9. *Togæ.* Romani pueri togam prætextam, id est, purpureo cinctam limbo, gestabant usque ad annum 17, quo sumebant virilem togam.

10. *Cressâ.* Cretensi. Cres, vir Cretensis; Cressa mulier. In Cretâ insulâ nascitur terra quædam alba, quâ Thraces solebant faustos vitæ suæ dies notare: cùm infaustos contra, nigris lapillis in urnam conjectis, numerarent.

11. *Promptæ.* Id est, quæ citò et sine morâ petenti detur: vel, è cellâ vinariâ depromptæ.

12. *Morem in Salium.* Ut solent Salii. Erant illi sacerdotes Martis, à saliendo sic appellati, quia certis anni temporibus, saltationem quandam obibant Romæ in honorem Martis, ter pede humum pulsantes agilitate summâ.

13. *Multi meri.* Vino præter modum indulgere solita.

14. *Amystide.* Ἄμυστις, vox Græca est, significans poculi quoddam genus quod uno quasi spiritu et labris non clausis ebibebatur, ab α privante, et μύζω, os claudo. Unde adverbium ἀμυστὶ, et sine respiratione, tractim, uno spiritu, sine interspiratione. Eo poculo utebantur Thraces, vinosi homines et ebriosi.

16. *Vivax.* Quod diu viret et quasi vivit. Contra lilium *breve* dicitur, quia citò marcescit ac decidit. Apium, *du persil, de l'ache.*

Ode XXXI.

Triumphat gaudio propter extinctam, quæ cladem imperio Romano parabat, Cleopatram.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus: nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, sodales.
Antehac nefas depromere Cæcubum
Cellis avitis, dum Capitolio
Regina dementes ruinas,

Nunc potandum, nunc demum choreis indulgendum est, ô amici; nunc tempus est opipara et exquisita fercula, qualia Saliis apponuntur, Deorum templis inferre. Piaculum antea fuisset vinum Cæcubum è vetustis horreis inducere, dum Cleopatra Ægypti Regina cœco furore abrepta, Capitolium evertere

2. *Saliaribus.* Erat Romæ pervagatum, Salios opipare vesci; adeo ut cœnæ Saliares pro exquisitis et sumptuosis dicerentur.

3. *Pulvinar.* Sacculum ea vox significat plumâ, vel tomento molli fartum, qui subjici solet capiti, aut cubito cubantium, *un coussin, un carreau.* Id porro moris Romæ erat ut devictis hostibus, aut re quovis alio modo bene gestâ, sternerentur in templis lectuli, et in iis collocarentur Deorum statuæ pulvinis impositæ; ut iis à populo supplicaretur: imo apponebantur dapes opimæ, quasi Diis, in communi lætitiâ, epulaturis: atque istas fortasse Saliares vocat, id est, à Saliis sacerdotibus procurari et apponi solitas.

5. *Cæcubum.* Cæcubi agri sunt in Campaniâ Italâ, prope urbem Fundos: ubi vina olim optima.

Capitolio. Erat Capitolium, templum Jovis in clivo Tarpeïo, ita dictum quòd dum jacerentur ejus fundamenta, in iis hominis caput inventum esset.

7. *Regina.* Cleopatra, Ægypti regina, quam Antonius adamavit: quod cùm ægrè ferret Augustus, cujus sororem Octaviam Antonius duxerat, bellum inter eos coortum est. Commissâ navali ad Actium, Epiri promontorium (nunc *Capo Figalo* dictum) pugnâ, victus Antonius se in fugam cum

Funus et Imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum, quidlibet impotens
Sperare, fortunàque dulci
Ebria. Sed minuit furorem
Vix una sospes navis ab ignibus;
Mentemque lymphatam Mareotico
Redegit in veros timores
Cæsar, ab Italià volantem
Remis adurgens, (accipiter velut
Molles columbas, aut leporem citus
Venator in campis nivalis

ac Romanum Imperium delere meditabatur cum suâ spadonum cohorte impurâ; tam vecors et rebus aliquot prosperè gestis velut inebriata, ut nihil sperare non auderet. Sed illius præcipitem insaniam compressit amissa classis, et naves ferme omnes incensæ. Ipsam hausto intemperantiùs Ægyptio vino furentem, et oblitam periculi, vero timore perculit Cæsar, ab Italiâ velis remisque fugientem properè insecutus, instar accipitris timidum columbarum gregem, aut venatoris leporem per

Cleopatrâ, quæ intererat, conjecit, ac post paulo necem sibi ipse intulit. Hunc imitata Cleopatra aspidibus corpori admotis, ne viva caperetur, se interemit, anno U. C. 723.

10. *Morbo.* Libidine ac spurcitiâ inquinatis Eunuchis.

Impotens sperare. Græca locutio est. Ita impotens, ita sui non compos, ut omnia sibi adpromitteret.

14. *Lymphatam.* Furiosi appellantur lymphati, quia, lymphas, sive aquas, fugiunt et horrent, ii præsertim quos canis rabiosus appetierit. Vel, quia creditum est ab veteribus, quia Nymphas (erant illæ fontium Deæ) aut earum speciem in fonte vidissent, eos furore corripi.

14. *Mareotico.* Subaudi, *vino:* quod generosum in primis nascebatur prope Mareotidem Ægypti paludem, *Lago di Buchiara.* Est et Ægypti regio, eodem nomine dicta, Mareotis. Multi meri erat ista Cleopatra, itemque Antonius.

15. *In veros timores.* Ipso pugnæ Actiacæ initio fugam meditabatur Cleopatra parum sollicita quâ ratione Antonius se expediret; atque adeo sexaginta navibus per medium agmen elapsa fugit: sed cùm vidit sibi instare missas à Cæsare Liburnicas, tunc verè timere cœpit.

16. *Ab Italiâ volantem.* Ab eâ nimirum Epiri parte, quæ Italiam respicit. Ipse quidem Cæsar Cleopatram insecutus

Æmoniæ), daret ut catenis
Fatale monstrum; quæ generosiùs
Perire quærens, nec muliebriter
Expavit ensem, nec latentes
Classe citâ reparavit oras.
Ausa et jacentem visere regiam
Vultu sereno fortis, et asperas
Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum;
Deliberatâ morte ferocior:

Thessaliæ agros nive oppletos, insectantis. Id quidem agebat Augustus, ut hoc ferale monstrum caperet vivum et in vincula conjiceret: sed illa nobiliorem oppetere mortem gestiens, neque horruit, ut mos fœminis, nudum ensem arripere, quo sibi vitam, si liceret, adimeret; neque veloci classe petiit remotas interioris Ægypti partes, ubi repararet, exercitum, et arces, ad instaurandum bellum, communiret; sed suam ipsius regiam, domumque, rebus desperatis profligatam, non dubitavit invisere, lætitiam ipso vultu forti et generoso præ se ferens, ac lethiferos angues manibus contrectare, et admovere bracchiis ausa est, ut eorum veneno in corpus admisso periret, eò animosior, quòd necem hanc sibi afferre certum jamdiu et constitutum haberet: nimirum quia mulier superba, et summo loco

non est: sed, ut dixi, misit è suis navibus quæ ipsam insequerentur.

20. *Æmoniæ.* Thessaliæ, quæ est pars Græciæ, ita vocatæ ab quodam ejus principe Æmone.

21. *Fatale monstrum.* Fato quodam et irâ Superum exortum. Exitiale, detestabile. Vel, Cæsari à fatis reservatum et debitum.

Monstrum. Cleopatram, belluæ instar furentem. Et verò monstri simile fuit, Romanum imperium ab unâ fœminâ in tantum periculum adduci potuisse.

23. *Expavit ensem.* Tentavit Cleopatra sibi necem consciscere arrepto satellitis gladio, aut illo ipso ense, quo præcincta erat, ut ait Plutarchus; sed ipsam Proculeïus, datus illi custos à Cæsare, prohibuit.

24. *Reparavit oras.* Urbes et loca regni sui remotiora et abdita non requisivit, recuperavit, iterum munivit ad aleam belli denuo tentandam. Cogitabat, Plutarcho teste, transferre classem in Arabicum sinum, et cum auro argentoque, ac magna suorum manu, in ignotas sedes migrare, bellumque ac servitutem, sic effugere; quòd cùm non successisset, id præcipuè moriens doluisse dicitur.

Sævis Liburnis scilicet invidens,
 Privata deduci superbo
  Non humilis mulier triumpho.

nata, invidebat hanc Cæsari gloriam, ut ab eo liburnis navibus in Italiam deportata, ibi, tanquam privata fœmina, regiis exuta insignibus et ornamentis, in triumpho duceretur.

30. *Liburnis.* Subaudi, navibus. Liburnia fuit olim pars Illyrici, ad orientem Italiæ, prope Istriam. Ibi ædificabantur naves celeberrimæ, iisque potissimum usus est Augustus in Actiacâ pugnâ. Quocirca *Liburnas sævas* Horatius appellat, nempe Cleopatræ funestas, à quibus victa scilicet Ægyptiorum classis. Itaque novam illis gloriam invidebat, si se victam priùs, deinde etiam captam, ad triumphum deducerent.

Ode XXXII.

Servum admonet ut cœnam sine ambitioso apparatu struat.

Persicos odi, puer, apparatus:
Displicent nexæ philyrâ coronæ:
Mitte sectari, rosa quo locorum
 Sera moretur.
Simplici myrto nihil allabores

O Puer, non delector cœnâ magnificè et sumptuosè ut à Persis fieri solet, adornatâ: fastidio coronas è floribus philyrâ nexis consutas: noli anxiè quærere quo in loco rosæ tardiores proveniant. Id unum volo, ut nihil ad myrtum obviam et para-

1. *Persicos.* Persæ populi sunt Asiæ, vicini Arabibus, à quibus sinu Persico dirimuntur.

Apparatus. Unguenta, v. g. odores, aulæa, et alias id genus operosas delicias.

2. *Philyrâ.* Est cortex intimus ac tenuissimus arboris tiliæ, *du tilleul*, qui ducitur in tæniolas, quibus nectuntur coronæ floreæ.

5. *Simplici.* Ramulo inornato, quo caput tuum meumque implices.

Myrto. Est arbuscula Veneri sacra: eadem odorata et fumos vini discutere credita.

Sedulus curo: neque te ministrum
Dedecet myrtus, neque me sub arctâ
Vite bibentem.

bilem laboriosè addere studeas, Myrtus et tibi ministranti convenit, et mihi sub viteá pergulâ potitanti.

7. *Arctá vite.* Umbrosâ, ob *treille fort épaisse.* frondes pressiùs junctas: *une*

ODARUM

LIBER SECUNDUS.

Ode I.

Ad C. Asinium Pollionem, ut paulisper omittat, quam de bello civili scribere cœperat, historiam vel tragœdiam : et in rempublicam componendam potiùs incumbat.

Motum ex Metello consule civicum,
Bellique causas, et vitia, et modos,
Ludumque Fortunæ, gravesque
Principum amicitias, et arma
Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculosæ plenum opus aleæ

O Pollio, qui reos de suâ salute laborantes tam præclarè tutaris; cujus consiliis tam utiliter senatus utitur; qui de

1. *Metello.* Quintus Cæcilius Metellus Celer gessit Consulatum anno ab U. C. 694. quo Cæsar, Pompeïus, et Crassus fœdus inter sese ad occupandam remp. inierunt. Ea prima belli civilis labes.

2. *Causas, et vitia.* Belli causa fuit in primis simultas coorta inter Cæsarem et Pompeïum; deinde cæterorum reipublicæ principum ambitio, invidia, etc.

5. *Expiatis.* Ordo verborum est : Arma uncta, sive tincta et imbuta cruore qui nondum expiatus est. Expiare est rem aliquam aut personam purgare; ex impiâ et contaminatâ puram piamque facere aliquâ religiosâ cærimoniâ. Ejusmodi cærimoniam adhibuit Augustus, confecto civili bello, ut populum impio armorum usu velut inquinatum lustraret, expiaretque.

6. *Aleæ.* Est alea, quivis ludus qui casu potiùs quàm arte gubernatur : maximè verò ludus talorum aut tesserarum. Sed et negotium quodlibet incertum et damnosum, alea dicitur.

Tractas, et incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.
Paulum severæ Musa tragœdiæ
Desit theatris: mox, ubi publicas
Res ordinâris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,
Insigne mœstis præsidium reis,
Et consulenti, Pollio, curiæ:

Dalmatis tam gloriosè triumphasti; scribere aggressus es belli civilis historiam jam inde ab eo tempore quo Metellus Consul fuit; quâ in historiâ narras quomodo conflatum fuerit bellum, et quibus ex causis ortum: quid in eodem ab utrâque parte peccatum sit, quo pacto Fortuna crudelem hunc ludum luserit: describis funestam procerum inter se coïtionem ac societatem, et gladios adhuc stillantes civium sanguine, necdum expiatos: quod opus profecto, et argumentum scribendi, non minoris periculi est, quàm si per ignem levi cinere contectum ambulares.

8. *Cineri doloso.* Quia celat ignes subjectos. Porro gravc periculum erat ne Pollio belli civilis vulnera nondum satis obducta refricans, exulceratos principum virorum animos offenderet. Itaque non tam hortatur ipsum Vates ut omittat illam tragicam narrationem, quàm ut differat, donec respublica fuerit pacata penitus et composita.

9. *Tragœdiæ.* Est tragœdia poëma dramaticum, heroïcam actionem repræsentans ad informandos spectantium mores. Qui volunt scriptam à Pollione tragœdiam fuisse, non historiam, sic versus istos exponunt: Patere ut Musa quæ tragœdiæ præest, paulisper à theatris desideretur: hoc est opus tragicum intermittat. Sine ut theatra tantisper tragœdiis tuis careant, donec respublica sit constituta.

11. *Ordinâris.* Erat enim Pollio magnæ in Senatu auctoritatis, et in præcipuâ apud Augustum gratiâ.

12. *Cecropio.* Tragœdia maximè viguit Athenis, ubi Sophocles, Æschylus, Euripides, etc. floruere. Primus autem Atheniensium rex Cecrops fuit, à quo Cecropii et Cecropidæ vocati sunt.

Cothurno. Cothurnus erat genus altioris calceamenti quo utebantur actores tragœdiarum.

14. *Pollio.* C. Asinius Pollio, poëta et orator bonus, idemque bello clarus extitit, Consulatum gessit anno U. C. 714. cùm jam triumphasset de Dalmatis, teste Servio, et Salonas urbem regionis primariam expugnasset. Apparet scriptam aliquanto post hanc Odem fuisse, quando ab armis civilibus Italia respirare cœpit, cæsis ante biennium et victis Bruto et Cassio.

Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.
Jam nunc minaci murmure cornuum
Pestringis aures, jam litui strepunt,
Jam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumque vultus.
Audire magnos jam videor duces
Non indecoro pulvere sordidos:
Et cuncta terrarum subacta,
Præter atrocem animum Catonis.
Juno, et Deorum quisquis amicior
Afris, inultâ cesserat impotens
Tellure, victorum nepotes
Rettulit inferias Jugurthæ.

Si me audis, jubebis Musam tuam ab hoc civilis belli quondam theatro paulisper absistere, illasque miserrimi temporis tragœdias omittes oculis subjicere: tum ubi rempublicam composueris, referes te ad incœptum opus, quod eâdem stili majestate ac facundiâ, quâ poëtæ Græci tragici solent, persequeris. Tam graphicè enim, tam ornatè feralem luctuosi belli historiam texis, ut aures nostræ buccinarum et lituorum impleri sono videantur; ut intueri me credam equos et ipsos equites perstrictis nudorum ensium fulgore oculis perterritos: agminum ductores glorioso, quem in acie collegerunt, pulvere conspersos, universum denique orbem à Cæsare perdomitum, uno Catone, cujus invictus animus frangi non potuit, excepto. Juno, et alii è Superis, quicumque Africanorum amplexi partes in bello Jugurthino, ex Africâ cedere coacti fuerant, quòd cladem Afrorum ulcisci, ac pœnas de Romanis victoribus sumere non possent; postea eorumdem Romanorum nepotes in civili bello vicissim immolarunt, tanquam victimas placandis Jugurthæ Manibus et Afrorum umbris, idoneas. Ec-

16. *Dalmatico.* Est Dalmatia tractus Europæ è regione Italiæ et sinûs Adriatici, infra Illyricum. *La Dalmatie.*

17. *Cornuum.* Sunt cornua, buccinæ breviores quædam, intortæ et incurvæ, instar cornuum bubulorum. Litui, sunt longiores tubæ, ab extremâ tamen parte aliquantum inflexæ.

19. *Fugaces.* Inde maximè fuga et clades Pompeïani exercitûs orta, quòd ejus equites, Romanæ juventutis ac nobilitatis flos, formæ quàm victoriæ studiosiores, Cæsarianos ora ipsorum strictis gladiis appetentes ac vulneribus deformantes ferre non potuerunt.

28. *Inferias.* Inferiæ vocabantur sacrificia quæ inferis et

Quis non Latino sanguine pinguior
Campus sepulchris impia prælia
Testatur, auditumque Medis
Hesperiæ sonitum ruinæ?
Quis gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Dauniæ
Non decoloravere cædes?
Quæ caret ora cruore nostro?
Sed ne relictis, Musa procax, jocis
Ceæ retractes munera Næniæ:
Mecum Dionæo sub antro
Quære modos leviore plectro.

quem campum cernere est, qui fuso Romanorum militum cruore pinguior non evaserit? qui sepulchrorum copiâ et multitudine non ostendat, quàm atrociter fuerit dimicatum in impio illo bello; cujus tumultum et fragorem ipsi ab orbe ultimo Parthi et Medi exaudivere? Quis locus, qui fluvii testes belli feralis, et conscii non fuere? Quæ pars æquoris, quæ regio non est, non Italo sanguine cruentata? At, at, ô mea Musa, noli omissis ludicris, quæ te decent, argumentis, Simonidem poëtam, publicas deplorando clades, imitari. Concede potiùs mecum in aliquod antrum Veneri sacrum, ibique levibus ac jocosis versiculis cantitandis operam da.

Manibus, sive animabus mortuorum, fiebant, in iis inferebantur in sepulchra dapes, etc. Erat porro id moris apud veteres, ut hostes captivi ad placandas cæsorum in acie ducum umbras adducerentur ad eorum tumulos, ibique mactarentur.

Jugurthæ. Jugurtha rex Numidiæ in Africâ, bellum grave gessit cum Metello et Mario. Proditus à Boccho rege Mauritaniæ, ad quem confugerat, venit in Marii potestatem, à quo ductus Romam et in triumpho ostentatus, postmodum in carcere necatus est, Anno U. C. 648.

34. *Dauniæ*. Italæ. Daunia est pars Apuliæ.

38. *Ceæ*. Simonides poëta lyricus, natus in Ceâ, sive Ceo, insulâ maris Ægæi, prope Eubœam, lugubre quoddam carminis genus invenit.

Nænia. Vulgò significat carmen funebre, interdum puerilem cantilenam.

39. *Dionæo* Dione mater Veneris fuit: à Venere autem per Æneam genus ducebat Cæsar Augustus, cui videtur hîc vates adulari.

40. *Plectro*. Plectrum; πλῆκτρον, à verbo πλήσσω, *percutio*, est instrumentum quo citharæ fides percutiuntur. Vul-

gò fit ex equinis setis junctis, et ligneo bacillo incurvo præ-tentis: olim instar pectinis effingebatur: vel acuti unguis eburnei, aut cornei, quem digito inserebant, et quo lyræ carpebant fila.

ODE II.

Solus dives, solus beatus est, qui avaritiæ, cæterisque cupiditatibus imperat.

NULLUS argento color est, avaris
Abditæ terris inimice lamnæ,
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.
Vivet extento Proculeïus ævo,
Notus in fratres animi paterni:
Illum aget pennâ metuente solvi
Fama superstes.
Latiùs regnes avidum domando

O Crispe Sallusti, cui odio sunt opes avarâ humo defossæ, nihil splendoris ac dignitatis habet pecunia, nisi moderato usu enitescat. Celebrabitur consequentibus longè sæculis Proculeïus propter paternam in fratres suos liberalitatem: eum Fama, post mortem vivax et perennis, dorso aliæ semper tollet, alisque nunquam dissolvendis ac defatigandis impositum

2. *Lamnæ.* Pro laminæ. Est lamina, metalli cujuslibet bracteola.

3. *Sallusti.* Floruit hoc nomine celebris historiæ Romanæ scriptor, Italus, Amiterni natus, anno Urbis conditæ 668. qui tribunatum plebis Romæ gerebat quo anno Clodius à Milone interfectus est. Ejus nepos fuit hic, ad quem Horatius scribit. Agit de illo Cornelius Tacitus Lib. 3. Annalium.

Proculeïus. Eques Romanus, cujus fratres, Scipionem et Muræнam, Augustus ob arma bello civili contra se gesta, patrimonio spoliaverat. Proculeïus cum fratribus bona sua de integro æquis partibus divisit, instar patris amantissimi.

6. *Notus animi.* Hellenismus, sive Græca locutio. Sic dicitur eodem flexu Græco. Fortunatus laborum, integer vitæ, etc. Subaudiunt Græci ἕνεκα, *propter*, quæ particula Græca casum gignendi postulat.

Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus jungas, et uterque Pœnus
Serviat uni.
Crescit indulgens sibi dirus hydrops;
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, et aquosus albo
Corpore languor.
Redditum Cyri solio Phraaten,
Dissidens plebi, numero beatorum
Eximit Virtus, populumque falsis
Dedocet uti
Vocibus, regnum et diadema tutum

latè circumferet. Si cupiditatem avidam intra certas fines continueris, regnum quoddam possidebis latiùs potens, quàm si Hispaniam et Africam, novam Carthaginem et veterem tuæ ditioni subjectam solus possideres. Morbus ille, quem hydropem vocant, augetur et ingravescit, cùm qui eo laborant, libendi desiderio morem indulgentiùs gerunt: neque verò sitim illam pestiferam sedare priùs possunt, quàm ipsius morbi causam et radicem præciderint, quæ alia nulla est, nisi languor ille vitiumque corporis, quo alimenta omnia in humorem aquosum convertuntur, et cutis intumescens pallore suffunditur. Virtus, quæ longè aliter ac vulgus de rebus existimat, excepit ex hominum felicium numero Phraaten in Persarum regnum, unde fuerat ejectus, restitutum: docetque plebem imperitam, falsò ejusmodi homines appellari reges ac beatos. Illi quippe

10. *Libyam.* Est pars Africæ.

11. *Gadibus.* Gades, *Cadix*, est peninsula et urbs in ultimâ Hispaniâ ad meridiem, prope fretum, quod ab eâ Gaditanum vocatur, *le détroit de Gibraltar.*

11. *Uterque Pœnus.* Tum qui est in Africâ, tum qui in Hispaniâ. Carthaginienses partem Hispaniæ diu obtinuerunt, ibique in littore versus Austrum Carthaginem novam, *Carthagène*, condiderunt.

17. *Phraaten.* Phraates Orodis filius, Parthorum rex, cùm patrem, fratres ac filium interfecisset, ob immanitatem solio deturbatus est à suis, suffecto in regnum Tiridate. Sed postea restitutus fuit ope Scytharum: et ab Augusto, ad quem signa Crasso erepta remiserat, retinere regnum jussus: Tiridates autem evocatus Romam, ibi regio more ac sumptu habitus est. Contigit hoc circa annum U. C. 730.

Cyri solio. Regnum Persarum Cyrus olim obtinuit; postea Parthi occuparunt.

18. *Numero beatorum.* Est hic versus hypermeter, hoc est, abundat in eo ultima syl-

Deferens uni, propriamque laurum,
Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

uni Virtus eadem securum verumque regnum tribuit, quicumque ingentem pecuniæ summam sic aspicere potest, ut ori splendor ejus oculos non reflectat ac perstringat.

laba, et pertinet ad versum sequentem, cujus initio eliditur.

22. *Propriam.* Perpetuam, quæ auferri non possit.

ODE III.

Modum in adversis æquè ac secundis rebus tenendum esse mors admonet.

ÆQUAM memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitiâ, moriture Delli;
Seu mœstus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum beâris
Interiore notâ Falerni:

O Delli, operam da ut animum æquabilem et sedatum in adversis rebus retineas; eumdemque in secundis, ab immodicâ lætitiâ cohibeas: omnino enim es moriturus, seu vitam omnem in luctu et mœrore traduxeris, sive in viridi cespite procul ab arbitris recubans, dies festos peregeris, et vetustiore vino genium curaveris, in eâ villæ tuæ parte amœnissimâ, ubi

4. *Delli.* Fuit iste Dellius orator et historicus insignis: qui à Dolabellâ, Cassio, et Antonio, quorum secutus primò partes erat, ad Cæsarem denique transfugit.

8. *Interiore notâ Falerni.* Amphoras vini solebant in operculo aliquâ insignire notâ, quæ indicaret, quod vinum, quo Consule foret conditum. Cùmque vini eximia bonitas esset, et ejusmodi natura, ut servari diutius posset, illud in interiore et ultimâ cellæ vinariæ parte reponebant, ut postremo loco biberetur. Falernus, mons et ager Campaniæ Italæ, inter Calenum et Sinuessam, vini generosi ferax.

Quà pinus ingens, albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant,
Ramis et obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo.
Huc vina, et unguenta, et nimiùm breves
Flores amœnæ ferre jube rosæ:
Dum res, et ætas, et sororum
Fila trium patiuntur atra.
Cedes coëmptis saltibus, et domo,
Villâque, flavus quam Tiberis lavit:
Cedes; et exstructis in altum
Divitiis potietur heres.
Divesne, prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper, et infimâ
De gente, sub dio moreris,
Victima nil miserantis Orci.

alta pinus et populus, junctis inter se ramis, velut hospitium prætereuntibus offerunt gratissimum, prope rivulum ambiguo cursu laborisè ac trepidè fugitantem: hunc in locum jube servos ferre vina, unguenta, et rosas, heu citò marcentes: dum opes tuæ sinunt, dum ætas patitur, dum Parcæ non prohibent. Demigrabis aliquando illis nemoribus quæ pretio comparasti: relinques domum et villam elegantem ad Tiberim sitam: hæc omnia, velis, nolis, deserenda; et extructos auri argentique acervos heredes tui possidebunt. Nihil refert utrùm sis locuples, ac nobilis, et ab ipso Inacho genus ducas; an contra, egens et humili loco natus tecto careas, et sub nudo apertoque cœlo degas. Quicumque demum sis, destinata es Orco victima, qui nulli parcit, nullius miseretur. Omnes eumdem

15. *Sororum trium.* Tres Parcæ dicebantur præesse hominum vitæ, Clotho, Lachesis et Atropos. Lachesis colum fatalem tenebat; fusum deducebat ac filum Clotho: Atropos incidebat filum, quo secto, moriendum erat.

18. *Lavit.* A verbo lavere, lavi: estque tertiæ conjugationis.

21. *Inacho.* Rege Argivorum in Græciâ, qui sexto post Abrahami obitum anno, ante Christi æram 1857, Argis in Peloponneso, primum omnium, quorum quidem Græci meminerint, regnum fundavit. Ejus filia Io, fabulis decantata.

23. *Sub dio.* Divum seu dium, significat cœlum patens et apertum.

Omnes eodem cogimur : omnium
Versatur urna : seriùs, ociùs
Sors exitura, et nos in æternum
Exilium impositura cymbæ.

in locum compellimur : omnium sors movetur in eâdem urnâ, unde cùm educetur, citiùs aut tardiùs, tunc conscendenda Charontis scapha, et in perpetuum exitium proficiscendum erit.

26. *Versatur.* Agitatur et succutitur. Nempe ut sortes, urnâ motâ, confundantur.

28. *Cymbæ.* Charon, Orci janitor, mortuorum animas trans Stygem devehit. Virgil. Lib. VI. versu 300.

ODE IV.

Septimium invitat ad vitam in agro Tiburtino, vel Tarentino degendam.

SEPTIMI Gades aditure mecum, et
Cantabrum indoctum juga ferre nostra, et
Barbaras Syrtes, ubi Maura semper
Æstuat unda :
Tibur, Argeo positum colono,

O Septimi, qui paratus es me amicum tuum comitari ad ultimas usque terrarum oras : ad Gaditanam urbem, ad Cantabros, qui nondum Romanorum armis et jugo domiti sunt, et ad Syrtes Africanas, mari procelloso semper æstuantes et agitatas ; jam tempus est ut quiescam, et respirem à

1. *Septimi.* Septimius Eques Romanus fuit, Augusto carus, amicus Horatii, et poëta non aspernandus.

2. *Cantabrum.* Hispaniæ populum ad Septentrionem, ubi nunc fere Biscaia, quem Romani postremo loco, et ægrè domuerunt.

3. *Syrtes.* Loca duo sunt et æstuaria, arenis ac brevibus infesta, in medio ferme Africæ littore quod Europam respicit, et Barbaria nunc vocatur.

Maura. Afra. Mauritania est pars Africæ versus occidentem et septentrionem.

5. *Tybur.* Urbs Italiæ (*Tivoli*) crebris fontibus irrigua, et singulari cœli temperie insignis ; à Tiburto, Catillo et Corace, Amphiaraï liberis condita ; et

Sit meæ sedes utinam senectæ!
Sit modus lasso maris, et viarum,
Militiæque!
Unde si Parcæ prohibent iniquæ,
Dulce pellitis ovibus Galesi
Flumen, et regnata petam Laconi
Rura Phalanto.
Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet, ubi non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro:
Ver ubi longum, tepidasque præbet

militiâ, et laboriosis, quæ terrâ marique confeci, itineribus respirare, atque nihil malim, quàm consenescere in oppido Tiburtino ab Argivis huc olim commigrantibus condito. Quod si hunc adire locum ab immitibus Parcis vetor, in agros me recipiam, quos amœnus Galesus alluit, ubi ovium pascentium vellera integuntur pellibus, ne deterantur et sordescant: ubi et Phalantus Lacedæmonius imperitavit. Placet ille mihi præ cæteris extremæ Italiæ tractus ubi mella nascuntur Hymettiis nihilo deteriora, et olivæ cum Venafranis meritò de bonitate

à Tiburti nomine, qui ex tribus natu maximus erat, Tibur appellata.

Argeo. Argivo: Græco. Argos oppidum Peloponnesi. *Colonus* hoc in loco significat eum, qui ex uno quopiam loco in alium habitandum demigrat.

10. *Pellitis ovibus.* Oves Tarentinæ propter lanæ bonitatem amiciebantur pannis quibusdam et pellibus, ne ipsarum vellera inquinarentur.

10. *Galesi flumen.* Galesus, nunc *Galaso* est in Calabriâ Italiæ parte, ad Meridiem, prope Tarentum (*Tarente*) quam urbem condiderat vel instauraverat Phalantus quidam, homo Græcus, è Laconiâ, Græciæ regione in Peloponneso, in Italiam profectus.

14. *Hymetto.* Hymettus mons in Atticâ regione Græciæ. In eo flores nascebantur odoratissimi, unde apes et mella optima.

15. *Decedunt.* Cedunt: inferiora, deteriora sunt. Decedere alicui, v. g. de viâ, est locum illi honoratiorem dare.

16. *Bacca.* Sic vocantur olivæ, et omnes fructus minores, in quibus vulgò nucleus: item gemmæ, quæ rotunditatem Baccarum et tenuitatem imitantur.

Venafro. Venafrum urbs Italiæ in Samnii finibus: cujus in Agro præstantes oleæ. Appellatur etiamnum *Venafro.*

Jupiter brumas; et amicus Aulon
Fertili Baccho, minimùm Falernis
Invidet uvis.
Ille te mecum locus, et beatæ
Postulant arces: ibi tu calentem
Debitâ sparges lachrymâ favillam
Vatis amici.

contendunt; ubi diuturnum est ver, hyems tepida, et vites montis Auloris, æquiparati viribus Falernis possunt. Hunc mecum, oro, concede, te felices illi agri deposcunt: ibi meos, amici vatis, cineres et recens bustum lacrymis tuis cohonestabis.

18. *Aulon.* Mons vini ferax, in Calabriâ.

23. *Favillam.* Favilla propriè est scintilla delitescens in calido cinere, et ignis recèns extincti particulæ subtiliores cineri permixtæ. Urebant Romani cadavera, et ossa in urnas abdebant.

Debitâ. Mihi amico tuo.

Ode V.

Pompeïo Varo reditum in patriam, post civile bellum, et incolumitatem gratulatur.

O sæpe mecum tempus in ultimum
Deducte, Bruto militiæ duce,
Quis te redonavit Quiritem

O Pompei, quem primo semper in amicis meis loco et numero duxi, qui non semel in summum vitæ discrimen mecum adductus es, quando Bruti partes et castra sequebamur;

1. *Tempus ultimum.* Vitæ diem supremum.

2. *Bruto.* Brutus et Cassius Romani senatores, principes eorum extitere, qui Cæsarem in curiâ percusserunt. In eos ultor C. Julii Cæsaris Octavius bellum movit. Commissâ propè Philippos, urbem Thessaliæ, pugnâ, in quâ Tribunus militum Horatius stipendia faciebat; ipse, abjectis armis, fugit; Brutus et Cassius periere, anno U. C. 712.

3. *Quiritem.* Civem Romanum. Sabini, Italiæ populi, Curites, seu Quirites, olim appellabantur à Curibus, eo-

Dis patriis, Italoque Cœlo,
Pompei, meorum prime sodalium?
Cum quo morantem sæpè diem mero
Fregi, coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.
Tecum Philippos, et celerem fugam
Sensi, relictâ non bene parmulâ,
Cùm fracta virtus, et minaces
Turpe solum tetigere mento.

quicum genio sæpè et epulis indulsi per bonam longissimæ diei partem, capite floribus coronato, et unguentis Syriis delibuto; quàm felici tandem fato nobis, patriæ ac Superis Italiæ præsidibus, restitutus fuisti? ut redditum tibi Romani civis præclarum nomen gratulor! Tecum interfui Philippensi prælio, ex quo fugâ vix evasi, projectis parum generosè armis; cùm viri fortissimi, qui minas in Cæsarianos tam confidenter jactabant, fusi demum victique turpiter ceciderunt. Ac tum ego quidem à Mercurio sum servatus, qui me pavitantem et obscurâ tectum

rum urbe primariâ, sive quòd hasta, quâ plurimùm utebantur, *quiris* eorum linguâ diceretur. Diu cum nascente Româ vario bello conflictati, demum icere fœdus eâ lege, ut in unum populum ipsi Romanique coalescerent, ac nomen Quiritium Romani adsciscerent. Pompeius ille Varus, ad quem Horatius scribit, veniam ab Augusto, in quem arma bello civili tulerat, impetravit; quam nisi exoravisset, exul, privatus jure civitatis, et hostis patriæ, vixisset. Meritò igitur illi gratulatur Horatius quòd præclarum illud Quiritis, seu Romani civis nomen recuperaverit.

7. *Fregi.* Divisi, quasi duas in partes, quarum altera negotiis et labori; altera vino, genioque data est.

8. *Malobathro.* Malobathrum, est folium, sive frutex, in Syriâ nascens, quæ est Asiæ regio inter Ægyptum et Asiam minorem: ex eo conficiebatur oleum odoratum. Plin. Lib. XII. c. 4.

10. *Relictâ parmulâ.* Probrosum militi hastam, aut clypeum abjicere: quod qui faciebant, à Græcis dicti sunt ῥίψασπιδες.

11. *Fracta virtus.* Bellica fortitudo coacta Fortunæ cedere, ut Florus testatur. Laudat obscurè Brutum. Sane in ejus exercitu erant homines fortissimi, atque ipse primo congressu vicerat Octavianum, et castris exuerat: mox tamen coactus à suis pugnam instaurare, exstincto jam Cassio, demum victus et virtutem incusans, servo cuidam suo se interficiendum obtulit.

Sed me per hostes Mercurius celer
Denso paventem sustulit aëre :
Te rursus in bellum resorbens
Unda fretis tulit æstuosis.
Ergo obligatam redde Jovi dapem;
Longâque fessum militiâ latus
Depone sub lauru meâ; nec
Parce cadis tibi destinatis.
Oblivioso lævia Massico
Ciboria exple; funde capacibus
Unguenta de conchis. Quis udo
Deproperare apio coronas,
Curatve myrto? Quem Venus arbitrum

nebulâ è mediis hostibus eripuit : tu rursum implicatas bello in gravissimis periculis, tanquam in procelloso mari versatus et jactatus fuisti. Nunc igitur promissum Jovi epulum exsolve, et corpus diuturnæ militiæ laboribus defatigatum sub aliquâ horti mei lauro sterne, ac dolia tibi reservata et addicta, prolixè ac liberaliter exhauri. Funde in pateras Massicum vinum, quod ærumnarum præteritarum oblivionem inducat : deprome plenis è pixidibus unguenta odorata, et capillis inverge. Ecquis mihi coronas è myrto, vel ex apio properè contexit? quis fausto talorum jactu convivii rex et moderator creabitur?

13. *Mercurius.* Eruditorum scilicet ac vatum patronus. Sic Apollo Æneam nebulâ opertum educit ex acie apud Homerum, Lib. V.

15. *Te rursus, etc.* Qui è prælio Philippensi evaserant, ad Sextum Pompeium Magni filium, in Siciliam confugerunt, ubi renovatum bellum.

Resorbens. Tempestatis more, quæ naves à placido littore in altum abripit.

17. *Dapem.* Convivium, vel victimam, cujus aliqua pars ad epulas servabatur.

21. *Lævia.* Polita : bibendo attrita.

22. *Ciboria.* Ciborium proprie significat fabam aut siliquam fabæ Ægyptiæ, quæ ab imâ parte angustâ sensim diducitur et erescit, ac instar Scyphi adhibetur. Pocula quædam capaciora ad eum facta modum ciboria sunt appellata.

23. *Conchis.* Vasculis è conchâ factis, vel ad conchæ similitudinem. Sunt autem conchæ, piscium testæ.

25. *Quem Venus, etc.* In ludo talorum, jactus fortunatissimus dicebatur *Venus*, nempe cùm tali omnes diversis singuli punctis notati (adhibebantur autem tres ut plurimum) projiciebantur è fritillo in alveum, seu tabulam lusoriam,

Dicet bibendi? Non ego sanius
Bacchabor Edonis : recepto
Dulce mihi furere est amico.

Libet mihi Edonos illos Thraciæ populos bibacissimos, ethausto largiùs vino furentes, imitari : amico recuperato insanire sic juvat.

vel cùm tesseræ omnes, quæ vulgò erant quatuor, in faciem sex punctis inustam caderent. Quamobrem idem ille jactus, *Senio* vocabatur. Infelicissimus autem jactus, dicebatur *Canis*, *seu Canicula*, qui notatas unico puncto tesseras, vel talos, afferebat.

ODE VI.

Amicum mœrentem de filii morte consolatur.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros, aut mare Caspium
Vexant inæquales procellæ
Usque; nec Armeniis in oris,
Amice Valgi, stat glacies iners
Menses per omnes; aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant,

O Valgi, amicorum optime, non semper è nubibus effunditur pluvia in squalentes campos, neque Caspium pelagus assiduis procellis perturbatur : nec per totum annum Armenia glacie ac nivibus inhorrescit : non semper montis Gargani sylvæ hibernis ventis concutiuntur, neque arboribus folia in

2. *Mare Caspium.* Est in Asiâ, inter Persidem à meridie, Armeniam ab occasu, Tartariam à septentrione, et Indiam ab oriente.

4. *Armeniis oris.* Est Armenia pars Asiæ majoris, ad orientem minoris Asiæ : in eâ mons Taurus.

5. *Iners.* Glacies nihil est aliud quàm aqua concreta, et motûs expers.

7. *Querceta.* Quercetum, est sylva quercubus consita.

Garganus. Mons Apuliæ in Italiâ.

Et foliis viduantur orni.
Tu semper urges flebilibus modis
Mysten ademptum; nec tibi Vespero
Surgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente solem.
At non ter ævo functus amabilem
Ploravit omnes Antilochum senex
Annos; nec impubem parentes
Troïlon, aut Phrygiæ sorores
Flevere semper. Desine mollium
Tandem querelarum; et potiùs nova
Cantemus Augusti trophæa

perpetuum decidunt. Tu Mysten tibi præreptum mœstâ prosequi næniâ non cessas : neque oriente sole, vel occidente, dilectum puerum lugere desinis. Atqui Nestor, qui tres hominum ætates viderat, Antilochum filium carrissimum, sibi morte immaturâ ademptum, annis omnibus non deflevit; nec Troïli mors ab ejus parentibus aut sororibus perpetuis deplorata lacrymis est. Omitte aliquando muliebres illos-fletus, et victorias potiùs recèns ab Cæsare Augusto reportatas læto carmine celebremus; Niphaten et Medum fluvios reliquis terris ab eo domitis

10. *Mysten.* Mystes, Mystæ; nomen pueri.

11. *Vespero surgente.* Vesperus, sive Hesperus, stella est quæ circa solem volvitur, et Venus vulgò appellatur. Surgit, seu apparere incipit, aliquando post occasum solis; aliquando, ante ortum. Cùm apparet manè, Lucifer vocatur, Eous, sive Phosphorus: cùm sero, Vesperus.

13. *Ter ævo functus.* Ætas humana comprehendit, ut multi volunt, annos 30: itaque Nestor vixisse annos ampliùs 90. indicatur.

14. *Antilochum.* Filius Nestoris fuit, cæsus à Memnone in bello Trojano.

16. *Troïlon.* Accusandi casus Græco more inflexus. Troïlus Hecubæ et Priami filius, ab Achille, interfectus est. Virgil. I. Æn. versu 470.

Sorores. Cassandra, Polyxena, etc. sorores Troïli.

18. *Querelarum.* Desino, apud Græcos est λήγω, παύομαι quæ verba cum gignendi casu struuntur. Græco igitur flexu locutus hìc, ut alibi sæpe, Horatius. Latini dicunt *desinere artem, etc.*

Nova. Augustus circa annum Urbis conditæ 733. Armeniam à Parthis vindicavit, atque ab iisdem recepit signa Romana, quæ Crasso eripuerant.

19. *Trophæa.* Trophæum, seu tropæum, erat monumentum quoddam erectum in eo loco ubi ab hostibus pugnan-

Cæsaris, et rigidum Nyphaten,
Medumque flumen gentibus additum
Victis, minores volvere vortices:
Intraque præscriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

adjunctos, et jam lenius ac tenuius fluentes canamus; Gelonosque non audentes equitare ultra fines angustos, ipsis à victore assignatos.

tibus facta primùm esset fuga; à verbo Τρέπω τέτρεπα, *verto in fugam.* Ibi igitur quercus ingens à victoribus statuebatur editiore loco, decisis ramis, et spoliis hostilibus, galeâ, thorace, clypeo, etc. induebatur. Lege Virgil. init. Lib. XI. Æn.

20. *Nyphaten, Medum.* Hic Mediæ fluvius est; ille, Armeniæ.

23. *Gelonos.* Asiæ populos, Scythis vicinos et Armeniis.

ODE VII.

Retinenda mediocritas, et animi in utrâque fortunâ æquabilitas.

RECTIUS vives, Licini, neque altum
Semper urgendo, neque, dum procellas
Cautus horrescis, nimiùm premendo

O Licini, tutiorem multo et commodiorem vitam vives, si neque tuam semper navim in altum pelagus provehas, neque semper littus, brevibus ac vadis infestum, tempestatis

1. *Licini.* Optimi codices habent hunc titulum: *Ad Licinium Varronem Murenam.* Fuit ille, Terentiæ (quæ Mecænatis uxor) et Proculei frater. Ejus bona fisco addicta fuerant, quòd partes Antonii contra Augustum secutus esset. Quâ de re illum videtur Horatius consolari, atque hortari ut præsenti fortunâ, et fratris liberalitate contentus vivat. Sed Horatio Licinius morem nequaquam gessit; nam in eumdem Augustum postea conjuravit cum Fannio Cœpione, anno U. C. 731.

Altum urgendo. Metaphora sumitur à re nauticâ. Id est, si honores ambias, si principem in republicâ locum obtinere velis, etc. Sic, *littus pre-*

Littus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidendâ
Sobrius aulâ.
Sæpiùs ventis agitatur ingens
Pinus; et celsæ graviore casu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulmina montes.
Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus: informes hyemes reducit
Jupiter, idem
Summovet. Non, si malè nunc, et olim
Sic erit: quondam citharâ tacentem
Suscitat Musam, neque semper arcum
Tendit Apollo.
Rebus angustis animosus atque
Fortis appare: sapienter idem
Contrahes vento nimiùm secundo
Turgida vela.

metu, legas. Quicumque mediocritatem, quâ nihil in vitâ laudabilius est, sectatur, is neque domum habet sordidam et fœdo marcentem situ; nec ita tamen opiparam et elegantem, ut aulæ, ac regiæ similis sit, invidiamque meritò spectantibus ac stomachum moveat. Proceræ arbores à ventis frequentiùs concutiuntur; ac turres excelsæ ruinâ graviori sternuntur; fulmina editos quatere montes solent. Animus ad utramque sortem ferendam comparatus retinet spem in adversis rebus, et in prosperis Fortunæ conversionem timet. Jupiter hybernam tempestatem revocat idem, et fugat. Si res hodiè minùs commodè cessit, non item cras ac perendie malè cedet. Apollo non semper minacem torquet arcum: interdum, eo deposito, feriatur, ac citharæ, unà cum Musis, indulget. Cùm Fortunam senties adversam, fac illam animo ingenti feras: rursus, cùm eadem secundis et ferentibus veluti ventis aspirabit, facies prudentissimè, si lætitiam gestientem coërceas et quasi vela nimio vento turgentia comprimas, colligásque.

mere, in tertio versu, est, domi se continere publicæ rei administratione carere.

4. *Iniquum.* Inæquale, scopulis præruptum.

23. *Contrahes*, etc. Cùm

vident nautæ ventum vehementiorem, etsi secundum, vela contrahunt, nec tota expandunt, ne, ingruente vento validiore, navis subvertatur.

ODE VIII.

Inutiles curas omittendas esse.

QUID bellicosus Cantaber, et Scythes,
Hirpine Quincti, cogitet, Adriâ
Divisus objecto, remittas
Quærere; nec trepides in usum
Poscentis ævi pauca. Fugit retro
Levis juventas, et decor, aridâ
Pellente lascivos amores
Canitie, facilemque somnum.
Non semper idem floribus est honos
Vernis, neque uno Luna rubens nitet
Vultu. Quid æternis minorem
Consiliis animum fatigas?
Cur non sub altâ vel platano, vel hâc

O Quincti Hirpine, noli esse sollicitus, quid moliantur Cantabri, quæ bella meditentur Scythæ, qui à nobis interjecto mari Adriatico, quasi vallo, separantur: nec trepidè atque anxiè quæras et colligas res necessarias ad vitam, quæ exiguo contenta est. Præterit juvenilis ætas, stare diu ac durare nescia: evanescit forma, obrepit incautis senectus, neque ullum voluptatibus, aut somno locum relinquit. Sic marcescunt verni flores, sic diversos luna vultus induit. Quorsum igitur te maceras, atque in æternum tempus, quasi semper victurus esses, curas extendis et consilia, quibus et mens ca-

1. *Cantaber.* Hispaniæ Septentrionalis populus. Augustus in Hispaniam cum exercitu venit anno 728. et Cantabros, Asturesque ipsis vicinos, fregit: absolvere tamen bellum, correptus morbo, non potuit, eamque provinciam Antistio et Carisio commisit.

Scythès. Populus Europæ et Asiæ ad septentrionem. Nunc Moscoviæ et Tartariæ pars.

8. *Somnum.* Ideo Senes brevioris somni sunt, quòd sicciore utantur cerebro: somnus enim humidis, quibus cerebrum juvenile abundat, vaporibus, maximè alitur.

Pinu jacentes sic temere, et rosâ
Canos odorati capillos,
Dum licet, Assyriaque nardo,
Potamus uncti? Dissipat Evius
Curas edaces. Quis puer ociùs
Restinguet ardentis Falerni
Pocula prætereunte lymphâ?

piendis et vita exequendis par non est, cùm utraque finita brevisque sit? Quin potiùs sub hujus platani vel pinus umbrâ, ut fors feret, projecti, cincto roseis coronis capite et ungu ntis delibuto, dum fas est, commessamur? Vino discutiuntur curæ mordaces. Age, quis mihi servulus Falernum aquâ è vicino petitâ rivo, temperabit?

16. *Nardo.* Est Nardus, planta odoris suavissimi, ex quâ oleum, sive unguentum Nardinum conficiebatur.

Assyriâ. Est Assyria, regio Asiæ, circa Euphratem, supra Palæstinam et Syriam.

17. *Evius.* Bacchus.

ODE IX.

Mæcenatis uxorem laudat.

NOLIS longa feræ bella Numantiæ,
Nec dirum Annibalem, nec Siculum mare

NE me, quæso, jubeas lyricis modis et versibus, qui levioribus tantum argumentis idonei sunt, canere, ô Mæce-

1. *Numantiæ.* Hispaniæ urbis, quam cùm Scipio Africanus, minor dictus, qui ante annos quatuordecim Carthaginem everterat, obsideret, omnes ad unum ejus cives necem sibi consciverunt. Capta demum urbs et solo æquata, anno obsidionis nono ab Româ conditâ 621.

2. *Annibalem.* Fuit Annibal dux Carthaginiensium fortissimus: bellum Romanis intulit, quod Punicum secundum vocatur; cœptumque est anno U. C. 536. ac post annos 17. à Scipione Africano majore confectum. Annibal per Hispaniam, Gallias et Alpes penetravit in Italiam, ubi Romanos ter ingenti pugnâ vicit, ad fluvium Trebiam, ad lacum Thrasymenum, et ad Cannas, Apuliæ vicum. Scipio, ut eum a Româ, cui imminebat, averteret, bellum transportavit in Africam, quò

Pæno purpureum sanguine, mollibus
Aptari citharæ modis:
Nec sævos Lapithas, et nimium mero
Hylæum, domitosque Herculeâ manu
Telluris juvenes, unde periculum
Fulgens contremuit domus
Saturni veteris: tuque pedestribus
Dices historiis prælia Cæsaris,
Mæcenas, meliùs, ductaque per vias
Regum colla minacium.

nas, bellum atrox cum Numantinis gestum; aut cum Annibale et Carthaginiensibus, ac fretum Siculum eorum sanguine infectum: non prælia Lapitharum cum Centauris, inter quos Hylæus ebrietate insignis fuit; non Gigantes ab Hercule prostratos, à quibus cœlum, prisci Saturni regia, ruinam et excidium pertimuit. Imo noli me ad canenda bella Cæsaris adigere, ac reges ab eo per urbem in triumpho ductos, quæ tu longè commodiùs oratione solutâ persequeris. Hanc mihi pro-

redire coactus Annibal vincitur, et à suis etiam expulsus, ad Antiochum Syriæ regem primùm, deinde ad Prusiam regem Bithyniæ fugit; apud quem cùm videret tutum se adhuc à Romanis non esse, veneno vitam sibi ademit, anno U. C. 572.

Siculum mare, etc. Pœni sæpe à Romanis navali prælio superati; præsertim in primo bello Punico, quod anno U. C. 490. cœptum est, in quo primus Romanorum navalem victoriam adeptus est C. Duilius, belli anno quinto: postea C. Lutatius, anno belli ejusdem 23. et ultimo.

7. *Telluris juvenes.* Terræ filios: id enim sonat vox Græca, γηγενεῖς, unde vox, Gigantes, facta. Illi cùm Jovem et cœlum obsiderent, essetque diu anceps et periculosa pugna, ferunt Terram Jovi renunciasse, non aliter Deos Gigantibus superiores futuros, quàm si duos semideos sibi belli socios et adjutores adjungerent. Ita Bacchus et Hercules accersiti sunt, quorum operâ et virtute Superi victoriam sunt adepti.

9. *Saturni.* Deorum fuit antiquissimus à Jove filio pulsus patriâ et cœlo, in Italiam, ut aiunt, fugit ad Janum.

10. *Pedestribus historiis.* Solutam orationem Græci vocant πεζὸν λόγον, pedestrem sermonem: quia licèt numeros quoque suos habeat, non tamen æquè sonantes et adstrictos habet atque Poëtica, quæ non tam ire pedibus et ingredi, quàm grallis et cothurnis niti, et insultare solo videtur.

11. *Ducta, etc.* Anno ab U. C. 727. tribus deinceps diebus, triumphavit Augustus;

Me dulces dominæ Musa Lycimniæ
Cantus, me voluit dicere lucidùm
Fulgentes oculos, et bene mutuis
Fidum pectus amoribus :
Quam nec ferre pedem dedecuit choris,
Nec certare joco, nec dare brachia
Ludentem nitidis virginibus, sacro
Dianæ celebris die.
Num tu, quæ tenuit dives Achæmenes,
Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes
Permutare velis crine Lycimniæ,
Plenas aut Arabum domos?

vinciam, Musæ imposuerunt, ut uxorem tuam Lycimniam prædicarem, ejus canoram vocem, oculos pulchrè micantes luce, et amorem amori tuo summâ cum fide respondentem. Illa in choreis præcipuâ cum dignitate saltat, jocatur in circulis, de urbanæ dicacitatis laude cum hominibus jocandi scientissimis contendit; cum primariis virginibus movetur ad numerum, consertis in orbem manibus, quando Dianæ festa celebrantur. Equidem sic existimo unum ex illius capillis majori apud te in pretio esse, quàm omnes Achæmenis gazas, quàm Phrygiæ regis, aut Arabum thesauros, quos unius Lycimniæ crinis facturâ nolis redimere.

primâ die, de Dalmatis; alterâ, de Antonio et Cleopatrâ; tertiâ, de Ægypto.

13. *Dominæ*. Ita uxores et amicas vocitabant. Licinnia hæc autem, sive Lycimnia, fuit soror Proculeii et Murenæ.

14. *Lucidum*. Pro, lucidè. Adjectiva neutrius generis usurpantur pro adverbiis : Dulce ridens, pro dulciter : torva ruens, pro, torvè.

20. *Dianæ*. Hæc Phœbi soror, sylvarum præses, etc. Ejus festa colebantur præcipuè à virginibus.

21. *Achemænes*. Rex persarum; qui ab eo appellantur Achæmenii, Achæmenidæ.

22. *Phrygiæ*. Est pars Asiæ minoris : olim dicta Barbaria. Ejus pars *Mygdonia*, ubi regnavit Midas ille, cujus opes et avaritia celebrantur.

24. *Arabum*. Sunt Asiæ populi, inter Persidem et mare Erythræum.

Ode X.

Diràs imprecatur arbori, quæ corruens ipsum penè oppresserat.

ILLE et nefasto te posuit die,
Quicumque primum, et sacrilegâ manu
Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem, opprobriumque pagi.
Illum et parentis crediderim sui
Fregisse cervicem, et penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis. Ille venena Colchica,
Et quicquid usquam concipitur nefas,
Tractavit, agro qui statuit meo
Te, triste lignum, te caducum
In domini caput immerentis.
Quid quisque vitet, nunquam homini satis

O Arbor, quicumque te manu sacrilegâ plantavit primùm, te, inquam, exitio posterorum, ac sempiternæ pagi tui ignominiæ natam; ille, et infelici aliquo funestoque die te plantavit; et, ut reor, sui patris fauces elisit, hospites nocturnâ cæde interemit, venena præsentissima confecit, nullius denique flagitii expers fuit is, qui te in agro meo posuit, infaustum lignum, aliquando lapsurum in heri nihil tale promeriti caput. Nemo homo est qui prospicere et cavere possit omnia quæ ipsi horis singulis

1. *Nefasto die.* Fasti dies apud Romanos dicebantur ii quibus in foro causas agere fas erat; quibus licebat Prætori solemnia quædam fari verba. Nefasti verò, quibus nefas erat quicquam in foro publicæ, vel privatæ rei tractare. Qui dies, quia vulgò erant ob aliquam calamitatem publicam notati, et funesti eâ de causâ nefastus dies pro die inauspicato et infortunato accipitur.

6. *Penetralia.* Interiorem domûs partem.

8. *Hospitis.* Erat hospitii jus sanctissimum. Itaque gravissimum crimen habebatur hospitem necare.

Colchica. Pertinet ultima syllaba ejus vocis ad sequentem versum, in quo eliditur et coalescit cum particulâ Et. Porro Colchis regio est Asiæ, Medeæ patria, venenorum ferax.

Cautum est in horas. Navita Bosphorum
Pœnus perhorrescit, neque ultra
Cæca timet aliunde fata.
Miles sagittas, et celerem fugam
Parthi; catenas Parthus, et Italum
Robur: sed improvisa leti
Vis rapuit, rapietque gentes.
Quam pene furvæ regna Proserpinæ,
Et judicantem vidimus Æacum,
Sedesque descriptas piorum, et

impendent pericula. Carthaginienses nautæ procellas in Bosphoro excitari solitas unicè reformidant, neque mortem improvisam, sexcentis aliis in locis et occasionibus imminentem, timent. Miles Romanus jacula Parthorum, tunc maximè quando fugam simulant, pertimescit. Parthi vicissim Romanorum vires invictas perhorrescunt, ac ne ab his capiantur in acie, et in vincula conjiciantur, metuunt. Sed inde mors tamen ingruit hactenus, ac in posterum ingruet mortalibus, unde minimè expectatur. Quam parum abfuit, quin atram hanc, ubi regnat Proserpina, regionem aspicerem! et Æacum sententiam de Manibus ferentem; tum loca placida probis attributa; Saphonem vernaculo carmine de virginibus Lesbiis conquerentem! Teque, ô Alcæe,

14. *Bosphorum.* Significat ea vox fretum quodlibet angustum, per quod commeare facilè boves possunt: à vocibus Græcis Βοὸς *bos*, et φόρος *transitus*: præcipuè verò illud fretum quod interjacet inter Ægeum mare ac Propontidem, qui Hellespontus vulgò appellatur, *le détroit de Gallipoli*, ubi Sestus et Abydus. Duo sunt etiam alii Bosphori celebres, alter qui Thracius vocatur, *le détroit de Constantinople*, vel, *le canal de la Mer Noire*, inter Propontidem et Pontum Euxinum: alter Bosphorus Cimmerius, qui Pontum Euxinum cum palude Mæotide jungit, *le détroit de Caffa.*

15. *Pœnus.* Carthaginienses mari, et arte nauticâ tunc plurimùm poterant.

18. *Parthus.* Asiæ populus, Persis vicinus. Illi solebant fugam in acie simulare, ac inter fugiendum tela tam peritè, reflexis in humeros arcubus, conjiciebant, ut persequentes interficerent.

22. *Æacum.* Tres à Plutone constituti judices de mortuorum causis cognoscere dicebantur: Minos, Æacus, Rhadamanthus.

23. *Sedes piorum.* Campos Elysios. Nonnulli legunt *discretas*, id est, separatas à domicilio impiorum, seu Tartaro.

Æolii sfidibus querentem
Sapho puellis de popularibus:
Et te sonantem plenius aureo,
Alcæe, plectro dura navis,
Dura fugæ mala, dura belli!
Utrumque sacro digna silentio
Mirantur umbræ dicere; sed magis
Pugnas, et exactos tyrannos
Densum humeris bibit aure vulgus.
Quid mirum? ubi illis carminibus stupens
Demittit atras bellua centiceps
Aures, et intorti capillis

aureâ citharâ et grandiore stylo canentem ærumnas gravissimas, quas in navigatione, in bello, et exilio, pertulisti. Mutus umbrarum grex, tacitâ quadam admiratione defixus, utrumque poëtam illum audit ea canentem, quæ sacro quodam excipi silentio jure debent. Earum tamen pars major, et in unum stipata, collatis densatisque humeris, Alcæum bella et pulsos tyrannos memorantem auscultat avidiùs. Nec miror; siquidem ipse Cerberus demissis auribus, ab ore dicentis pendet, dulci carminum sono captus: ac serpentes illi, quibus Furiarum crines illigati sunt, respirant et acquiescunt. Quid quòd ipse Prometheus ac Tantalus suavitate cantûs illecti, suppliciorum

24. *Æoliis.* Æoles erant Græciæ veteris populus. In Asiam minorem transgressi, consederunt in eâ parte quæ est inter Troadem et Ioniam: ibique urbes duodecim condidêre. Eorum etiam in ditione Lesbos insula fuit, *Metelin*, Alcæi patria, et Sapphonis, cujus eam ob rem cithara hoc in versiculo Æolia vocatur.

Querentem, etc. Ab iis se contemptam dolebat, quamvis ingeniosa esset ac erudita.

25. *Popularibus.* Popularis, cum hoc loco significat qui est ejusdem gentis et populi: interdum est, qui favet populo, qui populo gratus est.

27. *Alcæe.* Poëta lyricus fuit. Floruit circa annum mundi 3455. Urbis conditæ 153. Bella civilia et seditiones in Lesbo excitatas à tyrannis cecinit, à quibus ipse cum aliis permultis vertere solum coactus, non modò stylum, sed arma quoque et gladium in eosdem exeruit.

29. *Sacro silentio.* Alto quodam et eximio: quale nimirum adhibetur, cùm res divina fit, etc.

34. *Centiceps.* Tria Cerbero tantùm capita canina vulgò tribuuntur: Hesiodus dat illi quinquaginta.

Eumenidum recreantur angues?
Quin et Prometheus, et Pelopis parens
Dulci laborum decipitur sono;
Nec curat Orion leones,
Aut timidos agitare lyncas.

suorum velut obliviscuntur: et Orion venator leones aut lyncas in sylvis in inferorum persequi libenter omittit.

36. *Eumenidum.* Furiæ appellantur Εὐμενίδες, id est, *propitiæ, placabiles;* per antiphrasim, quasi quæ minimè tales sint; vel, ut præbeant se placatas et propitias. Deæ sunt cædis et impietatis ultrices. Tres numerantur, Alecto, Megæra, Tisiphone.

37. *Pelopis parens.* Tantalus. Is, quòd filium interemisset, eà multatus in inferis pœnà fuisse dicitur, ut mediis in aquis sitiat subsidentibus, cùm admovere labra tentat, lymphis, et hiantem destituentibus.

38. *Laborum decipitur.* Græca locutio. Apud Græcos enim verba falli, decipi, et ponuntur pro, oblivisci, latere, et cum gignendi casu struuntur.

40. *Lyncas.* Lynx, animal est cervo simile; variam et maculosam pellem, oculos acutissimos habet. Fingunt poëtæ, homines, morte obitâ, iisdem rebus ac studiis teneri, quibus vivi capiebantur: canunt vates, feras sectantur venatores, etc.

ODE XI.

Brevitas vitæ, mortis necessitas.

EHEU! fugaces, Posthume, Posthume,
Labuntur anni; nec pietas moram
Rugis, et instanti senectæ
Afferet, indomitæque morti:

Posthume, mi Posthume fanni præcipites dilabuntur et aufugiunt: nec imminentem cum suis rugis senectutem, ac nescium vinci mortem, probitas vitæ et sanctimonia retardabit. Quamvis Plutonem tibi conciliare quotidiano trecentorum boum sacrificio moliaris; nihil tamen proficies, lacrymis tuis non

Non, si trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrymabilem
Plutona tauris: qui ter amplum
Geryonem, Tityonque tristi
Compescit undâ, scilicet omnibus,
Quicumque terræ munere vescimur,
Enaviganda; sive reges,
Sive inopes erimus coloni.
Frustrà cruento Marte carebimus,
Fractisque rauci fluctibus Adriæ:
Frustrà per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum.

flectetur. Ille Geryonem triplici corpore prœditum; ille Tityum, objecto quasi vallo Stygiæ paludis, inclusos tenet. Eandem Stygen nos omnes, quicumque vitam vivimus et terræ frugibus alimur, transmittere oportet, sive reges, sive inopes agricolæ fuerimus. Frustra belli pericula fugiemus, et procellas quibus Adrianum mare circumsonat: nequicquam providebimus ne infestum valetudini Australem ventum, vergente in autumnum anno, sentiamus. Adeundus nobis seriùs ociùs est Cocytus, nigrantes aquas lentè volvens; visendæ Danaïdes, quibus

5. *Trecenis.* Ita scribendum est, non *tricenis*, in hac enim voce prima syllaba producitur. Sensus est: Non si quotidie trecentos tauros Plutoni immoles, cum exorabis, et mortem effugies.

8. *Geryonem.* Fuit Geryon insularum prope Hispaniam trium, Ebusi videlicet ac Balearidum duarum, rex; quæ res locum fecit fabulis poëtarum, qui eum tricorporem fuisse dixerunt, ita ut illa corpora, pectore tenus di isa, in duo crura infernè coalescerent. Hunc peremit Hercules, et ejus boves in Italiam abegit. Virgil. VIII. Æneid. Sunt qui tres fuisse fratres velint eodem nomine, tantâ inter se concordiâ devinctos, ut animâ unâ tribus in corporibus spirare viderentur.

Tityon. Pro, Tityum. Ille cùm Latonam de stupro interpellasset, Jovis fulmine ad inferos detrusus est, ubi humi exporrectus, novem terræ jugera dicitur occupare, jecurque perpetuò renascens vulturi excdendum præbere.

9. *Tristi undâ.* Styge: Στυγέω enim sonat, *horreo*, *contristor.* De hac palude inferorum lege Virgil. Libro VI, versu 323.

14. *Fractis.* Fluctibus à scopulis, à littore, franguntur cum fragore.

16. *Austrum.* Auster fiat à Meridie, et morbos humido

Visendus ater flumine languido
Cocytus errans, et Danai genus
Infame, Damnatusque longi
Sisyphus Æolides laboris.
Linquenda tellus, et domus, et placens
Uxor; neque harum, quas colis, arborum
Te, præter invisas cupressos,
Ulla brevem dominum sequetur.
Absumet hæres Cæcuba dignior
Servata centum clavibus; et mero
Tinget pavimentum superbum,
Pontificum potiore cœnis.

inusta ob suum scelus ignominiæ nota sempiterna; visendus Sisyphus longo labore damnatus. Cedendum est terris; domus uxorque relinquenda; et earum, quarum curam geris tam diligentem, quas non diu possidebis, arborum, nulla te, nisi cupressi ferales, consequetur. Vina quæ servas in cellâ multis clavibus obseratâ, illis generosiora, quæ potantur à Saliis sacerdotibus, ea, inquam, hæres dilapidabit ac disperdet, te sapientior, et qui his utatur dignior: eaque in pavimentum pretioso structum lapide profundet.

calore, ac febres per autumnum importat.

18. *Cocytus.* Fluvius inferorum; à κωκύω, *lamentor.*

Danai genus. Danaus et Ægyptus, fratres Belo geniti fuêre. Alter filios quinquaginta, ut aiunt, alter filias totidem, susceperant. Ægypti filiis nupserunt Danaï filiæ, et viros suos ipsâ nuptiarum nocte jugularunt, præter unam Hypermnestram quæ Lynceum maritum servavit. Ob id scelus eâ damnatæ finguntur apud inferos pœnâ, ut pertusum dolium aquâ, cogantur implere, ita ut tantumdem effluat quantum infunditur. Belides vocantur à suo avo: Danaïdes à patre.

20. *Sisyphus.* Æoli filius, mortalium omnium ætatis suæ vaferrimus, cùm Atticam latrociniis infestaret, à Theseo interfectus est. Hunc poëtæ aiunt eo supplicii genere in Tartaro plecti, ut saxum ingens in montis verticem provolvat, quod cùm ad summum cacumen est provectum, suâ sponte deorsum usque relabitur.

23. *Cupressos.* Hæc arbor pro foribus mortuorum figebatur; ad struendas etiam pyras adhiberi solebat, quia semel cæsa non revirescit aut repullulat, in quo mortuum hominem imitatur.

24. *Brevem.* Non diu victurum.

Potiore. Digniore, quod apponeretur in cœnis Saliaribus.

Ode XII.

Antiquorum parcimoniam ac frugalitatem recenti luxui opponit.

JAM pauca aratro jugerâ regiæ
Moles relinquent: undique latiùs
Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu, platanusque cælebs
Evincet ulmos: tum violaria, et
Myrtus, et omnis copia narium,
Spargent olivetis odorem,
Fertilibus domino priori:
Tum spissa ramis laurea fervidos
Excludet ictus. Non ita Romuli

BRevi fiet ut omne solum extruendis sumptuosis ædibus occupetur, et exigua pars agrorum supersit, quæ arari et coli queat: plus obtinebunt spatii privatorum stagna quàm Lucrinus lacus et platani, licèt vitibus non maritentur, ulmos nu. ero et honore superabunt. Horti pariter violis et myrto, cæterisque floribus ad oblectandas nares consiti, obtinebunt arva priùs olivis referta, quæ ingenti lucro veteres dominos ditabant: inde lauri steriles ad æstivi solis radios arcendos adhibebuntur.

1. *Regiæ moles.* Ædificia superba, et magnis molibus substructionibusque, regiarum instar ædium, extructa.

3. *Lucrino lacu.* Erat ille lacus in Campaniâ Italicâ, propre lacum Avernum, inter Puteolos et Baias: absorptus est ingenti terræ motu, anno 1538. restat lutosa tantum palus, quæ *mare Morto* nuncupatur. Cæsar Augustus immisso in lacum Lucrinum et Avernum mari, portum Julium effecerat. Virg. Georg. L. II. vers. 161.

4. *Cælebs.* Est qui caret uxore. Vites in Italiâ ulmis applicabantur, et quasi maritabantur, non item platanis, in quibus umbra tantum quærebatur.

6. *Myrtus.* Est hîc in numero multitudinis, et declinationis quartæ, ut fructus: est interdum secundæ. Sunt qui legant: *Tum violaria Myrtusque, et omnis*, etc.

Copia narium. Bellè vocantur odorati flores, opes ac divitiæ narium; iis enim juvantur et beantur nares. Ita

Præscriptum, et intonsi Catonis
Auspiciis, veterumque normâ.
Privatus illis census erat brevis;
Commune magnum: nulla decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton.
Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant, oppida publico
Sumptu jubentes, et Deorum
Templa novo decorare saxo.

Non ita profectò edictum fuit legibus auspiciatissimis, quas Romulus, quas antiquus Cato, condiderunt: non hic veterum Romanorum mos et institutum fuit. Utebantur illi re familiari ac domesticâ tenui et angustâ; dum publica res lauta erat et ampla: non visebantur in eorum privatis ædibus porticus decempedis dimensæ, et obversæ Aquilonibus, ubi umbram et frigus per æstatem captarent. Ita legibus cautum, et moribus receptum erat, ut in cespite qui temerè occurrisset, somnos quisque carperet, sederet, vel accumberet; urbes verò et Superûm delubra, publicis sumptibus, et saxo nitido recensque secto ædificarentur.

Catullus, opinor, vocat hircum olentem, pestem narium.

11. *Intonsi.* Serò admodum Romæ tonsores visi sunt. Itaque *barbati et intonsi* pro antiquis dicuntur.

12. *Auspiciis.* Consiliis, auctoritate.

14. *Commune.* Subaudi, bonum, τὸ κοινὸν, respublica.

Per vocem, *census*, intelligitur tota rei familiaris æstimatio.

Decempedis. Decempeda, est pertica, sive mensura pedum decem.

17. *Cespitem.* Cespes, humum significat vestitam suo gramine.

Ode XIII.

Optatur ab omnibus animi tranquillitas : ea verò coërcendis cupiditatibus tantummodo comparatur.

Otium Divos rogat in patenti
Prensus Ægæo, simul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis.
Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetrâ decori,
Grosphe, non gemmis, neque purpura venale, nec auro.
Non enim gazæ, neque consularis
Summovet Lictor miseros tumultus
Mentis, et curas laqueata circum
Tecta volantes.

O Grosphe, nauta in vasto mari subitâ tempestate occupatus, Lunâ densis nubibus obvolutâ et sideribus conditis, quibus naves tutò regi solent, tranquillitatem ac pacem à Superis unicè poscit. Eamdem Thraces in medio bellorum, quibus indulgent, furore ac tumultu comprecantur. Eamdem orant, quibus pulchrum est pharetram ex humeris gestare, Medi. Hæc tamen gemmis, auro, et purpurâ non emitur. Quippe non opes exquisitæ, non Lictores, qui Consulibus præire solent, diras animorum perturbationes possunt excludere, et curas, quæ aureis ædium superbarum lacunaribus involitant. Vitam

2. *Ægæo.* Mare Ægeum est ampla Mediterranei maris pars inter Græciam ab occidente, et Asiam minorem ab oriente. Nunc vocatur vulgò l'*Archipel.* Ægæum autem, ab Æge, scopulo, inter Tenedum et Chium dictum est Plinio teste.

5. *Thrace.* Thraca, seu Thracia, Θρήκη, regio Europæ supra Græciam ad Septentrionem.

9. *Gazæ.* Vox Persica : thesauri, res pretiosæ.

10. *Lictor.* Anteibant Consulem Lictores cum fascibus 12. et summovebant populum, ut via Consuli pateret. Dicti sunt autem Lictores à ligando, quia sontes vinciebant.

Vivitur

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensâ tenui salinum;
Nec leves somnos timor aut cupido
    Sordidus aufert.
Quid brevi fortes jaculamur ævo
Multa? quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriæ quis exul
    Se quoque fugit?
Scandit æratas vitiosa naves
Cura; nec turmas equitum relinquit,
Ocior cervis, et agente nimbos
    Ocior Euro.
Lætus in præsens animus, quod ultra est

felicem ac tranquillum agit, licèt angustâ in re ac tenui, qui salinum à majoribus acceptum, mundum ac nitidum in frugali mensa servat, nec metu aut avarâ cupiditate impeditur quominus alto perfruatur somno. Cur in tantâ vitæ mortalis brevitate tam multa fortiter et animosè, quasi diu victuri, designamus et molimur? Cur migramus in longinquas oras, alteri velut soli et cœlo subjectas? Quis patriam relinquens, et voluntarium quodammodo suscipiens exilium, se quoque ipsum et suas cupiditates fugere potest? Sequuntur eum curæ improbæ, et in eamdem cum ipso navem conscendunt; oberrant illæ medias inter acies, et equitibus assident, cervis, atque vento nubes procellosas agente, velociores. Ita nos igitur comparemus, ut præsenti rerum statu contenti, de futuro solliciti nequaquam

13. *Vivitur, etc.* Ostendit otium illud quod omnes expetunt, iis contingere, qui parvo contenti sunt, et ab omni cupiditate liberi.

14. *Salinum.* Vasculum salis, supellex quælibet. Ea vox, *paternum*, significat rem familiarem, non auctam rapinis et malis artibus, sed, ut à parentibus accepta fuit, conservatam.

17. *Jaculamur.* Intento animo cupimus. Desideria et vota nostra sunt instar sagittarum, quibus res optatas quasi petimus: sed à signo sæpe aberramus.

Brevi fortes ævo. Qui ad breve tempus valemus et vivimus.

18. *Alio sole.* Videtur sol alius esse in zonâ frigidâ, alius in torridâ, tam diversos effectus habet.

21. *Æratas.* Proræ navium ferro et ære muniebantur: eædem prominebant, ut avium rostra, unde naves rostratæ vocabantur.

24. *Euro.* Hic ventus ab oriente flat, ac nubes dissipare solet.

Oderit curare; et amara læto
Temperet risu. Nihil est ab omni
Parte beatum.
Abstulit clarum cita mors Achillem,
Longa Tithonum minuit senectus:
Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora.
Te greges centum, Siculæque circum,
Mugiunt vaccæ, tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa, te bis Afro
Murice tinctæ
Vestiunt lanæ: mihi parva rura et
Spiritum Graiæ tenuem Camœnæ
Parca non mendax dedit, et malignum
Spernere vulgus.

simus et res adversas hilaritate moderatâ condiamus. Nulla felicitas omnibus numeris et partibus absoluta est. Achilles ille tot rebus præclarè gestis inclitus immaturâ morte fuit præreptus: Tithonus diuturno senio confectus extabuit: et opportunitas rei bene gerendæ mihi fortasse offeret opes et commoda, qua tibi negata fuerint. Abundas tu quidem innumeris ovium boumque gregibus in Siciliâ: personant pascua tua equarum ad quadrigas idonearum hinnitibus: pannis Africanâ purpurâ bis tinctis splendidè vestitus nites. At mihi benignæ fidelesque Parcæ villam exilem et facultatem aliquam condendi Lyrici carminis à Græcis inventi, imprimis verò animum stolidi et procacis vulgi contemptorem, donaverunt.

35. *Quadrigis.* Quadriga est currus ab equis quatuor tractus. Adhibebatur maximè in ludis Circensibus, etc.

36. *Murice.* Murex, pisciculus est cujus è sanguine vel sanie, facta primùm purpura. Hæc, ut esset vividior et coloris manè saturi, bis tingebatur. Hinc purpura dibapha, bis tincta: διβαφὸς.

Ode XIV.

Mæcenatem, de morborum et senectutis incommodis querentem, consolatur; eique se superstitem fore negat.

Cur me querelis exanimas tuis?
Nec Dìs amicum est, nec mihi, te priùs
Obire, Mæcenas, mearum
Grande decus, columenque rerum.
Ah! te meæ si partem animæ rapit
Maturior vis, quid moror alterâ,
Nec carus æquè, nec superstes
Integer? Ille dies utramque
Ducet ruinam. Non ego perfidum
Dixi sacramentum: ibimus, ibimus,
Utcumque præcedes, supremum

Cur de valetudine tuâ sæpe quiritando, me dolore conficis, ô Mæcenas, cujus benevolentiâ et patrocinio fortunæ meæ nituntur ac florent? Neque Superis, neque verò mihi placet, te prius, quàm me ipsum, mortem oppetere. Ah! si quo infelici casu eveniret, ut te, qui animæ meæ pars dimidia es, acerba mors præriperet, quid esse causæ posset, cur in terris diutius morarer? ego, inquam, altera pars illius quæ in nostris amborum corporibus spirat, animæ; presertim, cùm, te extincto si supersim, neque integer ac totus quodammodo sim futurus, alterâ mei parte amissâ, nec populo Romano, mihique adeo ipsi tam carus, quàm sum, te vivo et incolumi. Quæ dies tibi vitam eripiet, eripiet itidem mihi; cadere non potes, quin eodem ego casu oppressus concidam. Id bonâ fide sæpius dixi, ac interposito jurejurando affirmavi me tecum eodem fato periturum. Sic est: pergemus unà, pergemus quan-

1. *Querelis.* Mæcenas parum commodâ valetudine, præsertim sub extremum vitæ tempus, est usus; atque adeo de morbis, aut etiam de vitæ diurnitate, ut fit, cum Horatio amico solebat queri.

6. *Maturior vis.* Mors tibi citius obveniens quàm mihi.

10. *Sacramentum.* Est propriè jurisjurandi formula, quam usurpant milites cùm militiæ dant nomen.

Æolii sfidibus querentem
Sapho puellis de popularibus:
Et te sonantem plenius aureo,
Alcæe, plectro dura navis,
Dura fugæ mala, dura belli!
Utrumque sacro digna silentio
Mirantur umbræ dicere; sed magis
Pugnas, et exactos tyrannos
Densum humeris bibit aure vulgus.
Quid mirum? ubi illis carminibus stupens
Demittit atras bellua centiceps
Aures, et intorti capillis

aureâ citharâ et grandiore stylo canentem ærumnas gravissimas, quas in navigatione, in bello, et exilio, pertulisti. Mutus umbrarum grex, tacitâ quadam admiratione defixus, utrumque poëtam illum audit ea canentem, quæ sacro quodam excipi silentio jure debent. Earum tamen pars major, et in unum stipata, collatis densatisque humeris, Alcæum bella et pulsos tyrannos memorantem auscultat avidiùs. Nec miror; siquidem ipse Cerberus demissis auribus, ab ore dicentis pendet, dulci carminum sono captus: ac serpentes illi, quibus Furiarum crines illigati sunt, respirant et acquiescunt. Quid quòd ipse Prometheus ac Tantalus suavitate cantûs illecti, suppliciorum

24. *Æoliis.* Æoles erant Græciæ veteris populus. In Asiam minorem transgressi, consederunt in eâ parte quæ est inter Troadem et Ioniam: ibique urbes duodecim condidêre. Eorum etiam in ditione Lesbos insula fuit, *Metelin*, Alcæi patria, et Sapphonis, cujus eam ob rem cithara hoc in versiculo Æolia vocatur.

Querentem, etc. Ab iis se contemptam dolebat, quamvis ingeniosa esset ac erudita.

25. *Popularibus.* Popularis, cum hoc loco significat qui est ejusdem gentis et populi: interdum est, qui favet populo, qui populo gratus est.

27. *Alcæe.* Poëta lyricus fuit. Floruit circa annum mundi 3455. Urbis conditæ 153. Bella civilia et seditiones in Lesbo excitatas à tyrannis cecinit, à quibus ipse cum aliis permultis vertere solum coactus, non modò stylum, sed arma quoque et gladium in eosdem exeruit.

29. *Sacro silentio.* Alto quodam et eximio: quale nimirum adhibetur, cùm res divina fit, etc.

34. *Centiceps.* Tria Cerbero tantùm capita canina vulgò tribuuntur: Hesiodus dat illi quinquaginta.

Eumenidum recreantur angues?
Quin et Prometheus, et Pelopis parens
Dulci laborum decipitur sono;
Nec curat Orion leones,
Aut timidos agitare lyncas.

suorum velut obliviscuntur · et Orion venator leones aut lyncas in sylvis in inferorum persequi libenter omittit.

36. *Eumenidum.* Furiæ appellantur Εὐμενίδες, id est, *propitiæ, placabiles;* per antiphrasim, quasi quæ minimè tales sint; vel, ut præbeant se placatas et propitias. Deæ sunt cædis et impietatis ultrices. Tres numerantur, Alecto, Megæra, Tisiphone.

37. *Pelopis parens.* Tantalus. Is, quòd filium interemisset, eà multatus in inferis pœnà fuisse dicitur, ut mediis in aquis sitiat subsidentibus, cùm admovere labra tentat, lymphis, et hiantem destituentibus.

38. *Laborum decipitur.* Græca locutio. Apud Græcos enim verba falli, decipi, et ponuntur pro, oblivisci, latere, et cum gignendi casu struuntur.

40. *Lyncas.* Lynx, animal est cervo simile; variam et maculosam pellem, oculos acutissimos habet. Fingunt poëtæ, homines, morte obità, iisdem rebus ac studiis teneri, quibus vivi capiebantur: canunt vates, feras sectantur venatores, etc.

ODE XI.

Brevitas vitæ, mortis necessitas.

EHEU! fugaces, Posthume, Posthume,
Labuntur anni; nec pietas moram
Rugis, et instanti senectæ
Afferet, indomitæque morti:

POsthume, mi Posthume fanni præcipites dilabuntur et aufugiunt: nec imminentem cum suis rugis senectutem, ac ñesciam vinci mortem, probitas vitæ et sanctimonia retardabit. Quamvis Plutonem tibi conciliare quotidiano trecentorum boum sacrificio moliaris; nihil tamen proficies, lacrymis tuis non

Non, si trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrymabilem
Plutona tauris: qui ter amplum
Geryonem, Tityonque tristi
Compescit undâ, scilicet omnibus,
Quicumque terræ munere vescimur,
Enavigandâ; sive reges,
Sive inopes erimus coloni.
Frustrà cruento Marte carebimus,
Fractisque rauci fluctibus Adriæ:
Frustrà per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum.

flectetur. Ille Geryonem triplici corpore præditum; ille Tityum, objecto quasi vallo Stygiæ paludis, inclusos tenet. Eandem Stygen nos omnes, quicumque vitam vivimus et terræ frugibus alimur, transmittere oportet, sive reges, sive inopes agricolæ fuerimus. Frustra belli pericula fugiemus, et procellas quibus Adrianum mare circumsonat: nequicquam providebimus ne infestum valetudini Australem ventum, vergente in autumnum anno, sentiamus. Adeundus nobis seriùs ociùs est Cocytus, nigrantes aquas lentè volvens; visendæ Danaïdes, quibus

5. *Trecenis.* Ita scribendum est, non *tricenis*, in hac enim voce prima syllaba producitur. Sensus est: Non si quotidie trecentos tauros Plutoni immoles, eum exorabis, et mortem effugies.

8. *Geryonem.* Fuit Geryon insularum prope Hispaniam trium, Ebusi videlicet ac Balearidum duarum, rex; quæ res locum fecit fabulis poëtarum, qui eum tricorporem fuisse dixerunt, ita ut illa corpora, pectore tenus di isa, in duo crura infernè coalescerent. Hunc peremit Hercules, et ejus boves in Italiam abegit. Virgil. VIII. Æneid. Sunt qui tres fuisse fratres velint eodem nomine, tantâ inter se concordiâ devinctos, ut animâ unâ tribus in corporibus spirare viderentur.

Tityon. Pro, Tityum. Ille cùm Latonam de stupro interpellasset, Jovis fulmine ad inferos detrusus est, ubi humi exporrectus, novem terræ jugera dicitur occupare, jecurque perpetuò renascens vulturi exedendum præbere.

9. *Tristi undâ.* Styge: Στυγέω enim sonat, *horreo*, *contristor*. De hac palude inferorum lege Virgil. Libro VI. versu 323.

14. *Fractis.* Fluctibus à scopulis, à littore, franguntur cum fragore.

16. *Austrum.* Auster fiat à Meridie, et morbos humido

Visendus ater flumine languido
Cocytus errans, et Danai genus
Infame, Damnatusque longi
Sisyphus Æolides laboris.
Linquenda tellus, et domus, et placens
Uxor; neque harum, quas colis, arborum
Te, præter invisas cupressos,
Ulla brevem dominum sequetur.
Absumet hæres Cæcuba dignior
Servata centum clavibus; et mero
Tinget pavimentum superbum,
Pontificum potiore cœnis.

inusta ob suum scelus ignominiæ nota sempiterna; visendus Sisyphus longo labore damnatus. Cedendum est terris; domus uxorque relinquenda; et earum, quarum curam geris tam diligentem, quas non diu possidebis, arborum, nulla te, nisi cupressi ferales, consequetur. Vina quæ servas in cellâ multis clavibus obseratâ, illis generosiora, quæ potantur à Saliis sacerdotibus, ea, inquam, hæres dilapidabit ac disperdet, te sapientior, et qui his utatur dignior: eaque in pavimentum pretioso structum lapide profundet.

calore, ac febres per autumnum importat.

18. *Cocytus.* Fluvius inferorum; à *κωκύω*, *lamentor.*

Danai genus. Danaus et Ægyptus, fratres Belo geniti fuêre. Alter filios quinquaginta, ut aiunt, alter filias totidem, susceperant. Ægypti filiis nupserunt Danaï filiæ, et viros suos ipsâ nuptiarum nocte jugularunt, præter unam Hypermnestram quæ Lynceum maritum servavit. Ob id scelus eâ damnatæ finguntur apud inferos pœnâ, ut pertusum dolium aquâ, cogantur implere, ita ut tantumdem effluat quantum infunditur. Belides vocantur à suo avo: Danaïdes à patre.

20. *Sisyphus.* Æoli filius, mortalium omnium ætatis suæ vaferrimus, cùm Atticam, latrociniis infestaret, à Theseo interfectus est. Hunc poëtæ aiunt eo supplicii genere in Tartaro plecti, ut saxum ingens in montis verticem provolvat, quod cùm ad summum cacumen est provectum, suâ sponte deorsum usque relabitur.

23. *Cupressos.* Hæc arbor pro foribus mortuorum figebatur; ad struendas etiam pyras adhiberi solebat, quia semel cæsa non revirescit aut repullulat, in quo mortuum hominem imitatur.

24. *Brevem.* Non diu victurum.

Potiore. Digniore, quod apponeretur in cœnis Saliaribus.

Ode XII.

Antiquorum parcimoniam ac frugalitatem recenti luxui opponit.

Jam pauca aratro jugerâ regiæ
Moles relinquent: undique latiùs
Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu, platanusque cælebs
Evincet ulmos: tum violaria, et
Myrtus, et omnis copia narium,
Spargent olivetis odorem,
Fertilibus domino priori:
Tum spissa ramis laurea fervidos
Excludet ictus. Non ita Romuli

Brevi fiet ut omne solum extruendis sumptuosis ædibus occupetur, et exigua pars agrorum supersit, quæ arari et coli queat: plus obtinebunt spatii privatorum stagna quàm Lucrinus lacus et platani, licèt vitibus non maritentur, ulmos nu. cro et honore superabunt. Horti pariter violis et myrto, cæterisque floribus ad oblectandas nares consiti, obtinebunt arva priùs olivis referta, quæ ingenti lucro veteres dominos ditabant: inde lauri steriles ad æstivi solis radios arcendos adhibebuntur.

1. *Regiæ moles.* Ædificia superba, et magnis molibus substructionibusque, regiarum instar ædium, extructa.

3. *Lucrino lacu.* Erat ille lacus in Campaniâ Italicâ, propre lacum Avernum, inter Puteolos et Baias: absorptus est ingenti terræ motu, anno 1538. restat lutosa tantum palus, quæ *mare Morto* nuncupatur. Cæsar Augustus immisso in lacum Lucrinum et Avernum mari, portum Julium effecerat. Virg. Georg. L. II. vers. 161.

4. *Cælebs.* Est qui caret uxore. Vites in Italiâ ulmis applicabantur, et quasi maritabantur, non item platanis, in quibus umbra tantum quærebatur.

6. *Myrtus.* Est hîc in numero multitudinis, et declinationis quartæ, ut fructus: est interdum secundæ. Sunt qui legant: *Tum violaria Myrtusque, et omnis*, etc.

Copia narium. Bellè vocantur odorati flores, opes ac divitiæ narium; iis enim juvantur et beantur nares. Ita

Præscriptum, et intonsi Catonis
Auspiciis, veterumque normâ.
Privatus illis census erat brevis;
Commune magnum : nulla decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton.
Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant, oppida publico
Sumptu jubentes, et Deorum
Templa novo decorare saxo.

Non ita profectò edictum fuit legibus auspiciatissimis, quas Romulus, quas antiquus Cato, condiderunt : non hic veterum Romanorum mos et institutum fuit. Utebantur illi re familiari ac domesticâ tenui et angustâ; dum publica res lauta erat et ampla : non visebantur in eorum privatis ædibus porticus decempedis dimensæ, et obversæ Aquilonibus, ubi umbram et frigus per æstatem captarent. Ita legibus cautum, et moribus receptum erat, ut in cespite qui temerè occurrisset, somnos quisque carperet, sederet, vel accumberet; urbes verò et Superûm delubra, publicis sumptibus, et saxo nitido recensque secto ædificarentur.

Catullus, opinor, vocat hircum olentem, pestem narium.

11. *Intonsi.* Serò admodum Romæ tonsores visi sunt. Itaque *barbati et intonsi* pro antiquis dicuntur.

12. *Auspiciis.* Consiliis, auctoritate.

14. *Commune.* Subandi, bonum, τὸ κοινὸν, respublica. Per vocem, *census*, intelligitur tota rei familiaris æstimatio.

Decempedis. Decempeda, est pertica, sive mensura pedum decem.

17. *Cespitem.* Cespes, humum significat vestitam suo gramine.

ODE XIII.

Optatur ab omnibus animi tranquillitas : ea verò coërcendis cupiditatibus tantummodo comparatur.

OTIUM Divos rogat in patenti
Prensus Ægæo, simul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis.
Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetrà decori,
Grosphe, non gemmis, neque purpura venale, nec auro.
Non enim gazæ, neque consularis
Summovet Lictor miseros tumultus
Mentis, et curas laqueata circum
Tecta volantes.

O Grosphe, nauta in vasto mari subitâ tempestate occupatus, Lunâ densis nubibus obvolutâ et sideribus conditis, quibus naves tutò regi solent, tranquillitatem ac pacem à Superis unicè poscit. Eamdem Thraces in medio bellorum, quibus indulgent, furore ac tumultu comprecantur. Eamdem orant, quibus pulchrum est pharetram ex humeris gestare, Medi. Hæc tamen gemmis, auro, et purpurâ non emitur. Quippe non opes exquisitæ, non Lictores, qui Consulibus præire solent, diras animorum perturbationes possunt excludere, et curas, quæ aureis ædium superbarum lacunaribus involitant. Vitam

2. *Ægæo.* Mare Ægeum est ampla Mediterranei maris pars inter Græciam ab occidente, et Asiam minorem ab oriente. Nunc vocatur vulgò l'*Archipel.* Ægæum autem, ab Æge, scopulo, inter Tenedum et Chium dictum est Plinio teste.

5. *Thrace.* Thraca, seu Thracia, Θρήκη, regio Europæ supra Græciam ad Septentrionem.

9. *Gazæ.* Vox Persica : thesauri, res pretiosæ.

10. *Lictor.* Anteibant Consulem Lictores cum fascibus 12. et summovebant populum, ut via Consuli pateret. Dicti sunt autem Lictores à ligando, quia sontes vinciebant.

Vivitur

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensâ tenui salinum;
Nec leves somnos timor aut cupido
Sordidus aufert.
Quid brevi fortes jaculamur ævo
Multa? quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriæ quis exul
Se quoque fugit?
Scandit æratas vitiosa naves
Cura; nec turmas equitum relinquit,
Ocior cervis, et agente nimbos
Ocior Euro.
Lætus in præsens animus, quod ultra est

felicem ac tranquillam agit, licèt angustâ in re ac tenui, qui salinum à majoribus acceptum, mundum ac nitidum in frugali mensa servat, nec metu aut avarâ cupiditate impeditur quominus alto perfruatur somno. Cur in tanta vitæ mortalis brevitate tam multa fortiter et animosè, quasi diu victuri, designamus et molimur? Cur migramus in longinquas oras, alteri velut soli et cœlo subjectas? Quis patriam relinquens, et voluntarium quodammodo suscipiens exilium, se quoque ipsum et suas cupiditates fugere potest? Sequuntur eum curæ improbæ, et in eumdem cum ipso navem conscendunt; oberrant illæ medias inter acies, et equitibus assident, cervis, atque vento nubes procellosas agente, velociores. Ita nos igitur comparemus, ut præsenti rerum statu contenti, de futuro solliciti nequaquam

13. *Vivitur, etc.* Ostendit otium illud quod omnes expetunt, iis contingere, qui parvo contenti sunt, et ab omni cupiditate liberi.

14. *Salinum.* Vasculum salis, supellex quælibet. Ea vox, *paternum*, significat rem familiarem, non auctam rapinis et malis artibus, sed, ut à parentibus accepta fuit, conservatam.

17. *Jaculamur.* Intento animo cupimus. Desideria et vota nostra sunt instar sagittarum, quibus res optatas quasi petimus: sed à signo sæpe aberramus.

Brevi fortes ævo. Qui ad breve tempus valemus et vivimus.

18. *Alio sole.* Videtur sol alius esse in zonâ frigidâ, alius in torridâ, tam diversos effectus habet.

21. *Æratas.* Proræ navium ferro et ære muniebantur: eædem prominebant, ut avium rostra, unde naves rostratæ vocabantur.

24. *Euro.* Hic ventus ab oriente flat, ac nubes dissipare solet.

Oderit curare; et amara læto
Temperet risu. Nihil est ab omni
Parte beatum.
Abstulit clarum cita mors Achillem,
Longa Tithonum minuit senectus:
Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora.
Te greges centum, Siculæque circum,
Mugiunt vaccæ, tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa, te bis Afro
Murice tinctæ
Vestiunt lanæ: mihi parva rura et
Spiritum Graiæ tenuem Camœnæ
Parca non mendax dedit, et malignum
Spernere vulgus.

simus et res adversas hilaritate moderatâ condiamus. Nulla felicitas omnibus numeris et partibus absoluta est. Achilles ille tot rebus preclarè gestis inclitus immaturâ morte fuit præreptus: Tithonus diuturno senio confectus extabuit: et opportunitas rei bene gerendæ mihi fortasse offeret opes et commoda, quæ tibi negata fuerint. Abundas tu quidem innumeris ovium boumque gregibus in Siciliâ: personant pascua tua equarum ad quadrigas idonearum hinnitibus: pannis Africanâ purpurâ bis tinctis splendidè vestitus nites. At mihi benignæ fidelesque Parcæ villam exilem et facultatem aliquam condendi Lyrici carminis à Græcis inventi, imprimis verò animum stolidi et procacis vulgi contemptorem, donaverunt.

35. *Quadrigis.* Quadriga est currus ab equis quatuor tractus. Adhibebatur maximè in ludis Circensibus, etc.

36. *Murice.* Murex, pisciculus est cujus è sanguine vel sanie, facta primùm purpura. Hæc, ut esset vividior et coloris manè saturi, bis tingebatur. Hinc purpura dibapha, bis tincta: διβαφὸς.

Ode XIV.

Mæcenatem, de morborum et senectutis incommodis querentem, consolatur; eique se superstitem fore negat.

Cur me querelis exanimas tuis?
Nec Dîs amicum est, nec mihi, te priùs
Obire, Mæcenas, mearum
Grande decus, columenque rerum.
Ah! te meæ si partem animæ rapit
Maturior vis, quid moror alterâ,
Nec carus æquè, nec superstes
Integer? Ille dies utramque
Ducet ruinam. Non ego perfidum
Dixi sacramentum: ibimus, ibimus,
Utcumque præcedes, supremum

Cur de valetudine tuâ sæpe quiritando, me dolore conficis, ô Mæcenas, cujus benevolentiâ et patrocinio fortunæ meæ nituntur ac florent? Neque Superis, neque verò mihi placet, te prius, quàm me ipsum, mortem oppetere. Ah! si quo infelici casu eveniret, ut te, qui animæ meæ pars dimidia es, acerba mors præriperet, quid esse causæ posset, cur in terris diutius morarer? ego, inquam, altera pars illius quæ in nostris amborum corporibus spirat, animæ; presertim, cùm, te extincto si supersim, neque integer ac totus quodammodo sim futurus, alterâ mei parte amissâ, nec populo Romano, mihique adeo ipsi tam carus, quàm sum, te vivo et incolumi. Quæ dies tibi vitam eripiet, eripiet itidem mihi; cadere non potes, quin eodem ego casu oppressus concidam. Id bonâ fide sæpius dixi, ac interposito jurejurando affirmavi me tecum eodem fato periturum. Sic est: pergemus unà, pergemus quan-

1. *Querelis.* Mæcenas parum commodâ valetudine, præsertim sub extremum vitæ tempus, est usus; atque adeo de morbis, aut etiam de vitæ diurnitate, ut fit, cum Horatio amico solebat queri.

6. *Maturior vis.* Mors tibi citius obveniens quàm mihi.

10. *Sacramentum.* Est propriè jurisjurandi formula, quam usurpant milites cùm militiæ dant nomen.

Carpere iter comites parati.
Me nec Chimæræ spiritus igneæ,
Nec, si resurgat centimanus Gyas,
Divellet unquam: sic potenti
Justitiæ placitumque Parcis.
Seu Libra, seu me Scorpius aspicit
Formidolosus, pars violentior
Natalis horæ, seu tyrannus
Hesperiæ Capricornus undæ:
Utrumque nostrum incredibili modo

documque præibis, et novissimam illam viam comites nunquam divellendi, conficiemus. Non me Chimæra suis illis quos efflat, ignibus; non, si ab humo in quâ nunc prostratus jacet, erigat se Gyas centum manibus horridus, à te unquam sejunget abstrahetque: sic Astrææ, sic Parcis visum est. Quodcumque natali meo sidus præfuit, sive Libra, seu Scorpius, imprimis metuendus propter vim infestam nascentibus et inimicam; seu Capricornus, cujus universè magna est potestas in Occidentali

13. *Chimæræ.* Erat mons Lyciæ, in Asiâ minori, flammas eructans, cujus in summâ parte stabulabant leones, in mediâ pascebantur capræ, in imâ draconum antra visebantur. Hinc data poetis ansa fingendi monstri, quod summâ parte leonis referret speciem; mediâ, capræ; imâ, draconis.

14. *Gyas.* Unus è Gigantibus.

16. *Justitiæ.* Eadem Astræa, Themis, et apud Astrologos, Virgo nuncupatur. Ait igitur Vates id Justitiam postulare, ut duo amici conjunctissimi, ne morte quidem dividantur: id jure exigere tot beneficia quibus à Mæcenate cumulatus est.

Parcis. Alteram affert causam cur à Mæcenate divelli non debeat, nempe Parcis seu fato sic statutum esse: idque sidera ipsa ex utriusque generi demonstrare.

17. *Libra.* Est septimum Zodiaci signum: *Scorpius*, octavum: *Capricornus*, decimum. Hunc putabant occidentali terrarum parti maximè dominari. Porro dicitur Scorpius imprimis formidandus ac violentus, quia hoc signum attribuitur Marti, qui ferox et immanis est.

Aspicit. Astra dicuntur nos aspicere nascentes, qui in hæmisphærio nostro conspiciuntur, cùm edimur in lucem: præsertim verò illa quæ principem in horocospo nostro vim et locum obtinent.

19. *Natalis horæ.* Græci ὡροσκόπον vocant: estque ille astrorum, seu signorum Zodiaci situs, qui cernitur in cœlo cùm quisque nascitur, unde natalitias prædictiones colligunt Astrologi.

Consentit astrum. Te Jovis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucrisque fati
Tardavit alas; cùm populus frequens
Lætum theatris ter crepuit sonum:
Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum
Dextra levasset, Mercurialium
Custos virorum. Reddere victimas
Ædemque votivam memento:
Nos humilem feriemus agnam.

orbis parte: certè illa sidera, quæ nostram amborum natalitiam oram temperant, ac moderantur, mirificè inter se congruunt. Te Jovis astrum, Saturni malignam vim benigno aspectu refringens, servavit incolumem, et mortem imminentem depulit, cùm te morbo et periculo discusso in theatrum prodeuntem læta civium omnium gratulatio excepit. Ego haud dubiè periissem oppressus ab arbore in caput meum decidente, nisi Faunus, cujus in tutelâ sunt poëtæ ac viri docti, oppositâ manu ictum prohibuisset, labentemque arborem sustinuisset. Fac ut quæ vovisti sacrificia, et templum, Superis pro acceptâ valetudine persolvas: ego agnam, tenuem victimam mihique congruentem, immolabo.

22. *Jovis.* Jupiter secundum inter planetas locum habet, ac benignior esse perhibetur. Saturnus, primum; quia longissimè à terris distat: estque morosum ac malignum sidus.

Impio. Utrum ideo impius dicitur Saturnus, quia filios suos vorabat? An quia impiè faceret qui adversaretur officeretque Mæcenati, viro de publicâ re tam bene merito?

23. *Jovis tutela.* Jupiter qui te tuetur.

Refulgens. Contra fulgens; ejus vim noxiam retundens.

24. *Fati.* Mortis, morbi, vel alicujus alterius gravioris periculi.

28. *Faunus.* Quare custos doctorum? quia eruditi et poëtæ præsertim, amant solitudinem et nemora, quibus Faunus præest. Horatius porro suam salutem ita Fauno tribuit, ut astrorum tutelâ factum esse velit, quòd à Fauno fuerit servatus.

29. *Mercurialium.* Mercurius litteris, et eloquentiæ in primis, præsidebat.

ODE XV.

Se parvo contentum vivere ; plerosque omnes, mortis oblitos, nullum quærendi, ædificandi, etc. finem facere.

Non ebur, neque aureum
  Meâ renidet in domo lacunar:
Non trabes Hymettiæ
  Premunt columnas ultimâ recisas
Africâ: neque Attali
  Ignotus hæres regiam occupavi:
Nec Laconicas mihi
  Trahunt honestæ purpuras Clientæ.
At fides et ingenî

Mihi domus non est ornatis ebore, pictis auro laquearibus ridens : non columnæ marmoreæ ex intimâ devectæ Africâ sustinent trabes in sylvis Hymetti montis cæsas : neque ego Attali regnum invasi, hæres ab eo non institutus. Nec ullæ nobiles fœminæ, quarum ego patronus sim, lanas purpurâ

3. *Hymettiæ.* Mons Hymettus est in Atticâ

4. *Ultimâ.* Remotissima : quippe marmoris pretium crescebat ex longinquitate.

5. *Africâ.* Numidia est pars Africæ. Hinc marmor eximium petebatur : uti ex Hymetto monte, trabes.

Attali. Attalus Pergami rex fuit in Asiâ, et Eumenis filius. Is prole cùm careret, populum Romanum hæredem instituit. Interim Aristonicus, Eumenis è pellice filius, invasit Asiam et regiam Attali occupavit, licet hæres ab Attalo dictus non esset : quocirca *ignotus* ab Horatio dicitur. Eum Perpenna Consul Romanus profligavit anno Urbis conditæ 524. Nonnulli hoc interpretantur de ipso populo Romano, qui Attali hæreditatem adiit, velut *ignotus hæres*, id est, non affinis, aut propinquus.

7. *Laconicas.* Laconia pars est ultimæ Græciæ in Peloponneso. Ibi Tænarus promontorium, cujus in littore murices egregii capiuntur.

8. *Clientæ.* Cliens dicitur, qui alterius in fidem et patrocinium se contulit ; eumque ut patronum, ac prope ut patrem, colit. In fœmineo genere usurpatur clienta.

Benigna vena est: pauperemque dives
Me petit: nihil supra
Deos lacesso: nec potentem amicum
Largiora flagito,
Satis beatus unicis Sabinis.
Truditur dies die,
Novæque pergunt interire lunæ:
Tu secanda marmora
Locas sub ipsum funus; et sepulchri
Immemor, struis domos:
Marisque Baiis obstrepentis urges
Summovere littora,
Parum locuples continente ripâ.

Laconicâ infectas nent, è quibus vestes mihi conficiant. At singulari sum in amicos fide et ingenio minimè contemnendo præditus: ita ut me locupletes et beati cives, licèt tenuiorem, colant observentque. Nihil à Superis præterea flagito, neque ab amicis potentibus majores opes postulo, unicâ meâ, quæ in agro Sabino est, villulâ contentus. Dies alii alios propellunt, et luna nova sic amissam lucem reparat, ut eâdem quoque postmodùm decrescens minuatur sensim, ac penitus extinguatur. Tu, quamvis imminere tibi mortem sentias, agis tamen cum aliquo redemptore, ut cædenda et polienda tibi curet marmora: oblitus tumuli, ædes extruis; ac littus ponti, Baiis cum fragore alluentis, properas longiùs removere, perinde quasi tota, quam latè patet, ripa tibi esset angustior. Neque hæc satis: etiam vicini ruris limites refigis, et metas dirimendis clientium tuorum agris positas, stimulante avaritiâ et am-

10. *Vena ingeni.* Metaphora ducta à metallis, aut fontibus, qui longo tractu et quasi venâ, sub terris fluunt, nunc ampliori copiâ, nunc minori.

12. *Amicum.* Mæcenatem, opinor, suum intelligit.

14. *Sabinis.* Subaudi, agris, prædiis. Sabini erant Italiæ mediæ populus ad mare, non procul Româ.

18. *Locas.* Locat, qui dat opus faciendum curandumve, certo pretio constituto: redimit, qui sumit illud faciendum.

20. *Baiis.* Baiæ, civitas Campaniæ Italæ, ad mare; sitûs amœnitate, et salubritate aquarum celeberrima.

Urges. In id incumbis totus, eique operi instas.

21. *Summovere.* Cùm moles in mare jaciuntur, videtur littus promoveri et ulteriùs protendi. Propriè tamen non summovetur littus, sed mare in littore positum propellitur et arcetur.

22. *Continente ripâ.* Cum reliqua terra cohærente. Terra

Quid quòd usque proximos
Revellis agri terminos, et ultra
Limites clientium
Salis avarus? Pellitur paternos
In sinu ferens Deos
Et uxor, et vir, sordidosque natos.
Nulla certior tamen
Rapacis Orci sede destinatâ
Aula divitem manet
Herum. Quid ultra tendis? æqua tellus
Pauperi recluditur,
Regumque pueris, nec satelles Orci
Callidum Promethea
Revexit auro captus. Hic superbum
Tantalum, atque Tantali
Genus coërcet: hic levare functum
Pauperem laboribus,
Vocatus atque non vocatus audit.

plificandi fundi cupiditate, transilis. Extruditur avitis laribus cum flebili conjuge maritus infelix, vixque Deos domesticos clam in gremium abditos, secum auferre, ac natos pannis et squalore obsitos adducere illi permittitur. Diviti tamen hero illi nulla domus est certiùs destinata et addicta, quàm domus Ditis ad se omnia pertrahentis. Quid moliris miser? Quò spes avidas extendis? Tumulus idem pauperes et regum liberos accipit, neque his quàm illis terra latior aperitur. Charon ille Plutonis minister, magnâ vi pecuniæ oblatâ, nunquam adduci potuit ut versipellem Prometheum trans Stygem reportaret. Is Tantalum meritas superbiæ pœnas dantem ejusque posteros inclusos habet, æternisque vinculis mandatos servat: is pauperibus omnibus, sive ipsum inclamantibus, sive non implorantibus ejus opem, præsto semper est ut eos laboribus perfunctos otio et quiete donet.

continens ea propriè dicitur quæcumque insula non est: *La terre ferme.*

29. *Nulla certior*, etc. Nulla aula expectat divitem herum certior, et ipsi magis destinata: quàm sedes rapacis Orci.

40. *Levare audit.* Hellenismus. Audit ut levet.

Ode XVI.

Bacchum laudat, quem poëtices magistrum ac doctorem se habuisse profitetur.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, credite, posteri,
Nymphasque discentes, et aures
Capripedum Satyrorum acutas.
Evoë! recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidùm
Lætatur; Evoë! parce, Liber,
Parce, gravi metuende thyrso.
Fas pervicaces est mihi Thyadas,
Vinique fontem, lactis et uberes

O Posteri, fidem iis quæ dicturus sum habete. Conspexi Bacchum, qui reducto in specu versus artemque condendi carminis docebat; astabant circum Nymphæ auscultantes, et Satyri subrectis auribus avidè docentis vocem et dictata excipiebant. Iô Bacche! adhuc animus sacro percitus horrore fremit, ac plenus tuo numine, sui satis compos non est, ita repentino gaudio perturbatur. Iô Bacche! ignosce, oro, atque obtestor, ignosce, thyrsumque gravem, quo justam exerces iram, tene. Audis me, Bacche, sentio: et placatus das hanc mihi facultatem, ut res à te præclarè gestas celebrem: possum impunè canere tùm protervas ac petulantes Mænadas quæ te triumphantem, cùm redires ex Indiâ, sunt comitatæ; tùm fontes vino, et rivos lacte manantes, quos tunc mediis in agris scaturire; ac mella,

8. *Parce.* Veniam à Baccho petit, metuens ne quid in eum peccarit, quem aspicere tam fidenter, et audire ausus fuerit. Adde quod persuasum vulgo erat, quædam numina, ut Dianam, Bacchum, Nymphas, etc. immittere furorem, si quis ea forte aspexisset.

Thyrso. Est hasta pampinis involuta: quâ qui à Baccho irato feriretur, is furore inflammari et dementiâ corripi putabatur.

9. *Thyadas.* Thyas, fœminam significat furentem θυάς, θυάδος, à verbo θύω, *sacrifico, furo, ruo.*

10. *Vini fontem, etc.* Hæc edidisse miracula dicebatur Bacchus, cùm victor ex Indiis rediret.

Cantare rivos, atque truncis
Lapsa cavis iterare mella.
Fas et beatæ conjugis additum
Stellis honorem, tectaque Penthei
Disjecta non levi ruinâ,
Thracis et exitium Lycurgi.
Tu flectis amnes, tu mare barbarum:
Tu separatis uvidus in jugis

quæ ex arborum truncis excavatis fluere jussisti. Possum Ariadnæ uxoris tuæ coronam prædicare, quam inter astra dum collocasti, eorum splendorem ac decus auxisti. Dicam Penthei domum gravi prostratam ruinâ et æquatam solo: Lycurgum Thraciæ regem præsenti pœnâ multatum. Tu fluvios ut lubet moves: tu peregrinum et ignotum æquor ditioni tuæ subjicis: tu in collibus remotis jacens, vino madidus, religas Baccharum tuarum crines intortis in nodum viperis, quæ nihil illis tibive

11. *Truncis cavis.* In excavatis arborum truncis apes sylvestres sua condere solent alvearia.

13. *Conjugis* Ariadnæ. Filia Minoïs Cretensium regis fuit: ejus ope cùm è labyrintho Theseus evasisset, ipsam avexit secum è Cretâ, mox tamen insigni perfidiâ et levitate, deseruit in insulâ Naxo: relictam Bacchus duxit, eique sertum è lauro, vel myrtho, aut, ut quidam colligunt ex antiquis numismatibus, ex hederâ, dedit. Alii volunt hanc fuisse nuptialem coronam è floribus, quos postmodum in totidem conversos sidera, idem Bacchus cœlo inseruit: estque signum septentrionale constans stellis octo, Gnosia corona dicitur.

14. *Penthei.* Pentheus rex Thebarum in Græciâ, Echionis et Agaves filius, cùm Bacchi sacra contemneret à matre et sorore, Numinis furore correptis, dilaceratus est, domus ipsius eversa, etc.

16. *Lycurgi.* Thraciæ regis, qui quòd Thracas vino et ebrietati deditos videret, omnes vites toto regno excidi jussit. Itaque fingunt illum à Baccho, in furorem actum, cùm vites ipse quoque arreptâ securi vellet exscindere, sibi ipsi crura suffregisse. Alius ab eo fuit Lycurgus Spartanorum legislator.

17. *Flectis amnes.* Domas, superas. Vel, retro vertis, et in suum redire caput cogis, Intellige Indum et Gangem, fluvios Indiæ, quam adiisse Bacchus dicitur, et victoriis peragrasse. Imò quosdam ex iis fluviis thyrso percussos dicitur sicco transmisisse. Quibus in fabulis adumbrata fortasse codicum sacrorum veritas.

Barbarum. Indicum.

Nodo coërces viperino
Bistonidum sine fraude crines.
Tu, cùm parentis regna per arduum
Cohors Gigantum scanderet impia,
Rhœtum retorsisti leonis
Unguibus, horribilique malâ :
Quanquam choreis aptior et jocis,
Ludoque dictus, non sat idoneus
Pugnæ ferebaris : sed idem
Pacis eras mediusque belli.
Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens
Caudam, et recedentis, trilingui
Ore pedes, tetigitque crura.

nocent. Cùm sacrilega Gigantum phalanx per iter arduum et montes ingestos montibus ad Jovis tui parentis regiam assilire molliretur, tu specie leonis assumptâ, unum ex illis Rhœtum nomine, invadens unguibus ac dentibus, repulisti ac cedere coëgisti : et quamvis hactenus existimatus esses magis idoneus ad choreas, ludos, et jocos, quàm ad prælia; neque tam bello bonus dicereris; nihilominus te in utrâque arte præstantem esse, neque in bello minùs quàm pace strenuum, ostendisti. Cerberus te aureis insignem cornibus vidit innoxius; imo, cùm tu ad superos redires, ille caudâ molliter, blandientis in morem, humum pulsans, tuos pedes tribus suis linguis demulsit.

20. *Bistonidum.* Bistonis, significat fœminam Thraciam, sive Baccham et Menaden. Apud Thraces, populum videlicet vini amantem, Bacchus præcipuè colebatur. Bistones porro Thraciæ partem obtinebant.

Sine fraude. Sine damno ullo et periculo.

24. *Malâ.* Maxillâ; genâ, dentibus.

29. *Insons.* Nihil nocens, nihil in te peccans. Aditum ad inferos tibi patentem et liberum præbens.

30. *Cornu decorum.* Dantur Baccho à poëtis cornua, quòd ebrii ad vim, et pugnam parati sint.

31. *Trilingui.* Quia tria Cerbero capita poëtæ tribuunt.

ODE XVII.

Immortalem sibi famam pollicetur.

NON usitatâ, nec tenui ferar
Pennâ biformis per liquidum æthera
Vates; neque in terris morabor
Longiùs; invidiâque major
Urbes relinquam. Non ego pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas
Dilecte, Mæcenas, obibo,
Nec Stygiâ cohibebor undâ.
Jam jam residunt cruribus asperæ
Pelles; et album mutor in alitem,
Supernè; nascunturque læves
Per digitos humerosque plumæ.
Jam Dædaleo tutior Icaro
Visam gementis littora Bosphori,
Syrtesque Getulas canorus

EGo nuper vates, jam novâ præditus formâ, non vulgaribus aut exilibus pennis enitar sursum, nec in terris diutiùs consistam: sed invidiâ superior, relictis urbibus, ad orbem usque ultimum evolabo. Ego, inquam, licèt humili loco natus, quem tu, ô Mæcenas, vocitare sic blandiendo soles, dilecte Horati; neutiquam obibo mortem, nec ad inferos detrudar, aut Styge coërcebor. Jam integuntur mihi crura duris pellibus et furvis, dum superior corporis mei pars in avem candidam convertitur; jam mollis pluma digitis humerisque innascitur. Protinùs Icaro tutior sonantem procellis Bosphorum volando petam, ac mutatus in cycnum Appollineum, peragrabo Libycas Syrtes, et ad

2. *Biformis.* Ex homine mutatus in cycnum. Qui duplicem formam, seu naturam habuerim, hominis et vatis antea; nunc alitis et cycni.

8. *Stygia, etc.* Styx fluvius, seu palus inferorum novies interfusa, ut canit Virgilius, Manes mortuorum velut objecto vallo includit, ac ne possint regredi ad superos vetat.

10. *Asperæ pelles.* Crura cycnorum nigris, ac duris, instar squammarum, pellibus obducuntur.

13. *Icaro.* Filius Dædali fuit

Ales, Hyperboreosque campos.
Me Colchus, et qui dissimulat metum
Marsæ cohortis Dacus, et ultimi
Noscent Geloni: me peritus
Discet Iber, Rhodanique potor.
Absint inani funere neniæ,
Luctusque turpes, et querimoniæ:
Compesce clamorem, ac sepulchri
Mitte supervacuos honores.

Septentrionalem usque plagam penetrabo. Me Colchidis incolæ; me Daci, qui fingunt se Marsorum militum acres impetus minimè perhorrescere; me in extremâ regione terrarum siti Geloni; me Hispani litteris dediti, Gallique Rhodanum potantes, cognoscent, et canentem audient. Ne igitur funus meum lugubri carmine prosequaris: nullus hic luctibus, clamori, exequiarum cæremoniis ac sepulchri ornamentis, locus. Hæc omnia omitte, quæ inutilia mihi, et supervacanea futura sunt.

16. *Hyperboreos.* Subjectos Boreæ, ὑπερβορέας: Septentrionales.

17. *Colchus.* Asiæ populus juxta Pontum.

18. *Marsæ.* Cohors porro est legionis pars: Legio, quinque vulgò, sex, septemve millia complectebatur. Decem in singulis legionibus cohortes erant.

Dacus. Europæ populus: nunc Bulgari, Valachi, Moldavi, etc.

19. *Geloni.* Scythis erant vicini ad septentrionem.

20. *Iber.* Iberi, Hispani, ab Ibero flumine sic appellati.

Rhodani. Rhodanus, *le Rhône*, Galliæ fluvius, Lugdunum alluit, ubi accipit Ararim, *la Saône*: hinc in mare Massiliense devolvitur.

21. *Inani funere.* Quia mihi mutato in cycnum inutile funus erit. Non moriar omnino.

Neniæ. Lugubres cantilenæ.

23. *Clamorem.* Mortuos recèns vitâ degressos, voce magnâ solebant inclamare, et supremum illis vale dicere.

ODARUM

LIBER TERTIUS.

Ode I.

De Numinis cultu, mortis necessitate, cupiditatibus coërcendis, etc. splendidè disserit.

Odi profanum vulgus, et arceo.
Favete linguis : carmina non priùs
Audita, Musarum sacerdos,
Virginibus puerisque canto.
Regum timendorum, in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis,
Claris Giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.

Facessat hinc procul plebicula rudis, et ad capienda quæ sum dicturus mysteria parum idonea. Vos verò audite taciti, ac faventes; et mali ominis verbis abstinete, dum ego, ut Sacer Musarum interpres, pueris ac puellis præcepta morum, antea ipsis minimè audita, isto carmine tradere aggredior. Reges subditis sibi populis, at ipsis regibus imperitat, in eosque summum jus et potestatem habet Jupiter, cujus potentiam reportata de Gigantibus victoria satis prædicat, cujus tanta majestas est, ut solo nutu concutiat omnia et ad arbitrium moveat. Quotidie usu

1. *Profanum.* Fana dicuntur templa : profani, quibus nefas templa ingredi, qui procul fanis debent esse, qui mysteriis initiati non sunt.

2. *Favete linguis.* Nullam vocem obscœnam, mali ominis edite : linguis temperate, εὐφημεῖτε, bona verba dicite. Hâc loquendi formulâ utebantur in sacrificiis. Et eam hîc usurpat Horatius, res gravissimas, et sacra philosophiæ moralis arcana dicturus.

4. *Virginibus puerisque.* Ut incorruptis et ab omni flagitii maculâ puris. Quorum animi adhuc teneri et molles, idonei sunt, quibus morum præcepta inserantur.

Est ut viro vir latiùs ordinet
Arbusta sulcis; hic generosior
Descendat in campum petitor:
Moribus hic, meliorque famâ
Contendat: illi turba clientium
Sit major. Æquâ lege Necessitas
Sortitur insignes et imos:
Omne capax movet urna nomen.
Districtus ensis cui super impiâ
Cervice pendet, non siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem,

venit, ut alius alio majores fundos et prædia possideat; ut inter eos, qui honores ambiunt, alius nobilitate præstet, alius famâ et probitate; alius clientium numero competitores vincat. Verùm eadem omnibus ex æquo mortis obeundæ necessitas incumbit. Hæc summos et infimos, illustri et obscuro loco natos, ductâ veluti sorte, rapit: omnium nomina in fatalem urnam conjiciuntur. Famosus ille aulicus, cujus capiti nudus ensis imminet, quamvis appositæ sint illi dapes opiparæ, tamen ipsas

9. *Ordinet arbusta.* Digerat arbores, v. g. in quincuncem. Vites deponat sulcis et scrobibus.

10. *Generosior.* Genere clarior, nobilior.

11. *In Campum.* Nempe Martium. Erat ea planities ad Tiberim, depressiore loco et humiliore: unde propriè dicitur *descendit in Campum.* Ibi habebantur comitia, suffragia ferebantur ad eligendos Magistratus, etc.

Petitor. Candidatus: honores ambiens, et populi favorem prensans.

13. *Contendat.* Cum suis competitoribus: de obtinendo, quem petit, honore certet.

Clientium. Favebant suis patronis clientes: illis sua dabant suffragia.

17. *Districtus, etc.* Damocles quidam Dionysii Siciliæ tyranni aulicus, et assentator insignis fuit. Is cùm aliquando regum beatam sortem coram tyranno extolleret, jussit Dionysius hominem ad regiam mensam exquisitis oneratam ferculis accumbere: simul ensem strictum supra illius verticem equinâ setâ suspendi voluit. Quo metu ita exanimatus est Damocles, ut ne cibos quidem attingere potuerit.

18. *Siculæ.* Opiparæ, lautæ. Sicilia est insula ad Meridiem Italiæ angusto freto disjuncta. Erant autem Siculi ob convivia luculenta famosi. Vel simpliciter; apparatæ à Dionysio Siciliæ tyranno.

19. *Elaborabunt saporem.* Provocabunt gustum et eden-

Non avium, citharæque cantus
Somnum reducent. Somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit, umbrosamque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.
Desiderantem quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec sævus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hædi:
Non verberatæ grandine vineæ,
Fundusque mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hyemes iniquas.
Contracta pisces æquora sentiunt,
Jactis in altum molibus: huc frequens

insulsas et amaras arbitrabitur: neque fugatum à timore somnum canoræ voces avium, aut cithararum dulces moduli revocabunt. Pacatus mollisque somnus rusticorum casas ultro subit, nec ripam fugit opacis arboribus prætextam, aut amœna, quæ Zephiri perflant, Tempe. Quicumque illud duntaxat desiderat quod ad vivendum sufficit, is neque procellosi maris tumultus metuit, neque calamitates, quas importare agris solent aut Arcturi violentia, cùm occidit, aut Hædorum sidus infestum, cùm oritur: illum non angunt vites grandine contusæ, non seges votis parum respondens, non arbor infœcunda, et sterilitatis suæ culpam conferens modo in uberiorem imbrem, modò in æstum nimium, ab sideribus campos urentibus profectum, aut in hyemis acerbitatem. En tibi aliquis terram fastidiens saxeas moles demittit in mare, cujus spatia contrahi pisces attoniti persentiscunt; istis molibus redemptores et Architecti, cum

di appetentiam afferent, arte multà et labore.

27. *Arcturi.* Stella est insignis in cingulo Bootæ, prope caudam Ursæ majoris, unde nomen habet. Est enim ἄρκτος, *ursa* et οὐρὰ, *cauda.* Pluvias tempestatesque portendit, præsertim cùm occidit.

28. *Hædi.* Hædus, sive Capella, est stella primæ, ut vocant, magnitudinis, in sidere, cui Auriga nomen. Duæ etiam in eodem signo stellæ vocantur Hædi.

33. *Contracta.* Littoribus diminutis et summoto molibus mari.

34. *Huc frequens.* In fossam jaciendis molibus et fundamentis ædificii destinatam, apertamque.

Redemptor. Is est qui opus aliquod faciendum suo periculo,

Cæmenta demittit redemptor
Cum famulis, dominusque terræ
Fastidiosus: sed Timor, et Minæ
Scandunt eòdem quò dominus; neque
Decedit ærata triremi, et
Post equitem sedet atra Cura.
Quòd si dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus, nec Falerna
Vitis, Achæmeniumque costum:
Cur invidendis postibus, et novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabinâ
Divitias operosiores?

ingenti operariorum et servorum manu saxorum cæsorum acervos imponunt ad extruendum ædificium. Sed quo demum iste pertinet labor? pallentes Curæ, Timores impotentes, et efferati animi motus, homines improbos ubique persequuntur: cum iis conscendunt naves, cum iisdem hærent in equo, et pone sedent. Quòd si nec ædes Phrygio marmore intectæ, nec vestes quarum purpura luci astrorum nihil decedat; neque Falerna vina, aut odores ex ultimâ Perside accersiti, mærentem animum sanare ac lenire possunt; quid est cur sumptuosam et magnificam extruere domum velim, quæ me obnoxium invidiæ reddat? cur villam in Sabinis meam permutem cum divitiis ingentibus, quas magno compararem labore, majore conservarem?

certâ mercede pactâ, conducit.

41. *Phrygius*, Phrygia pars Asiæ minoris. Inde marmor candidum advehebatur, lineis rubris interlitum.

Costum. Unguenti et aromatis genus. Plin. Lib. XII. c. 12.

45. *Postibus*. Postes hinc inde januam continent; *les jambages d'une porte*. Pro januâ ipsâ, et pro tota interdùm domo ponuntur.

46. *Atrium*. Aula quædam in aditu primo domûs; locus interdùm sub dio, patens; cæteris ædibus quasi prætentus,

Ode II.

Bellicæ fortitudinis, probitatis, et religiosi silentii, commendatio.

Angustam, amici, pauperiem pati
Robustus acri militiâ puer
Condiscat, et Parthos feroces
Vexet eques metuendus hastâ;
Vitamque sub dio, et trepidis agat
In rebus: illum ex mœnibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens, et adulta virgo
Suspiret, Eheu! ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira cædes.
Dulce et decorum est pro patriâ mori.
Mors et fugacem persequitur virum;
Nec parcit imbellis juventæ
Poplitibus, timidoque tergo.

O Amici, assuescat ferendis molestæ ac laboriosæ paupertatis ærumnis adolescens, qui tractat arma et valido est corpore; lacessat acres Parthos, et equo fremente in ipsos invectus, eorum aciem infestâ proturbet hastâ. Mediis in periculis, sub aperto aëre, parcè ac duriter vivat. Illum ex hostilis urbis muro conspicata regis barbari, medio in agmine pugnantis uxor, et sponsa juvenis alicujus principis, in has voces ingemiscens erumpat: Ah! ne meus sponsus artis bellicæ adhuc imperitus Romanum hunc adolescentem provocet, qui feri leonis instar, cædem spirans et sanguinem, in confertos hostium globos ruit. Quantum voluptatis, quantum gloriæ mors habet, quæ patriæ causâ oppetitur! Neque verò tantum iis qui fortiter et strenuè

8. *Adulta.* Jam grandior, nupta, vel desponsa.

10. *Asperum tactu.* Quem nemo impunè tangat, lacessatque.

16. *Poplitibus.* Poples, est genu aversum: pars crurum postica, quâ tibia cum crure committitur.

Virtus, repulsæ nescia sordidæ,
Intaminatis fulget honoribus;
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.
Virtus recludens immeritis mori
Cœlum, negatâ tentat iter viâ,
Cœtusque vulgares, et udam
Spernit humum fugiente pennâ.
Est et fideli tuta silentio
Merces. Vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub iisdem
Sit trabibus, fragilemque mecum

dimicant, contingit in acie mori, sed iis etiam qui turpi fugâ dilabuntur: imo istis maximè mors instat, nec illos impunè terga vertere, ac poplites ostendere, patitur. Virtus, quæ repulsam turpem pati nescit, propriis quibusdam et veris fruitur honoribus, quos adulatio, quos largitio, non inquinat: nec ad vulgi libidinem fasces ac cætera insignia magistratuum accipit vel deponit. Virtus fortibus viris, et perpetuam agere vitam dignis, cœlum reserans, per aspera quæque et ardua difficilem viam sibi aperit, ac vulgi consortia fugiens, procul ab humo lutulenta se sursum attollit. Nec suo præmio caret religiosum ac fidele silentium. Ego quidem certè non committam ut qui mysteria Cereris pervulgarit, eâdem utatur mecum domo, eâdem in carinâ sit. Non rarò Jupiter sceleribus hominum offensus,

17. *Virtus repulsæ nescia.* Quia virtute præditi homines, aut honores non ambiunt, quos parvi æstimant: aut, si ambiunt nec assequuntur, nihil inde patiuntur detrimenti, et suâ se probitate facilè consolantur, quæ ipsis in veri et magni honoris loco est. Repulsa tunc tantùm est turpis et sordida, cùm aliquis indignus honorem petit, cùm illum largitione et malis artibus, quas virtus nescit, conatur obtinere.

19. *Secures.* Fasces in quibus erat securis, cujus ferrum extabat è medio virgarum colligatarum fasce.

20. *Popularis auræ.* Favoris vulgi, suffragiorum populi.

22. *Negata via.* Ardua, et plerisque hominibus velut occlusa.

26. *Cereris.* Mysteria et sacra Cereris, quæ ab Eleusi, urbe Atticæ, ubi ea fiebant, Eleusina vocabantur, præcipuâ quadam silentii et arcani religione peragebantur à Græcis; ita ut si quis illa evulgasset, is capitale crimen admisisse censeretur. Leges Augustinum Lib. VIII. de Civitate Dei cap. 20.

Solvat phaselum. Sæpe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum:
Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

innocentes nocentibus conjunxit, similique multavit supplicio: et quamvis improbi flagitiorum suorum effugere moliantur pœnam; rarò tamen illa tarda est et clauda; insequitur præeuntes, et brevi assequitur.

29. *Phaselum.* Cymbam.

Solvat. A littore, à portu, propellat in mare, soluto fune, quo littori erat alligatus.

Diespiter. Jupiter, quasi, dici pater.

30. *Incesto.* Non casto, sceleribus polluto.

31. *Rarò, etc.* Rarò ita tarda fuit pœna, ut scelestum assequi non potuerit. Vel, quamvis pœna tarda sit interdum et veluti clauda, tamen assequitur demum et comprehendit nocentem.

ODE III.

Animi tranquillitas grande virtutis præmium est. Troja funditus eversa docet, quàm graves pœnæ sint impiis constitutæ.

JUSTUM, et tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solidâ, neque Auster,
Dux inquieti turbidus Adriæ,

Virum probum, et in colendâ virtute constantem, de sententiâ non dimovebit furor populi pravum aliquid imperantis; non tyrannus ore sævo ac minaci periculum aut pœnam præsentem intentans; non procellæ ab Austro, qui per mare Adriaticum

2. *Prava jubentium.* Potest explicari; pravas leges ferentium. Verbum enim *jubeo* usurpari solebat in ferendis legibus. Tunc quippe Magistratus, legem sciscendam et probandam proponens, his verbis populum compellabat, *Velitis, jubeatis, Quirites, ut, etc.*

Nec fulminantis magna Jovis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.
Hac arte Pollux, et vagus Hercules
Innixus, arces attigit igneas;
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.
Hac te merentem, Bacche, pater tuæ
Vexere tigres, indocili jugum
Collo trahentes: hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit,
Gratum elocutà consiliantibus
Junone Divis: Ilion, Ilion
Fatalis, incestusque judex,
Et mulier peregrina vertit
In pulverem, ex quo destituit Deos

bacchatur, concitatæ, non ipsa fulmina ab irato Jove missa: si ejus in caput mundi quassata moles ruat, mediis in ruinis interritus erectusque consistet. Hâc probitate freti Pollux, et qui tantùm terrarum obivit Hercules, et astra evasit: cum quibus accumbens cœlestibus epulis Augustus nectar potat. Hæc illa via est, per quam tu, ô Bacche, post magna in mortales merita, cœlo invectus fuisti tigribus, ferocibus vulgò et indomitis belluis, currum tuum blandè subeuntibus. Per hanc viam Romulus Martis curru sublatus ad sidera, inferos effugit, eo tempore quo Juno in ejus gratiam orationem hanc habuit in frequenti Deorum inter se deliberantium consessu. Tandem concidit æquata solo Troja: nihil de urbe famosâ præter cineres restat. Hoc meritus est impurus ille judex, in patriæ exitium fato misero et luctuoso natus: hanc mulier externa cladem suis hospitibus importavit. Mihi verò et Minervæ jam tum addicta

11. *Augustus.* Augusto Cæsari adhuc viventi divinos honores Romani detulere.

13. *Bacche.* Bacchi currum trahunt tigres, animal ferum et indocile; ad significandam vini vim et feritatem.

16. *Martis equis.* Virtutem Romuli bellicam innuit, quâ floruit præ cæteris Romæ regibus. Tum idem erat Marte genitus.

17. *Consiliantibus.* Consilia et capita conferentibus; deliberantibus, fortasse de Romulo et Româ.

19. *Judex.* Paris.

20. *Mulier peregrina.* Helena.

Mercede pactâ Laomedon, mihi,
Castæque damnatum Minervæ
Cum populo, et duce fraudulento.
Jam nec Lacænæ splendet adulteræ
Famosus hospes, nec Priami domus
Perjura pugnaces Achivos
Hectoreis opibus refringit;
Nostrisque ductum seditionibus
Bellum resedit. Protinus et graves
Iras, et invisum nepotem,
Troïca quem peperit sacerdos,
Marti redonabo: illum ego lucidas
Inire sedes, ducere nectaris

Troja cum civibus et rege perjuro, jam tum pœnis nostro arbitratu repetendis destinata fuit, cùm Laomedon Superos promisso pretio fraudavit. Jam nullus est ille Paris, Helenæ Lacedæmonia decantatus hospes: non amplius scelere suo et adulterio felix fortunatusque fruitur: nec Priami familia fidem obligatam Diis fallere solita, strenuos Græcorum impetus Hectoris viribus retundit. Confectum denique est bellum illud, quod nostris dissidiis et contentionibus tandiù prorogatum erat. Nihil in me jam est moræ, quominus iras quibus incensa graviter contra Trojanos hactenus fui, deponam in gratiam Martis, et quamvis Romulus meus nepos eo nomine mihi sit invisus, quia genitus est Vestâ sacerdote à Trojanis oriundâ, tamen illum reddam suo parenti, et unà cum eo esse patiar.

22. *Laomedon*. Priami pater. Is cùm Trojæ muros ab Hercule dirutos reficere vellet, eos, Neptuno et Apollini, qui cœlo tunc exulabant, extruendos, certâ mercede constitutâ, locavit. Opere perfecto, promissum pretium pendere recusavit. Quam fabulam ita explicant mythologi, ut velint sacram pecuniam in utriusque hujus Dei templis depositam, impensam à Laomedonte ad instauranda Trojæ mœnia; neque unquam ab eo, uti promiserat, repositam et restitutam.

23. *Damnatum*. Invisum, detestatum. Vel, à me et Minervâ damnatum excidio: vel, nobis permissum ac deditum.

24. *Duce*. Laomedonte.

25. *Lacænæ*. Lacedemoniæ. Lacedemon, seu Sparta, urbs Græciæ celeberrima in Peloponneso.

28. *Hectoreis*. Hector, filius Priami: solus inter Trojanos duces Achilli pœne par: à quo tamen cæsus.

Opibus. Auxilio, fortitudine.

33. *Troïca sacerdos*. Ilia, seu Rhea Sylvia, filia Numi-

Succos, et adscribi quietis
Ordinibus patiar Deorum.
Dum longus inter sæviat Ilion,
Romamque pontus, qualibet exules
In parte regnanto beati:
Dum Priami Paridisque busto
Insultet armentum, et catulos feræ
Celent inultæ: stet Capitolium
Fulgens, triumphatisque possit
Roma ferox dare jura Medis.
Horrenda latè nomen in ultimas
Extendat oras, quà medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Quà tumidus rigat arva Nilus;
Aurum irrepertum, et sic meliùs situm
Cùm terra celat, spernere fortior,
Quàm cogere humanos in usus,
Omne sacrum rapiente dextrâ.
Quicumque mundi terminus obstitit,

Per me non stabit, quin splendidas Superûm domos ingrediatur, et in eorum numerum cooptatus, vescatur nectare, vitamque felicem et omnis perturbationis expertem nobiscum vivat: dummodo Troja et Roma vasto et procelloso æquore dirimantur. Romani, Trojanorum patria ejectorum felices reliquiæ, imperitent per me licèt, in quolibet orbis loco, eâ lege ut protervi greges sepulchra Priami et Paridis premant, in iisque persultent; ut ibi, ubi Troja fuit, densæ fruticent sylvæ in quibus stabulari tutò feræ possint, catulosque impunè abscondere. Eâ, inquam, conditione stare patiar Capitolii præclaram arcem, et Romam de profligatis Medis, si voluerit, triumphare. Armorum suorum nominisque terrorem ad extremas usque terrarum orbis plagas proferat, sive quà mare mediterraneum Europam ab Africa sejungit, sive quà Nilus intumescens agros fœcundat. Floreat eâdem frugalitatis ac temperantiæ laude, majoremque fortitudinem præ se ferat in contemnendo generosè auro, quod utinam repertum nunquam foret, ac in terræ visceribus semper abditum latuisset, quàm in eodem coacervando, et ad varios vitæ usus adhibendo; ne-

toris, unius ex Æneæ posteris.

48. *Nilus.* Fluvius Ægypti, quam, exundans certis anni mensibus, pingui limo fœcundam reddit.

Hunc tangat armis, visere gestiens
Quà parte debacchentur ignes,
Quà nebulæ pluviique rores.
Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pii,
Rebusque fidentes, avitæ
Tecta velint reparare Trojæ.
Trojæ renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Conjuge me Jovis et sorore.
Ter si resurgat murus aëneus
Auctore Phœbo, ter pereat meis
Excisus Argivis; ter uxor
Capta virum puerosque ploret.
Non hæc jocosæ conveniunt lyræ :

que se avaritiâ impelli sinat ad res sanctissimas profanâ et sacrilegâ manu violandas ac diripiendas. Quæcumque meta, quæcumque orbis regio vel disjunctissima triumphis Romanorum obstiterit, hanc illi armis victricibus superent; penetrare gaudeant in torridæ Zonæ calidos tractus, ubi fulmina et tonitrua desæviunt; in subjectos Zonæ frigidæ nivales campos, pluviis ac nubilo cœlo deformes. Hæc tamen fata tam læta fortunatis ipsorum armis eâ lege polliceor, ac denuncio, ut ne rebus secundis elati, et præposterâ erga patriam suam Trojam pietate ducti, velint eam instaurare. Pristinæ Trojæ infortunium et clades in hâc secundâ, malis omnibus reparata, renovabitur. Ego ipsa soror Jovis et conjux infestas ad eam exscindendam acies ducam, et præibo. Si Phœbus ipse operis Architectus et redemptor muros ex ære solido ter excitet, illos ter Græci mei evertent, ter conjuges captivæ maritos suos et liberos trucidatos deplorabunt. At, at, non congruit hoc argumentum tam grave, Lyricis versibus, qui toti sunt ad jocos

61. *Alite.* Omine, auspicio.

69. *Non hæc, etc.* Sunt qui putent voluisse clam Horatium hâc in Ode Augustum deterrere à consilio quod iniisse ferebatur migrandi Alexandriam, vel Ilium, translatis simul opibus imperii, exhaustâque delectibus Italiâ. Quam famam percrebuisse Suetonius testatur in ejus vitâ, c. 79. Alii, nihil aliud spectasse volunt Horatium, quàm ut Romanos hortaretur ad colendam justitiam, frugalitatem, constantiam, etc. quarum virtutum ope orbis terrarum imperium adipisci, et retinere tuto possent.

Quò Musa, tendis? desine, pervicax,
Referre sermones Deorum, et
Magna modis tenuare parvis.

ludumque facti: Quò pergis, Musa, audacior? Desine Deorum consilia et arcana denarrare, atque humili cantu rerum tantarum dignitatem splendoremque detercre.

ODE IV.

Musarum in se beneficia commemorat: earumdem lenibus consiliis acceptam refert Cæsaris fortitudinem sapientiâ conjunctam, quâ hostes reipublicæ, ut olim Jupiter Titanas, debellavit.

DESCENDE Cœlo, dic, age, tibiâ,
Regina, longum, Calliope, melos,
Seu voce nunc mavis acutâ,
Seu fidibus, citharâve Phœbi.
Auditis? an me ludit amabilis
Insania? audire et videor pios
Errare per lucos, amœnæ
Quos et aquæ subeunt, et auræ.
Me fabulosæ, Vulture in Appulo,

O Calliope, Musarum princeps, Olympo delabere; et longiorem quæso, nunc oden modulare, sive summâ voce uti libeat, seu magis tibiâ, sive etiam fidibus, et sacrâ Phœbo cytharâ. O amici, an non Deum auditis canentem? an me poëticus furor grato deceptum errore deludit? Equidem videor illam audire; videor spatiari per amœnas consecratasque Musis sylvas, quas salubres ac liquidæ auræ perflant, et aquæ perfluunt. Olim cùm puer jacerem in Vulture monte

1. *Descende Cœlo.* Erat sua Musis in Olympo sedes et regia; erant enim Jovis filiæ. Iisdem Musis montes in terris consecrati et fontes, ut Parnassus, Pindus, Pimpla, etc.

9. *Fabulosæ.* Ea vox interdum rem significat famosam celebrem: vel, de quâ multa incerta produntur.

Altricis extra limen Apuliæ,
Ludo fatigatumque somno,
Fronde novâ puerum palumbes
Texêre, mirum quod foret omnibus,
Quicumque celsæ nidum Acherontiæ,
Saltusque Bantinos, et arvum
Pingue tenent humilis Ferenti:
Ut tutò ab atris corpore viperis
Dormirem, et ursis; ut premerer sacrâ
Lauroque, collatâque myrto,
Non sine Dis animosus infans.
Vester, Camœnæ, vester in arduos
Tollor Sabinos; seu mihi frigidum
Præneste, seu Tibur supinum,

Apuliæ qui extra Apuliam Dauniam, patriam meam et nutricem, situs est in Apuliâ Peucetiâ: ibique, ludo fessus et somni cupiditate oppressus obdormivissem; me columbæ sylvestres, de quibus multa mira prædicantur, totum involverunt viridibus foliis: adeo ut qui Acheronticam urbem, instar niduli positam in edito colle, obtinent, qui Bantinos agros nemoribus obsitos, qui arva prope Ferentum posita depresso et opimo in solo, colunt; ii omnes mirarentur quemadmodum somnos carperem, a viperis tutus atque ursis; ut laureis frondibus et myrteis quas palumbes in me comportaverant, totus tegerer, summâ tranquillitate animi, tanto in periculo, ac plenus fiduciæ, quam mihi adhuc infanti, conciliatam à Superis esse oportebat. Vestro, Musæ, patrocinio fretus possum impunè invisere Sabinorum regionem montibus arduis refertam; aut Prænestinam urbem frigido in loco et edito sitam;

10. *Apuliæ*. Duplex Apulia est, utraque in Italiâ: altera dicitur Apulia Daunia, quæ nunc ab indigenis appellatur *Puglia Piana*, sive *Capitanata*, ubi Sipontum, et altera vocatur Apulia Peucetia, ubi Barium, etc. *Terra di Bari.* Venusium, Horatii patria, erat in Apuliâ Dauniâ, teste Plinio, quam ideo suam altricem nominat, Vultur mons, versus Apuliam Peucetiam protendebatur.

14. *Acherontiæ*. Erat urbs exigua, in Apuliæ limite sita in edito loco, nunc *Cirenza* dicitur. Aves in altioribus locis nidos ponere solent. Bantia, Ferentum, oppida itidem Apuliæ.

19. *Sacrâ lauro.* Apollini consecrata.

23. *Præneste.* Urbs latii, nunc *Palestrina.*

Seu liquidæ placuere Baiæ.
Vestris amicum fontibus, et choris,
Non me Philippis versa acies retro,
Devota non extinxit arbos,
Nec Siculâ Palinurus undâ.
Utcumque mecum vos eritis, libens
Insanientem navita Bosphorum
Tentabo, et arentes arenas
Littoris Assyrii viator.
Visam Britannos hospitibus feros,
Et lætum equino sanguine Concanum:
Visam pharetratos Gelonos,
Et Scythicum inviolatus amnem.

aut Tiburtinam, quæ in declivi colle sedet; aut Baias limpidis aquis celebratas. Quia vestris fontibus et choris semper fui deditus, non perii miserè cùm exercitus Bruti et Cassii fugatus est in campis Philippensibus; cùm in meum cecidit caput arbor execranda; cùm ad Palinurum promontorium navem fregi. Ubicumque vos habebo socias itineris, Bosphorum procellis immanibus furentem navigare, per æstuosa Assyriæ littora iter pedibus facere, neutiquam dubitabo: adibo impavidus et incolumis Britannos, qui diram in hospites crudelitatem exercent; Concanos, qui equino sanguine ad potum utuntur; Gelonos pharetris gaudentes et jaculis, ac Tanaim, fluvium Scythiæ noti simum, invisam. Simulatque Cesar invictus fatigatas æstivo Marte copias ad hyberna in

26. *Philippis.* Est urbs Thessaliæ, prope quam victi ab Augusto Brutus et Cassius, quorum in exercitu tribunus militum erat Horatius.

27. *Arbos.* Devota dicitur, id est, funesta, detestanda. Devovere significat aliquando diris imprecationibus prosequi, execrare.

28. *Palinurus.* Italiæ promontorium et oppidum, non procul à Sicilia, ubi, rediens è Macedoniâ Horatius post philippense prælium, fractâ procellis navi, ægrè periculum evasit.

32. *Assyrii.* Est Assyria ingens regio Asiæ quæ versùs mare Caspium et sinum Persicum protenditur.

33. *Britannos.* Illi suos olim mactabant hospites. Concani, gens quædam Scythica, equorum sanguinem lacti concreto admixtum potare solita. Non aberant procul Geloni.

36. *Scythicum amnem.* Præter. Tanaim, (*le Don*) sunt famosi eo in tractu amnes, Rha, *Volga*, Obius, etc.

Vos Cæsarem altum, militiâ simul
Fessas cohortes abdidit oppidis,
Finire quærentem labores,
Pierio recreatis antro.
Vos lene consilium et datis, et dato
Gaudetis, almæ. Scimus ut impios
Titanas, immanemque turmam,
Fulmine sustulerit caduco,
Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, et urbes, regnaque tristia,
Divosque, mortalésque turbas
Imperio regit unus æquo.
Magnum illa terrorem intulerat Jovi,
Fidens, juventus horrida, Brachiis,
Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.
Sed quid Typhœus, et validus Mimas,

urbes misit, et laboribus bellicis finem imponere meditatur: tunc vos illi suavissima in antro Pierio facitis otia, et ab armis curisque respirantem oblectatis. Vestri muneris est quod principes lenibus consiliis publicam rem administrant; vosque hujusmodi consilia ipsis subjecisse meritò gaudetis. Quis nescit quemadmodum iisdem vestris consiliis rectè usus Jupiter, qui civitates, et mœsta inferorum regna, qui Deos et homines summa æquitate, quantâ potestate unus gubernat, Titanas impios et sacrilegas phalanges contorto in ipsas fulmine deleverit? Non levi sanè metu Jovem affecerat hæc scelesta juvenum cohors, lacertorum suorum numero et robore superba: imprimisque duo illi fratres, qui Olympo monti Pelium imponere conabantur. Verùm quid moliri tandem aut efficere possent vel Typhœus, vel robustus Mimas, aut Porphyrion procerâ vasti corporis mole horribilis; quid Rhœtus aut Enceladus avulsas

40. *Pierio.* Musis ac litteris deditus Augustus erat, poëscos, et Græcarum litterarum, non rudis.

42. *Almæ.* Beneficæ, faciles, amicæ.

44. *Caduco.* In terras cadente.

51. *Fratres, etc.* Vel Gigantes universos intellige: qui omnes fratres, Terræ filii erant; vel duos ex illis præcipuos, Othium, et Ephialten, quorum audacia et robur in aggerendis montibus eluxit. Pelion et Olympus montes sunt Thessaliæ. Lege Virgilium. I. Georg. versu 282. et VI. Æneid, ver. 582.

Aut quid minaci Porphyrion statu,
Quid Rhætus, evulsisque truncis
Enceladus jaculator audax,
Contra sonantem Palladis Ægida
Possent ruentes? Hinc avidus stetit
Vulcanus, hinc matrona Juno, et
Nunquam humeris positurus arcum,
Qui rore puro Castaliæ lavit
Crines solutos, qui Lyciæ tenet
Dumeta, natalemque sylvam,
Delius et Patareus Apollo.
Vis consili expers mole ruit suâ,
Vim temperatam Dî quoque provehunt
In majus: iidem odere vires
Omne nefas animo moventes.
Testis mearum centimanus Gyges
Sententiarum notus, et integræ

radicitus arbores tanquam sagittas, nullo negotio projiciens contra Palladis coruscam ægidem, et felices Deorum resistentium impetus? A Jovis partibus stabant Vulcanus, Juno et Apollo, qui arcum semper humeris gestat; qui fluentem promissamque cæsariem purissimis Castalii fontis aquis abluit; qui Lyciæ agris ac Deliæ, ubi natus est, sylvæ præsidet; quique idcirco Delius et Patareus nuncupatur. Vires consilio destitutæ per se ipsæ concidunt: at eædem, si prudentiâ et clementiâ temperentur, augentur âc promoventur à Superis, quibus invisi sunt scelerati, suo robore ad omnia flagitia perpetranda protervè abutentes. Gyges ille centum instructus manibus, vera esse, quæ hic pronuncio, perspicuè testabitur; testabitur Orion qui Dianæ pudicitiam ausus attentare, sagittis

58. *Avidus.* Epithetum ignis, cui præest Vulcanus, proprium.

60. *Nunquam positurus arcum.* Donec videlicet Gigantes debellati forent.

61. *Castaliæ.* Fons est in Parnasso, Musis sacer.

Lavit. Ab antiquo lavere, quod pro, lavare, dicebatur.

62. *Lyciæ.* Pars est Asiæ minoris. Ejus primaria civitas Patara, ibi Apollo præcipuè colebatur: qui propterea Patareus dicitur: in quâ voce tres tantùm numerandæ sunt syllabæ, quarum ultima diphthongus sit, adeo producatur.

69. *Gyges.* Unus è Gigantibus.

Tentator Orion Dianæ,
Virgineâ domitus sagittâ.
Injecta monstris Terra dolet suis
Mœretque partus fulmine luridum
Missos ad Orcum : nec peredit
Impositam celer ignis Ætnam ;
Incontinentis nec Tityi jecur
Relinquit ales, nequitiæ additus
Custos : amatorem trecentæ
Pirithoum cohibent catenæ.

ejusdem est confixus ; Titanes et Gigantes, illa hominum monstra, testabuntur. Filios suos partim fulmine in tartara detrusos, partim suis montibus sepultos Terra ingemiscit. Ætna quæ obruit Enceladum, licèt ignes perpetuos evomat, iis tamen hactenus consumpta non est : ales, impudici Tityi jecur assiduè depascens, hominis impuri velut custos et tortor, illi appositus et affixus, ab ejus latere nunquam discedit : Pirithous, qui Proserpinam malè adamavit, sexcentis vinculis constringitur.

76. *Ætnam.* Montem Siciliæ flammas emoventem, quem cùm in Jovem intorsisset Enceladus, Jupiter in hunc retorsit : qui eâ mole oppressus jacuit. Virg. III. Æneid. vers. 578.

Ode V.

Augusti de Britannis et Parthis victoria ; ignavia Romanorum militum qui se Parthis olim dediderant. Reguli sapientia.

Coelo tonantem credidimus Jovem
Regnare : præsens Divus habebitur,
Augustus, adjectis Britannis

Quemadmodum Jovem imperium cœli obtinere agnoscimus cùm illum audimus tonantem ; ita cùm vidimus Persas et Britannos Romanæ ditioni additos ab Augusto,

Imperio, gravibusque Persis.
Milesne Crassi conjuge barbarâ
Turpis maritus vixit? et hostium,
Proh Curia, inversique mores!
Consenuit socerorum in armis,
Sub rege Medo Marsus, et Appulus,
Anciliorum, nominis, et togæ

nemini dubium esse potest, quin ille inter Divos, etiam præsens et vivens numerandus sit. Quis non obstupescat Crassi milites duxisse conjuges barbaras, et propudiosa cum Parthorum puellis jungere matrimonia potuisse? Marsos et Apulos usque adeo nominis Romani, togæ, Anciliorum, et Vestæ oblitos fuisse, stante adhuc Capitolio, et florente Româ, ut

4. *Persis.* Anno Urbis conditæ 737, Phraates rex Parthorum, sive Persarum territus Augusti famâ et adventu in Asiam, pacem rogavit, ac signa Crasso erepta captivosque restituit. Quam victoriam amplificat Horatius, exponendo gravitatem et ignominiam cladis olim à Parthis illatæ. Victoriam illam suam sine cæde partam magni semper Augustus fecit: idem paucis ante annis profectus erat in Gallias cum exercitu, transiturus inde in Britanniam, ut eam armis perdomaret. Sed Britanni missis ad eum Legatis, pacem similiter oraverunt.

5. *Crassi.* Marcus Crassus, junctis cum Cæsare et Pompeio consiliis, rempublicam invasit, cumque iis ita pactus est, ut Syriam provinciam sortiretur, Pompeius verò Hispaniam; Cæsari Gallia prorogaretur. Ita profectus est ad Parthicum bellum anno U. C. 699. at tertio post anno miserrimè cum filio et majori exercitûs parte periit ad Carthas urbem Mesopotamiæ. Et quoniam auri cupiditate bellum hoc suscepisse dicebatur, Barbari mortuo liquefactum aurum in os infuderunt. Qui superfuerunt ex ejus militibus, plerique manserunt in Perside, ubi uxores Persarum duxerunt.

7. *Curia.* Locus erat in quo vel res divinas curabant sacerdotes, vel senatus res humanas.

9. *Marsus et Appulus.* Italiæ populi, ac milites fortissimi.

10. *Anciliorum.* Erant Ancilia clypeoli duodecim sacri, quorum unus è cœlo decidisse ferebatur, et tanquam Romæ Palladium habebatur. Is igitur ne facilè surripi posset, alios undecim illius simillimos fieri jussit Numa, et omnes in templo Martis collocari.

Togæ. Vestis erat Romanorum propria, quos idcirco Virgilius *togatam gentem* appellat. Erat instar pallii, ac tunicæ imponebatur.

Oblitus, æternæque Vestæ,
Incolumi Jove, et urbe Româ?
Hoc caverat mens provida Reguli
Dissentientis conditionibus
Fœdis; et exemplo trahenti
Perniciem veniens in ævum,
Si non periret immiserabilis
Captiva pubes. Signa ego Punicis
Affixa delubris, et arma
Militibus sine cæde, dixit,
Direpta vidi: vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero,
Portasque non clausas, et arva
Marte coli populata nostro.

hostes habere soceros, in eorum castris vitam, sub rege Medo, ad senectutem usque protrahere non erubuerint? O dignitas et amplitudo senatûs! ô mores! quanta eo tempore labes vobis ac dedecus inustum est! Id prospiciebat sapientissimè Regulus, et impedire jam tum conabatur, cùm auctor fuit ne acciperentur fœdæ pacis conditiones, neve exemplum ederetur, cujus imitatio perniciosa posteris erat futura, nisi absque ulla commiseratione Carthaginiensibus dederentur captivi Romani. Ego, inquit, vexilla Romana in Carthaginiensium templis suspensa conspexi et spolia nostris militibus detracta sine vulnere et pugnâ; vidi cives ingenuos et liberos, retortis in tergum manibus mancipiorum instar duci: vidi securas hostium urbes, patentibus apertisque portis: et arva, quæ bello non ita pridem vastavimus, arari passim impunè ac seri.

11. *Vestæ.* Æternus in ejus templo ignis alebatur.

12. *Jove.* Templo Jovis, sive Capitolio.

13. *Reguli.* Marcus Attilius Regulus, victus à Carthaginiensibus, et Romam missus, ut de permutandis captivis ageret cum Senatu, ne id fieret, intercessit, et, ut erat pollicitus, Carthaginem ad certissimam carnificinam rediit.

15. *Conditionibus fœdis.* Ut redderentur Pœnis ipsorum milites à Romanis capti, et Romani vicissim captivi liberarentur.

Et exemplo, etc. Vetantis id fieri quod in posterum noceret, quia nempe futurum providebat, ut milites Romani segniùs pugnarent, hostique se faciliùs dederent, spe redemptionis et permutationis. Quod ut caveret, id est, prohiberet, noluit redimi captivos.

Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit? flagitio additis
Damnum. Neque amissos colores
Lanâ refert medicata fuco;
Nec vera virtus, cùm semel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata densis
Cerva plagis, erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit hostibus;
Et Marte Pœnos proteret altero,
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners, timuitque mortem.
Hic unde vitam sumeret inscius,
Pacem duello miscuit. O pudor!

An existimatis futurum ut milites auro dato redempti, redeant ad pugnam alacriores et fortiores? Imo vero erunt multo nequiores ac segniores: vosque flagitio quod admisere, dum se capi turpiter passi sunt, damnum additis pecuniæ, quæ frustra illis redimendis impendetur. Quemadmodum lana, cùm tincta est adscito aliquo colore, candidum illum colorem et nativum, quem principio habuit, non resumit: sic vera et germana fortitudo, cùm semel est amissa, non solet inertibus animis et ignaviâ imbutis restitui. Ecquando cervam laqueis et retibus expeditam, inire certamen cum venatoribus vidistis? Non erunt, mihi credite, fortiores si vinculis eximantur, qui se hosti perfido permiserunt, neque commissâ denuò pugnâ Pœnos profligabunt, qui brachia per ignaviam dedere vinculis constringenda, et mortem decoram formidarunt. Inertes illi captivi, anxii quomodo turpem vitam retinerent, pacem in medio bello quæsiverunt: cùmque pugnandum esset, arma fœdè

25. *Repensus.* Redemptus: pro quo repensum est aurum. Antiqui enim aurum pendebant; non, ut nunc, numerabant.

28. *Fuco.* Fucus, herba est quædam, quâ utuntur infectores. Pro minio et cerussa fere usurpatur.

32. *Plagis.* Sunt plagæ, retia arctiora.

37. *Unde vitam sumeret inscius.* Potest exponi sic: Nescius vitam ac salutem non esse precibus aut fugâ parandam; sed manu et victoriâ retinendam. Vel, cùm non alia suppeteret fugiendæ mortis via.

38. *Duello.* Vox est Latina vetus; idem significans atque bellum.

Miscuit. Concordiam et amicitiam iniit cum hoste, in ipsâ acie, in qua sævitiæ uni et inclementiæ locus est.

G 5

O magna Carthago probrosis
Altior Italiæ ruinis!
Fertur pudicæ conjugis osculum,
Parvosque natos, ut capitis minor,
A se removisse, et virilem
Torvus humi posuisse vultum;
Donec labantes consilio Patres
Firmaret auctor nunquam alias dato,
Interque mœrentes amicos
Egregius properaret exul.
Atqui sciebat quæ sibi Barbarus
Tortor pararet. Non aliter tamen

posuerunt. O Romæ dedecus! ó ingens Carthago, quantum è nostris probris cladibusque crevisti! Aiunt Attilium, his ita peroratis, perinde quasi libertate ac omni civitatis jure privatus esset, repudiasse liberorum amplexus, et uxoris pudicæ oscula: oculisque humi viriliter ac torvè dejectis, tandiu perstitisse, dum Senatores, quid statuerent incertos, confirmaret in ea, quam nemo hactenus præter illum dixerat suaseratque, sententiâ de captivis non redimendis, moxque ipse, amicorum ejus vicem dolentium coronâ prosequente, ad gloriosum exilium lætus alacerque festinaret. Et quidem non ignorabat quàm diris cruciatibus apud immanes Pœnos torquendus esset: nihilominus affines obsistentes, et populum, ne ad

42. *Capitis minor.* Capite minutus; libertate privilegiisque civium spoliatus. Ea vox *caput* significabat interdum statum et dignitatem quandam, qua fruebatur quicumque liber et civis erat: quorum si alterum, aut utrumque, amitteret, minui capite; minor capitis esse, dicebatur. Utramque dotem Regulus ultro abdicabat, seque ut addictum hosti ac damnatum spectabat; nec jam ut Romanum civem, sed ut servum et hostibus mancipio datum. Qui enim bello capti, in hostium erant potestate, ii nec cives nec liberi habebantur. Igitur conjugem et liberos à se ita removèt ut alienos, nec jam suos. Porro *capitis minor* eâdem à poëtis ratione dicitur, qua *integer vitæ*, *felix laborum*, etc.

45. *Labantes.* Dubitantes, Regulumne servarent, captivis redemptis: an eos cum ipso perditos vellent.

46. *Auctor.* Sic vocatur qui aliquid suadet, consulit, in se recipit ac præstat.

49. *Atqui*, etc. Regulus à Pœnis illigatus in machinâ, resectis palpebris, vigilando necatus est, et aliis exquisitis cruciatibus affectus.

Dimovit obstantes propinquos,
Et populum reditus morantem,
Quàm si clientum longa negotia
Dijudicatâ lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

Carthaginienses rediret impedire tentantem, haud secus repulit, viamque sibi per obstantes aperuit, quàm si, post compositas clientium lites, Venafrum aut Tarentum, oblectationis et otii causâ, secederet.

ODE VI.

Seculi sui vitia detestatur; antiquos mores laudat.

DELICTA majorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris,
Ædesque labentes Deorum, et
Fœda nigro simulacra fumo.
Dìs te minorem quòd geris, imperas:
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Dì multa neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosæ.

DAbitis, ô Romani, pœnas ob majorum vestrorum scelera, licèt à vobis admissa non sint; donec reparaveritis Superûm delubra ob vetustatem collabentia, et statuas fuligine ac fumo deformatas. Orbis terrarum imperium non aliâ magis de causâ obtinetis, quàm quod vobis ipsis imperitare Superos ultro fatemini. Inde initium et origo vestræ felicitatis petenda est, inde successus rerum à vobis gerendarum pendet. Superi

1. *Immeritus.* Innocens eo quidem nomine, quia majorum scelera, tua non sunt; at nocens et meritò plectendus, ob rerum sacrarum et cultus divini contemptum. Romanorum leges respicit, apud quos nullum patris delictum innocenti filio fraudi erat.

4. *Fumo.* Contracto à vetustate: vel ab incendiis quibus templa in bellis civilibus plurima deflagrarunt.

Jam bis Monæses, et Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus
Nostros, et adjecisse prædam
Torquibus exiguis renidet.
Pœne occupatam seditionibus
Delevit Urbem Dacus, et Æthiops;
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.
Fœcunda culpæ secula nuptias
Primùm inquinavere, et genus, et domos.
Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit.
Motus doceri gaudet Ionicos

negligenter culti, multis calamitatibus infelicem Italiam affecerunt. Jam semel iterumque Monæsis et Pacori exercitus, nostras copias infaustis ominibus dimicantes profligarunt : et nunc triumphant quòd suos torques spoliis Romanorum auctiores ornatioresque fecerint. Romam ipsam bellis civilibus ac privatorum dissidiis perturbatam Daci et Æthiopes propemodum exciderunt; hi navibus et maritimo exercitu, illi pedestribus copiis et jaculis suis metuendi. Ætas nostrâ, vitiorum miserè ferax, conjugalis thori sanctimoniam primùm contaminavit, familiasque ac domos singulas adulteriis fœdavit. Hæc primaria labes et causa tot malorum, quæ Romam populumque Romanum dirè premunt. Puellæ nubiles obscœnas quasdam saltationes ab Ionibus inventas cupidè perdiscunt, ac pedes parum decorè movere amant,

9. *Monæses.* Parthorum dux qui varias Romanis clades intulit, quo tempore M. Antonius Parthis bellum indixit, anno U. C. 718. Lege Dionem L. 49. Justinum Lib. 42.

Pacori. Filius fuit Orodis Parthorum regis et à patre contra Romanos missus cum exercitu, post M. Crassum interfectum, eos aliquot præliis fudit. Anno U. C. 702.

10. *Non auspicatos impetus.* Neglectis auspiciis, aut vitiosè sumptis factos.

11. *Prædam.* Aurum, gemmas, alia id genus ornementa.

12. *Torquibus.* Torques collo circumdatos gestare Parthis mos fuit, dulce ac decorum fuit.

14. *Dacus.* Populus Europæ septentrionalis, nunc Transylvani, Moldavi, etc. Dacorum incursiones Augustum repressisse tribus eorum ducibus cæsis testatur Suetonius c. 21.

Æthiops. Populus Africæ : qui Antonio et Cleopatræ adversus Augustum favit, ut ipsi etiam Daci.

21. *Motus, etc.* Moveri pro saltare, Latini dicunt.

Matura virgo; et fingitur artubus
Jam nunc, et incestos amores
De tenero meditatur ungui.
Non his juventus orta parentibus
Infecit æquor sanguine Punico;
Pyrrhumque, et ingentem cecidit
Antiochum, Annibalemque dirum:
Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glebas, et severæ
Matris ad arbitrium recisos
Portare fustes, sol ubi montium
Mutaret umbras, et juga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens abeunte curru.

jamque ab ipsâ pueritiâ vetitis amoribus indulgent. Talibus profecto geniti parentibus non erant illi Romani, qui Carthaginiensium sanguine maria cruentarunt, qui Pyrrhum, qui Antiochum, ac ferum Annibalem deleverunt. Parentibus agricolis iisdemque militibus nati erant: valentes et robusti, iisdem ac parentes artibus eruditi, nempe glebis ligone duro frangendis ac invertendis; stipitibus, quorum modum et numerum definiebat severa mater, portandis domum ex agro sub vesperam, cum sol occidens umbras montium projiceret in partem diversam ab illâ in quam eas projecerat oriens, cùmque aratrum tauris fessis eximeret, noctem optatam et quietem occasu suo referens. Quid est quod tempus non deterat corrumpatque? Parentes

Ionicos. Iones, Græciæ veteris populus, luxu, deliciisque diffluens. In occidentalem Asiæ minoris oram commigrarunt, ibique inter Cariam et Æolidem consederunt.

22. *Fingitur artibus.* Docetur artus componere, ut aptè molliterque moveantur.

24. *De tenero ungui.* A teneris, ut ait Tullius, unguiculis. Locutio Græca est A tenerâ ætate.

27. *Pyrrhum.* Regem Epiri quæ regio est occidentalis Græciæ. Is bellum Romanis intulit, et à Fabricio Curioque victus est anno U. C. 480. Ejus vitam leges apud Plutarchum.

28. *Antiochum.* Regem Syriæ, quem vicit Luc. Scipio anno Urbis conditæ 567.

30. *Sabellis.* Sabelli populus Italiæ, à Sabinis oriundus, prope Marsos, non procul Româ: antiquæ probitatis laude clarus.

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

nostri erant avis suis pejores; nos parentibus deteriores sumus; nostri liberi et posteri nequiores nobis erunt.

ODE VII.

Ad Mæcenatem, ut epulis et genio paulisper indulgeat.

MARTIIS cœlebs quid agam Kalendis,
Quid velint flores, et acerra thuris
Plena, miraris, positusque carbo in
Cespite vivo,
Docte sermones utriusque linguæ:
Voveram dulces epulas, et album
Libero caprum, prope funeratus

O Mæcenas, qui utrâque linguâ Latinâ et Græcâ egregiè calles, miraris quid causæ sit, cur Martii mensis Kalendas religiosè colam, cùm uxorem nunquam duxerim: quid mihi velim cum istis floribus et vasculò thuris pleno, ac prunis candentibus in arâ gramineâ collocatis. Hujus sacrificii ea causa est, quòd arboris in meum caput tantum non lapsæ ruinâ pene oppressus, Baccho promiserim fore, ut ipsi caprum

1. *Martiis Kalendis.* Olim eâ die Sabinæ mulieres quas Romani rapuerant: pacem et concordiam inter utrumque populum arma meditantem, conciliarunt. Eam ob rem Calendas Martias colebant Romanæ matronæ: Junoni faciebant sacrificia, mittebant inter se munera et à viris accipiebant; etc. Kalendæ, prima dies mensis.

Cœlebs. Qui sine uxor est: matrimonii expers.

4. *Cespite vivo.* Gleba tecta virenti gramine.

6. *Album.* Victimæ albæ Diis superis immolabantur; nigræ, inferis.

7. *Libero.* Poëtæ sunt in tutelâ Bacchi, et vino uberiore gaudent.

Caprum. Solebat caper immolari Baccho, quia vites arrodit.

Arboris ictu.
Hic dies, anno redeunte festus,
Corticem astrictum pice dimovebit
Amphoræ fumum bibere institutæ,
Consule Tullo.
Sume, Mæcenas, cyathos amici
Sospitis centum; et vigiles lucernas
Profer in lucem: procul omnis esto
Clamor et ira.
Mitte civiles super Urbe curas.
Occidit Daci Cotisonis agmen:
Medus, infestus sibi, luctuosis
Dissidet armis:
Servit Hispanæ vetus hostis oræ
Cantaber, sera domitus catenâ:

candidum immolarem, ac dulce convivium, in ejusdem Dei honorem cum amicis celebrarem. Hunc diem tanquam festum singulis annis deinceps colam, et corticem oblitum pice revellam, quo est obturatum os lagenæ veteris, cujus vinum fumo excoqui et mitigari cœpit eo anno qui Tullum Consulem vidit. Adesdum igitur, et in amici incolumis ac tanto liberati periculo gratiam, exhauri quos offeret tibi scyphos bene multos. Producantur epulæ nocturnæ usque in lucem, accensis lucernis, sine rixis et clamoribus, genio sit et hilaritati meræ locus. Omitte paulisper quas pro civium et Urbis incolumitate sumere soles curas. Cotiso Dacorum dux acie victus est: Medi seditionibus domesticis laborant, ac sibi hostes ipsi sunt. Cantabri sero tandem fracti subditique, jugum accepere; jam

10. *Corticem.* Subere obstruebant os amphoræ.

12. *Tullo.* Lucius Volcatius Tullus in Fastis consularibus ponitur gessisse Consulatum, primùm quidem cum Manio Æmilio Lepido, anno Urbis conditæ 688. Deinde verò cùm C. Cæsare Octaviano, anno 721. Hæc autem Ode scripta fuit, post Cantabros, de quibus in ipsâ meminit, perdomitos, anno urbis 736.

22. *Cantaber.* Profectus in Hispaniam Augustus Cantabros triennio toto fregerat. Cùm autem morbum ex labore contraxisset Romam repetiit, ac bellum Antistio et Carisio absolvendum reliquit, anno Urbis conditæ 729.

Iidem Cantabri cùm à Romanis descivissent, ab Agrippâ, Augusti auspiciis penitus domiti fuere, anno 736.

Jam Scythæ laxo meditantur arcu
Cedere campis.
Negligens, ne qua populus laboret,
Parce privatus nimium cavere; et
Dona præsentis rape lætus horæ, ac
Linque severa.

Scythæ laxatis ac solutis arcubus receptum in patriam cogitant. Cum igitur Magistratum modo nullum geras, noli anxius nimium esse, ne quid detrimenti Roma capiat, in eoque negligens paulum esto; intermitte seria negotia; et opportunitate animi relaxandi ac genio indulgendi, quam hæc tibi dies offert, frui propera.

25. *Negligens*, *etc.* Publicæ rei curam intermittens. Ordo est, in eo esto negligens ut omittas cavere auxiè et laborare ne quâ in re populus laboret, utpote qui privatus sis.

26. *Privatus.* Mandata urbis quidem Præfectura Mæcenati fuerat, interim dum Augustus bello Cantabrico distinebatur: sed, Cæsare in Italiam reverso, post confectum hoc bellum, poterat Mæcenas esse solutior ac tranquillior, et ab urbanis curis, perinde ac si homo privatus fuisset respirare. Ita vocem illam *privatus*, nonnulli explicant. Addunt hoc etiam, quod Præfectura urbis inter Magistratus non censebatur. Ego solvi nodum hunc facilius posse puto, si dicatur scripta esse hæc Ode, non eo tempore, quo rediit Augustus ex Hispaniâ, sed post Cantabros ab Agrippâ domitos, quo tempore urbis Præfecturam Mæcenas non gerebat: et quamvis ab Horatio jubeatur *civiles super urbe curas* omittere; potest vox ea *civilis*, denotare curas, quæ cives bonos decent, præsertim Urbi et Principi, ut erat Mæcenas, carissimos. De illo dictum antea sæpius.

ODE VIII.

Danaïdum historiam earumque supplicium denarrat, invocato priùs Mercurio ac sua testudine.

MERCURI, nam te docilis magistro
Movit Amphion lapides canendo,
Tuque, Testudo, resonare septem
Callida nervis,
Nec loquax olim, neque grata, nunc et
Divitum mensis et amica templis,
Dic modos, Lyde quibus obstinatas
Applicet aures.
Tu potes tigres comitesque sylvas
Ducere, et rivos celeres morari.
Cessit immanis tibi blandienti
Janitor aulæ
Cerberus: quamvis furiale centum

O Mercuri, siquidem Amphionem docuisti movere cantu saxa; tuque, ô mea Lyra, septem instructa nervis, quibus concentum adeo suavem, adeo in lautioribus conviviis atque templis frequentatum, edis: cùm antea nec ad reddendum sonum idonea fores, neque à quoquam expetita: doce me, obsecro, carmina, quibus auditis Lyde pertinax, et hactenus veluti surda, moveatur. Tu hanc vim et facultatem habes, ut sylvas tigresque trahere possis, et fluviis, licet summâ celeritate procurrentibus, moram injicere. Victum se tuorum blanditiis confessus est Plutonis regiæ custos Cerberus, tametsi caput illi

2. *Amphion.* Jovis et Antiopæ filius: muros urbis Thebanæ in Græciâ, lapidibus ad Lyræ sonum suâ sponte se componentibus, extruisse fingitur.

3. *Testudo.* Lyræ inventor dicitur Mercurius, cùm enim testam et tergum cavum testudinis, piscis noti, reperisset in littore, addidit chordas, quibus antequam instructa foret hæc testa, sonum modulatum edere minimè poterat.

10. *Ducere, etc.* Hæc omnia Orpheus præstitit ope testudinis. Lege Virgilium IV. Georg. ver. 454 sub finem.

13. *Furiale.* Hirsutum et præcinctum serpentibus, ut caput Furiarum.

Muniant angues caput, æ tetque
Spiritus teter, sæniesque manet
Ore trilingui.
Quin et Ixion, Tityosque, vultu
Risit invito: stetit urna paulùm
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.
Audiat Lyde scelus, atque notas
Virginum pœnas, et inane lymphæ
Dolium fundo pereuntis imo;
Seraque fata,
Quæ manent culpas etiam sub Orco.
Impiæ, nam quid potuere majus?
Impiæ sponsos potuere duro
Perdere ferro.
Una de multis, face nuptiali

sexcentis inhorrescat serpentibus, et os trilingue virus tetrum cum fœtido anhelitu ac tabum evomat. Ipsi etiam, Ixion et Tityus, licet inviti in gratiis arriserunt, sono tuo deliniti: aliquandiu dolia Danaïdum vacua manserunt, dum illæ tuis cantibus illectæ laborem omittunt paulisper ac cessant. Fac earum crimen ex te audiat Lyde, ac decantatum supplicium: narra quemadmodum jubeantur implere dolium pertusum, quod, aqua per fundum effluente, semper vacuum remanet: audiat pœnas quæ improbos, sero licet, expectant, ac sequuntur etiam post mortem in ipso Tartaro, certâ fatorum lege. Nimirum illæ virgines impiæ, nam quo illarum immanitas progredi longiùs poterat? suos in maritos crudele ferrum stringere non sunt veritæ. Ex iis tamen una, honore matrimonii et sponsæ nomine

17. *Ixion.* Is cùm Junonem de stupro appellasset, ad inferos à Jove detrusus fertur; ibique rotæ affixus, quæ perpetuo circumagitur. Ovid. Metamorph. Lib. IV. *Volvitur Ixion, et se sequiturque fugitque.*

Tityos. Græca terminatio; pro Tityus. Hæc autem poëtæ dicebant tum contigisse, cùm Orpheus Eurydicen suam recepturus, inferos adiit, Virgil. Georg. Lib. IV. sub finem.

24. *Sera.* Quia post mortem tantum irrogatæ fuerant pœnæ illæ; vel, quia nullo unquam exitu finiendæ.

29. *Una.* Hypermnestra vocabatur

Face nuptiali. Sponsæ à viris domum ducebantur sub vesperam, facibus accensis, vulgò quinque.

Digna, perjurum fuit in parentem
Splendidè mendax, et in omne virgo
Nobilis ævum :
Surge, quæ dixit juveni marito,
Surge, ne longus tibi somnus, unde
Non times, detur : socerum, et scelestas
Falle sorores.
Quæ velut nactæ vitulos leænæ,
Singulos, eheu! lacerant : ego illis
Mollior, nec te feriam, nec intra
Claustra tenebo.
Me pater sævis oneret catenis,
Quòd viro clemens misero peperci,
Me vel extremos Numidarum in agros
Classe releget,
I, pedes quò te rapiunt et auræ,
Dum favet nox, et Venus; i, secundo

dignissima; pulchro mendacio, parentem suum perjurum delusit, eoque facinore gloriam sibi peperit immortalem. Hæc juvenem maritum, sic allocuta; surge, stratis te confestim proripe, ne tibi repentina mors afferatur ab eâ manu, à qua nihil metuendum esse credis : effuge socerum tuum et sceleratas sorores meas, quæ, non secus ac leænæ, à quibus vituli laniantur, suos eheu! singulæ viros mactant. Ego illis clementior, neque te percutiam, neque te inclusum hic retinebo. Sæviat in me, quantum libuerit, pater, servatum à me virum dolens; in vincula me conjiciat, aut in ultimam Africam deportari jubeat : patiar ac feram. Tu igitur perge, vel terrâ, vel mari, quò videbitur : utere noctis ac Veneris, quæ fugam tibi aperiunt, beneficio : i, bonis alitibus, et tuo sepulcro jube incidi

30. *Perjurum.* Juraverat Danaus earum parens, ac promiserat fratris sui Ægypti filiis filiarum suarum sponsis, omnia læta et fortunata licet iis machinaretur necem, eo quod se ab uno è suis generis periturum accepisset.

31. *Mendax.* Pollicita scilicet patri se sponsum necaturam, quem tamen servavit.

33. *Marito.* Lynceo nomen illi fuisse volunt.

34. *Longus somnus.* Mors.

43. *Numidarum.* Populi sunt Africæ.

45. *Auræ.* Venti.

Quo pedes, etc. Sive pedestri, sive maritimo itinere.

46. *Venus.* Ob meum in te amorem ac pietatem.

Omine, et nostri memorem sepulcro
Sculpe querelam!

carmen et elogium, quo te nostri meminisse, ac vicem meam dolore, significes.

47. *Sepulcro.* Tuo, explicui: cùm enim procul esset abiturus fugâ, non poterat facilè sepulcro Hypermnestræ carmen imponere. Si, meo, exponere mavis, intellige de tumulo inani et honorario, quem ille in honorem et memoriam Hypermnestræ positurus esset.

Ode IX.

Fonti Blandusiæ sacrificium, et à versibus suis nobilitatem spondet.

O fons Blandusiæ, Splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus,
Cras donaberis hœdo,
Cui frons turgida cornibus
Primis, et Venerem, et prælia destinat
Frustra: nam gelidos inficiet tibi
Rubro sanguine rivos
Lascivi soboles gregis.

O Fons Blandusiæ crystallo pellucidior, dignus es cui fiat sacrificium fuso vino, et sparsis floribus. Itaque cras hœdum immolabo tibi; qui sentiens cornua è fronte jam erumpentia, pugnas ludosque meditatur, at incassum; nam lascivus hœdulus lymphas tuas cruore suo imbuet. Te attingere cum suis ignibus

2. *Non sine floribus.* Fontes inspergebant floribus: victimas coronabant sertis: pocula floreis corollis induebant. Quibus omnibus hoc in sacrificio locus esse potuit.

3. *Donaberis hœdo.* Sua singulis fontibus præsidere credebant Numina seu Nymphas, seu Genios, quos ejusmodi sacrificiis colebant.

5. *Prælia.* Solent hœdi adversis cornibus inter se pugnare.

6. *Inficiet tibi.* In tuum honorem, tibi immolatus, cruentabit.

Te flagrantis atrox hora Caniculæ
Nescit tangere; tu frigus amabile
Fessis vomere tauris
Præbes, et pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cavis impositam ilicem
Saxis, unde loquaces
Lymphæ desiliunt tuæ.

Canicula non audet; prope tuas ripas opacum frigus boves aratro defatigati, et cæteræ pecudes huc illuc errando fessæ jucundissimè captant. Tu quoque in numerum nobilium fontium meis versibus adscriberis cùm rupem excavatam et patulâ inumbratam quercu cantabo, qua ex rupe aquas tuas leni cum strepitu devolvis.

9. *Atrox hora.* Tempestas æstiva et calida, cùm sævit Caniculæ sidus: quo exoriente calor vulgò ingravescit.

13. *Fies nobilium fontium.* Subaudi, unus. Ita loquuntur Græci.

ODE X.

Augusti reditum ex Hispaniâ celebrat.

HERCULIS ritu modò dictus, ô plebs,
Morte venalem petiisse laurum,
Cæsar, Hispanâ, repetit Penates

O Quirites, Cæsar Augustus, quem nuper palam prædicastis emptam, exemplo Herculis, vitæ et capitis periculo victoriam de Cantabris quæsivisse, in Italiam ab Hispaniâ rever-

1. *Herculis ritu.* Qui versatus olim in eâdem Hispaniâ, et multis laboribus periculisque defunctus, victo Geryone, fixis ad fretum Gaditanum columnis, venit in Italiam. Virg. Lib. VIII. ver. 202.

Modo dictus, etc. Cùm populus Romanus audivisset Augustum belli Catabrici laboribus debilitatum ac morbo gravi tentatum esse, magnum mœrorem præ se tulit, et eum palam Herculi similem dictitavit, qui tot periculis et laboribus emere victoriam non dubitaret.

3. *Penates.* Dii erant do-

Victor ab orâ.
Unico gaudens mulier marito
Prodeat, justis operata Divis;
Et soror clari ducis, et decoræ
Supplice vittâ
Virginum matres, juvenumque nuper
Sospitum. Vos, ô pueri, et puellæ
Jam virum expertæ, male ominatis
Parcite verbis.
Hic dies verè mihi festus atras
Eximet curas; ego nec tumultum,

titur. Nunc tandem Augusta, suo viro unicè addita ejusque gaudium jure gaudens, procedat in publicum, postquam sacrificia dum obtulerit Superis, qui Augustum, id merentem, belli periculis ac morbo liberaverunt. Prodeat Octavia, illustrissimi principis soror; atque matres adolescentum, qui e bello salvi et incolumes redeunt; prodeant, inquam, ornatæ vittis et cætero supplicantium cultu. Vos pueri, et puellæ jam nuptæ, favete linguis, et verba bona dicite. Hunc diem ego tanquam verè festum, hilaritate singulari exigam, curis valere procul jussis. Cæsare terrarum imperium obtinente, non civiles discor-

mestici, ac privati, pro domo ipsâ sumuntur.

5. *Unico marito gaudens.* Uno viro contenta, id est, proba et pudica. Indicari Liviam Augusti uxorem, rectè quidam censent, quæ pudicitiæ singularis laude floruit: alii hoc idem de aliis quoque matronis intelligunt.

6. *Operata.* Operari, facere, apud Latinos, pro, sacrificare, accipitur, quia res una omnium, quæ fieri possunt, sanctissima et maxima, sacrificium est. Pars religionis erat, privatis sacrificiis Deos domesticos privatim ante placare et colere, quàm publicæ supplicationes et sacrificia celebrarentur.

7. *Soror.* Octavia: quæ olim Antonio, nuper demortuo, nupserat.

8. *Supplice vittâ.* Moris erat, in publicis supplicationibus, caput ac manus tæniolis quibusdam sacris adoperire, laneis vulgò et niveis.

10. *O pueri, etc.* Primas in supplicatione hâc sacrâ partes obtinent Livia et Octavia: sequuntur Matronæ: claudunt agmen adolescentes et recèns nuptæ, quibus, ob insitam ætati lævitatem et procacitatem, præcipit imprimis ut abstineant à verbis mali ominis, hoc est, profanis, obscœnis, infaustis: ut *linguis faveant.*

14. *Tumultum.* Ita vocabant bella domestica, sive etiam

Nec mori per vim metuam, tenente
Cæsare terras.
I, pete unguentum, puer, et coronas,
Et cadum Marsi memorem duelli,
Spartacum si quà potuit vagantem
Fallere testa.
Dic et argutæ properet Neæræ
Myrrheum nodo cohibere crinem,
Si per invisum mora janitorem
Fiet, abito.
Lenit albescens animos capillus,

dias ac tumultus, non violentas hostium externorum manus, pertimescam. Age, Dave, accerse nobis unguentum, floreas coronas texe, reline dolium, jam tum in cella conditum, cùm bello Marsico arderet Italia: si quis tamen ejusmodi cadus effugere potuit ac latere Spartacum concursantem longè latèque, et omnia devastantem. Fac etiam Neæram, illam psaltriam adeò scitè canentem moneas, ut propere veniat; capillisque unguento myrrheo madentes ac solutos colligere ac religare festinet. Si molestus janitor tibi moram injiciat, abi. Ætas mea jam in senectutem vergens, et isti cani, animum ad lites rixasque procliviorem temperant. Ejusmodi repulsam

Italica, et Gallica, ob timorem multum quem ea olim Romæ intulerant.

17. *Puer.* Servum quempiam alloquitur.

18. *Marsi.* Marsici. Belli Marsici origo hæc fuit. Italiæ populi quidam, socii Romanorum ac fœderati, quos inter præcipui erant Marsi, petierant jus civitatis, idque ipsis à Druso promissum fuerat; sed cùm subinde negaretur, hoc illi ægrè ferentes arma cepere anno U. C. 663. Gestum vario eventu bellum, in quo magnam est adeptus laudem Cn. Pompeius Strabo, Magni pater: illud demum Luc. Sylla, anno post tertio, confecit. Florus Lib. III. c. 18.

Memorem. Solebant Romani inscribere in amphoræ operculo, in cortice pice oblito, quo cadus, sive lagena obtuta erat, nomen Consulum sub quibus vinum in amphoram diffusum foret, et in cellam abditum.

19. *Si qua.* Si qua ratione, si quo fieri pacto, potuit, ut, etc.

Spartacum. Gladiator fuit qui servis et gladiatoribus in rempublicam concitatis, servile bellum movit, anno U. C. 681. à Crasso et Pompeio, biennio post, deletus est cum suis. Florus Lib. III. c. 20.

20. *Testa.* Amphora, cadus fictilis.

Litium, et rixæ cupidos protervæ.
Non ego hoc ferrem, calidus juventâ,
Consule Planco.

à Neærâ aut aliquo janitore neutiquam tulissem olim, cùm eram ob juventutem calidior atque iracundiæ minùs potens, Munatio Planco gerente Consulatum.

28. *Planco.* Consulatum gessit anno à Româ conditâ 712. qui erat annus Horatii tertius et vigesimus. Legit Lambinus *Consule Tullo.* Sed Volcatius Tullus Consul fuit, primum quidem anno ab urbe conditâ 688. deinde vero 721, qui ejusdem Horatii fuit trigesimus secundus.

Ode XI.

Aurum vincit omnia: felix qui ejus cupiditate non vincitur.

Inclusam Danaën turris ahenea,
Robustæque fores, et vigilum canum
Tristes excubiæ, munierant satis
Nocturnis ab adulteris,
Si non Acrisium, virginis abditæ
Custodem pavidum, Jupiter et Venus
Risissent. Fore enim tutum iter et patens,

Danaen ærea turris, in qua tenebatur inclusa, et portæ validissimæ, atque appositi qui ad limen perpetuo excubarent canes pervigiles, satis munitam ac tutam reddiderant ab mœchis noctu grassantibus; nisi anxiam illam et nimis diligentem Acrisii Danaës patris in puellâ servandâ curam Jupiter ac Venus derisissent. Intelligebant enim aditum ad Danaën

1. *Danaën.* Filiam Acrisii, regis Argivorum. Is audierat se vitâ et solio privandum à nepote; quare filiam, ne quis ex eâ nasceretur sibi nepos, ferreâ turri clauserat. Jupiter, ut poëtæ commenti sunt, in pluviam auream conversus, è Danaë Perseum suscepit, à quo Acrisius est interfectus, cui fabulæ occasio inde est data, quod Prœtus, Acrisii frater, corruptis auro custodibus, aditum ad Danaëm invenit.

Converso

Converso in pretium Deo.
Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo. Concidit auguris
Argivi domus, ob lucrum
Demersa excidio; diffidit urbium
Portas vir Macedo, et subruit æmulos
Reges muneribus. Munera navium
Sævos illaqueant duces.
Crescentem sequitur cura pecuniam,
Majorumque fames. Jure perhorrui
Latè conspicuum tollere verticem,

promptum et expeditum mutato in aurum Jovi futurum. Ea nimirum auri vis ac potestas est, ut per medium satellitum agmen viam sibi faciat, ut apposita è solido saxo propugnacula, et obices, omni fulmine validiùs certiùsque perfringat. Amphiaraï domus ob lucri cupiditatem eversa funditùs atque extincta est: Philippus Macedoniæ rex urbes quaslibet solebat auro expugnare, ac reges adversarios donis pessumdare. Navium gubernatores et præfectos dona irretiunt corrumpuntque. Si quis pecuniam paulò majorem comparaverit; continuò torquetur, et servandæ curâ, et augendæ cupiditate. Meritò

10. *Amat.* Solet, gestit.

11. *Auguris Argivi.* Adrastus, Argivorum rex, sororem suam Eriphylen Amphiarao, auguri peritissimo, in matrimonium collocaverat. Profecturus deinde ad bellum Thebanum, ut ortam inter Polynicem generum suum et Etheoclem fratres, Oedipi filios, controversiam de regno componeret, nullum non movit lapidem, ut ad istius belli societatem pertraheret Amphiaraum, qui se in eodem bello periturum cognoverat. Ad extremum monile auro et gemmis ornatum Eriphylæ donavit, quæ persuasit viro suo Amphiarao, ut bellum peteret. In quo ille terrâ sub pedibus ruptâ et hiante, absorptus fuisse perhibetur. Eriphyle non ita multo post ab Alcmæone filio est interfecta; Alcmæon ab Adrasto, etc. sic unius mulieris avaritiâ in causâ fuit cur nobilissima familia periret. Ovid. IX. Metamorph. c. XI.

14. *Vir Macedo.* Philippus Alexandri Magni pater: qui cùm urbem aliquam expugnari non posse audivisset, ingenio scilicet loci aut arte operibusque munitam, rogitavit num in eam onustus auro mulus subire posset: tumque nihil esse moræ quin facile caperetur, affirmavit.

18. *Majorum.* Subaudi, pecuniarum.

Mæcenas, Equitum decus.
Quantò quisque sibi plura negaverit,
A Dìs plura feret. Nil cupientium
Nudus castra peto, et transfuga, divitum
Partes linquere gestio:
Contemptæ dominus splendidior rei,
Quàm si, quidquid arat non piger Appulus,
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.
Puræ rivus aquæ, sylvaque jugerum
Paucorum, et segetis certa fides meæ,
Fulgentem imperio fertilis Africæ
Fallit sorte beatior.
Quamquam nec Calabræ mella ferunt apes,
Nec Læstrigoniâ Bacchus in amphorâ

igitur, ô Mæcenas, equestris ordinis clarissimum lumen, fastum, et amplitudinem quam immensæ opes afferunt pertimui ac fugi. Ut quisque cupiditati suæ et avaritiæ maximè moderabitur, ita plurima et maxima consequetur à Superis. Partes illorum et sortem amplector qui nihil desiderant, meque ipse libenter omnibus et votis et rebus exuo: lautorum verò ac locupletum quasi castra deserere glorior ac præ me fero. Nihilominus exiguarum opum quas possideo, et quas alii despiciunt, illustriorem dominum me esse reor, quàm si omnes feracis Apuliæ messes unus congestas penes me haberem: quæ copia profecto nequaquam impediret, quominus inops reipsâ mediis in opibus istis forem. Tenuis ac limpidus rivus, sylva paucis jugeribus constans, fundus commissam segetem cum fide ac fœnore mihi restituens, conditionem meam efficiunt multo feliciorem sorte regis Africæ, quamvis ita se rem habere ipse nesciat. Esto mella mihi non conficiant apes in Calabriâ, nec

20. *Equitum decus.* Cùm potuisset Mæcenas ad altiorem provehi locum et gradum, in equestri ordine, præ modestiâ constiterat.

25. *Dominus splendidior.* Avari propriè non sunt domini pecuniæ suæ, quia illâ non utuntur; sed ut alienæ, ut sacræ, parcunt.

32. *Fallit.* Latet, nescitur. Ita loquuntur Græci. Regem Africæ latet, vel fallit: sors mea beatior: pro, nescit eam beatiorem esse.

33. *Calabræ.* Calabria, pars est Italiæ extrema, ad meridiem.

34. *Læstrigonia.* Formiana. Formiæ, oppidum est in Ita-

Languescit mihi, nec pinguia Gallicis
Crescunt vellera pascuis :
Importuna tamen pauperiès abest,
Nec, si plura velim, tu dare deneges.
Contracto meliùs parva cupidine
Vectigalia porrigam,
Quàm si Mygdoniis regnum Alyattici
Campis continuem. Multa petentibus
Desunt multa : bene est cui Deus obtulit
Parcâ, quod satis est, manu.

Formianum vinum habeam conditum in amphoris, ubi longâ die, vel fumo, mitescat ac maturitatem colligat : nec lanas ex ovibus, quas pascit Gallia, pretiosas capiam : at molestâ paupertate non premor, tuque, opes augere si vellem, ultro ac libenter plura, quàm quæ mihi nunc suppetunt, concederes. Compressâ et refrænatâ opum cupiditate, faciliùs exigua vectigalia pensitabo, quàm si arva Phrygiæ, ubi Mygdon imperitavit, agris Lydiæ, ubi regnavit Alyatticus, juncta possiderem. Quicumque multa desiderant, iidem multis carent. Præclarè cùm illo agitur, cui modicam rem familiarem, quanta sufficit ad usus vitæ necessarios, Deus quasi parcior impertivit.

liæ Campania, ad quod inhabitandum olim Læstrigones populi Siciliæ, ex eâ insulâ in Italiam commigraverunt. In ejus agro vites optimæ, ut flores et mel in Calabriâ.

35. *Gallicis.* Intelligit Galliam Cisalpinam, ad Padum sitam, ubi læta et opima pascua.

37. *Importuna.* Aspera. Propriè littus dicitur importunum quod commodo portu, aut ullo penitus caret.

40. *Vectigalia.* Fortasse ea vox in hoc loco accipienda pro prædiis et fundis, nam id etiam aliquando significare dicitur. Eritque hæc sententia : Si avaritiam coërcuero, latiores obtinebo fundos, quàm si, etc.

41. *Mygdoniis.* Mygdon rex Phrygiæ.

Alyattici. Alyatticus, seu Alyattes, pater Crœsi fuit ; Crœsus rex Lydiæ ; Lydia, portio Asiæ minoris feracissima.

Ode XII.

Ælium Lamiam, cujus nobilitatem laudat obiter, hortatur ad diem crastinum, qui ater et nubilus fore videbatur, hilarè transigendum.

Æli, vetusto nobilis ab Lamo,
Quando et priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, et nepotum
Per memores genus omne fastos;
Auctore ab illo ducis originem,
Qui formiarum mœnia dicitur
Princeps, et innantem Maricæ
Littoribus tenuisse Lirim
Latè tyrannus: cras foliis nemus
Multis, et algâ littus inutili
Demissa tempestas ab Euro

Æli, qui antiquissimæ tuæ familiæ originem ac nobilitatem à prisco illo Lamo repetis, à quo primo Lamias, et eorum deinceps posteros, in fastis longo ordine recensitos, nomen duxisse fama est, et quem primum Formiis imperitasse ac totum hunc oræ maritimæ tractum, ubi Lyris placidè volvitur, et ubi Marica Dea colitur, latè obtinuisse, perhibent: cras Eurus diem procellis

1. *Æli.* Æliorum gens imprimis antiqua et nobilis apud Romanos fuit. Inter varios quibus quasi scindebatur ramos, Lamiarum familia numerabatur, ex quâ oriundus iste Quintus Ælius Lamia: qui bello Cantabrico interfuerat, et Augusto carus erat.

4. *Fastos.* Fasti dicebantur libri, seu tabulæ quædam publicæ, in quibus perscribebatur quid quoque die gestum esset, quod ad principem, aut rempublicam pertineret.

7. *Maricæ littoribus.* Ita vocat oram maritimam in qua erant urbes Cajeta, Formiæ, Minturnæ, etc. Ibi enim colebatur Dea Marica, Fauni uxor: et Lyris quieto stagnantique ac sparso per paludes interdum alveo, regionem illam rigabat. Dividit hic fluvius Latium à Campaniâ, nunc appellatus *Cangliano.*

9. *Tyrannus.* Pro rege quolibet ea sæpè vox usurpatur.

10. *Algâ.* Herba quædam est marina, quam juncis ac spumâ implicatam æquor æstuans in littus egerit.

Sternet, aquæ nisi fallit augur
Annosa cornix. Dum potes, aridum
Compone lignum : cras Genium mero
Curabis, et porco bimestri,
Cum famulis operum solutis.

ac multo imbre fœdabit, sylvisque decutiet frondes, et algam affatim in littora projiciet; nisi me decepit cornix, quæ pluviam præsagire et augurari solet. Age ergo dum adhuc sudum est tempus, arida ligna congere in focum: cras Genio et epulis indulgebis, porco bimestri cæso, cum famulis otiosis et opera rustica intermittere coactis.

13. *Cornix.* Portendere pluviam vulgo dicitur, eamque raucâ et iteratâ voce quasi vocare.

14. *Genium.* Vitæ ac voluptatis præses Deus habebatur.

ODE XIII.

Faunum abeuntem orat ut agro pecorique sit innoxius.

FAUNE, Nympharum fugientûm amator,
Per meos fines et aprica rura,
Lenis incedas, abeasque parvis
Æquus alumnis,
Si tener pleno cadit hœdus anno,
Larga nec desunt Veneris sodali

FAune, qui fugientes Nymphas persèqueris, oro te atque obtestor, ut per agros circa villam meam Sabinam amœno et patenti loco positos, placidus iter tendas, atque ita discedas ut teneris peculum fœtibus nihil noceas. Ita mihi te propitium opto, si anno

1. *Faune.* Deus agrorum præses; idem atque Pan : per hyemem, Decembri videlicet mense, cùm in Italiâ frigus occipit, abire fingebatur in Arcadiam, regionem Græciæ calidiorem et sibi sacram, ex eâque redire in Italiam mense Februario. Locum huic fabulæ et religioni dabat, quòd tellus, cui Faunus præest, hyeme sileat ac vacet, vere novo reflorescat ac veluti reviviscat.

4. *Alumnis.* Vel pecorum; ut explicui; vel etiam servorum; teneris infantibus, agresti vernularum turmæ.

Vina crateræ, vetus ara multo
Fumat odore.
Ludit herboso pecus omne campo,
Quum tibi Nonæ redeunt Decembres;
Festus in pratis vacat otioso
Cum bove pagus;
Inter audaces lupus errat agnos;
Spargit agrestes tibi sylva frondes;
Gaudet invisam pepulisse fossor
Ter pede terram.

exacto hœdum tibi immolare consuevi; si pateras, socias Veneris atque amicas, vino prolixè impleo, ac veteri tuæ aræ copiosum thus ingero; si quoties recurrit festus tibi et sacer Nonarum Decembrium dies armenta passim libera in pratis colludere patior, et boves cum pastoribus omnique pago feriari ac cessare jubeo. Tunc vagantur medios inter lupos impunè oves, nemora excussis arborum foliis iter tuum quasi sternunt honoris causâ et vestiunt: vinitores et coloni, qui tantum laboris atque operæ in fodiendâ colendâque terrâ ponunt, ipsam vicissim, ter ad numerum saltantes, tundunt læti ac perprimunt.

7. *Crateræ.* Vocat crateram sodalem Veneris, quia ut fert parœmia, sine Baccho friget Venus.
10. *Nonæ Decembres.* Incidunt in diem quintum, quo die abeunti Fauno fiebat sacrificium.
13. *Audaces.* Lupum haud pertimescentes.

ODE XIV.

Telephum admonet ut omissis litteris et historiis, de vino et epulis cogitet.

QUANTUM distet ab Inacho
Codrus, pro patria non timidus mori,

O Telephe, longas nobis narrationes texis, et operosè disseris quanto post Inachum tempore vixerit Codrus, qui se tam fortiter

2. *Codrus.* Atheniensium rex ultimus, floruit circa mundi annum 2980. Orto inter Dorienses et Athenienses bello, responsum ab oraculo fuerat, eos superiores fore, quorum

Narras, et genus Æaci,
Et pugnata sacro bella sub Ilio;
Quo Chium pretio cadum
Mercemur, quis aquam temperet ignibus,
Quo præbente domum, et quotà
Pelignis caream frigoribus, taces.
Da Lunæ properè novæ,
Da Noctis mediæ, da, puer, auguris
Murenæ. Tribus, aut novem

pro patriâ neci devovit, Æaci posteros fusè nobis enumeras, ac bella variis temporibus ad Trojam gesta. Siles interim, quanti amphoram Chio vino plenam emamus, quis balnea calefaciat, quis domum, ubi epulemur, accommodet, quotâ horâ conveniamus, et ad focum liberaliter extructum compotemus. Hem, puer, expedi mihi confestim scyphum, quem in honorem novæ Lunæ hauriam; alterum item, quem ebibam in honorem mediæ Noctis; denique tertium, quo me in gratiam auguris Murenæ proluam. Commodè ac decenter hauriri possunt terni aut noveni

dux in acie cecidisset: Codrus hostium agmen ingressus sumptâ pastorali veste, dum rixam cum gregario milite de industriâ movet, ab eo interfectus est. Ita suis victoriam peperit.

3. *Æaci*. Pelei pater fuit, Achillis avus.

4. *Ilio*. Troja, quæ sic dicta est ab Ilo, Trojano rege. Sacrum vocatur ob templa quibus abundabat; vel quia Neptunus et Apollo ejus muros condiderant.

5. *Chium*. Chios insula est maris Ægæi, inter Samum et Lesbum, vini generosi ferax.

8. *Pelignis frigoribus*. Peligni erant Italiæ populi, Marsis finitimi; quorum caput Sulmo, patria Ovidii. Eorumdem regio, propter montes, frigidior.

9. *Lunæ novæ*. Solebant eorum nomina quorum in honorem et gratiam bibebant, toties commemorare, quoties biberent. Sic Athenæus cyathum Demetrii, et Antigoni regis vocat; sic Horatius supra, *cyathos amici sospitis*. Cur autem lunæ novæ meminit? An quia Kalendis, hoc est, primâ mensis die, institutum hoc fuit convivium? Mensis autem olim à nascente lunâ ducebat initium. An quia ineunte nocte, cùm luna primùm oriebatur, compotare cœpit? ita ut luna dicatur hîc nova, quo modo dicitur mane sol novus, cùm oritur; ver novum, cùm inchoatur.

10. *Da*, etc. Subaudi, poculum.

11. *Auguris murenæ*. Licinius Murena, frater Liciniæ, creatus recèns augur fuerat. Quia verò Augures ferme auguria captabant mane, quidam

Miscentur cyathis pocula commodis.
Qui Musas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates: tres prohibet supra
Rixarum metuens tangere Gratia,
Nudis juncta sororibus.
Insanire juvat: cur Berecynthiæ
Cessant flamina tibiæ?
Cur pendet tacita fistula cum lyrâ?
Parcentes ego dexteras
Odi: sparge rosas, audiat invidus
Dementem strepitum Lycus,
Et vicina seni non habilis Lyco.

cyathi. Si poëta numero Musarum impare delectatur, is novem scyathos misceri sibi postulabit, et Entheo quem afflant Musæ, furore percitus, tot siccare calices nequaquam dubitabit. Qui Gratias colunt, tres illas sorores quæ se mutuo complectuntur, ii cavebunt ne plures tribus scyathos ebibant; id enim illæ vetant. Mihi prolixiùs hodie bibere certum est, placet hæc insania. Cur nondum Phrygiæ inflantur tibiæ? Cur ex hoc pariete fistula et lyra dependent otiosæ, ac silent? Agedum, puer, sparge affatim flores, contractas et parcas manus non amo. Perstrebat omnis domus inconditis clamoribus, iisque uratur invidus ille Lycus, et vicina ejus uxor, cui cum marito sene tam malè convenit.

suspicantur Horatium tria indicavisse tempora; vespertinum, quo luna surgit; mediæ noctis, et matutinum; quasi qui totam noctem traducere potando velit.

12. *Pocula.* Majora quædam vasa intellige, è quibus in cyathos vinum defundebatur. Miscere porro aliud nihil est, quàm vinum infundere, sive illud merum sit, sive jam mixtum aquâ et temperatum.

Commodis. Nihil præter modum et morem facit, qui ter aut novies bibit.

13. *Impares.* Ter tres. Novem Musarum nomina.

14. *Attonitus.* Potest exponi subebrius, ob cyathos complures haustos. Ebriis mens, oculi, etc. perturbantur.

Gratia juncta sororibus. Una, duabus juncta: id est, tres Gratiæ, sive Charites.

18. *Berecynthiæ.* Phrygiæ: Berecynthus enim Phrygiæ mons erat. Erat porro sonus tibiæ Phrygiæ, mixtus ex acuto et gravi; fortasse à Phrygibus inventus, unde illi nomen.

Ode XV.

Amphoram suam monet, ut in gratiam Corvini vetustum vinum promat. Vini commendatio.

O Nata mecum, Consule Manlio,
Seu tu querelas, sive geris jocos,
Seu rixam, et insanos amores,
Seu facilem, pia testa, somnum;
Quocumque lectum nomine Massicum
Servas, moveri digna bono die,
Descende, Corvino jubente,

O Amphora suavissima, ô sacra mihi et colenda testa, quæ nata mecum es, Manlio Torquato Consulatum gerente: sive utero quasi gestas et parturis querelas, et jurgia, seu jocos, et amores, seu denique liberalem somnum: cujuscumque Consulis

1. *Nata mecum.* Vel facta tunc primùm ex argillâ; vel, ut malunt alii, vino impleta. Quippe vini laudatur vetustas et bonitas, non autem vasis: etsi constet in pretio fuisse testas certo aliquo factas in loco, iisque impressam anni, quo factæ forent, notam.

Consule Manlio. Lucio Manlio Torquato Consule, natus est Horatius anno U. C. 689. ante Christum 64.

2. *Seu tu querelas, etc.* Argutè dicitur amphora, querelis, jurgiis, jocisque gravida: hæc enim omnia parare vinum solet.

5. *Quocumque lectum nomine.* Cùm amphoras vino implebant, notabant in cortice, quo claudebantur, nomen Consulis qui tum gereret Magistratum. At enim jam nomen Consulis edidit, nempe Manlii. Si Manlio Consule impletam vino fuisse dicas, poteris explicare voces illas in hanc sententiam, *Quocumque nomine lectum*, id est, quâcumque dote præditum et propterea selectum. Aliud enim vinum alio nomine, alia dote, cæteris præstat: hoc lenitate, illud robore, etc.

Massicum. Natum in Massico monte Campaniæ Italæ.

7. *Descende.* Ex apothecâ superiori, è fumario.

Corvino. M. Valerius Messala Corvinus anno U. C. 722. Consulatum gessit, è quadrieno post de Galliâ triumphavit. Suet. in Augusto, c. 58.

Jubente. Nimirum quia decet nos liberaliùs epulari, ut

Promere languidiora vina.
Non ille, quanquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus:
Narratur et prisci Catonis
Sæpè mero caluisse virtus.
Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro; tu sapientium
Curas, et arcanum jocoso
Consilium retegis Lyæo:
Tu spem reducis mentibus anxiis,
Viresque; et addis cornua pauperi,
Post te neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.
Te, Liber, et si læta aderit Venus,
Segnesque nodum solvere Gratiæ,

nomen inscriptum præferas, decet hodiernâ die, quæ felix mihi et fortunata dicenda est, proferre te, ac loco tuo movere: age igitur ex apothecâ descende, Corvinus jubet, ut vetusta et mitia nobis vina suppedites. Et si philosophiâ Socraticâ totus ille imbutus est; non adeo tamen difficilis ac severus erit, ut te aspernetur: dicitur etiam illum antiquum Catonem, memorabili virtute præditum, vino non rarò indulsisse. Tu homines tetricâ et insuavi licèt indole asperos et horridos, leni quasi tormento expugnas, et ad lætitiam traducis: tu quasi per jocum evellis sapientium curas, et altis latentia mentibus aperis consilia: tu animos sollicitos à metu ac desperatione ad spem revocas, et ipsis pauperibus, omni cæteroquin præsidio destitutis tantum roboris et audaciæ sufficis, ut, præeunte te ac favente, neque regum iras potentiam ac majestatem, neque militum gladios, pertimescant. Bacchus, et Venus, si tamen non morosa et querula venerit,

ipsi gratulemur: vel, quia fortasse ipse Corvinus ad cœnam Horatio condixerat.

8. *Descende promere.* Hellenismus. Descende ut promas.

9. *Socraticis.* Socratis philosophia severior fuit, abhorrens à voluptate, summum bonum in virtute et honestate collocans.

11. *Catonis.* Qui Censorius cognomento dictus est, et priscus appellatur, quia senior fuit Catone Uticensi.

13. *Tormentum, etc.* Ut bellica tormenta, balistæ, arietes, admoventur expugnandis arcibus, muris subruendis.

18. *Cornua.* Vim et robur indicat ea vox: metaphora sumitur à tauris.

20. *Apices.* Coronam, diadema, fastigium.

Vivæque producent lucernæ,
  Dum rediens fugat astra Phœbus.

itemque Gratiæ arcto inter se vinculo colligatæ, nec non ardentes lychni, te prorogabunt usque ad auroram, et epulas continuabunt.

23. *Lucernæ.* Virgil. I. Æneid. versu 730. dependent lychni, etc.

Ode XVI.

Pinum villæ imminentem Dianæ consecrat.

Montium custos nemorumque, Virgo,
Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis, adimisque letho,
    Diva triformis;
Imminens villæ tua pinus esto,
Quam per exactos ego lætus annos,
Verris obliquum meditantis ictum
    Sanguine donem.

O Virgo, cujus in tutelâ præsidioque montes et sylvæ sunt; Diva, quæ triplicem vultum et personam geris, quæ fœminis parturientibus, ab iis ter invocata, fers opem, illasque neci eripis; dedicatam tibi et sacram esse pinum, quæ villæ meæ incumbit, volo: ad hanc tibi, anno quolibet vertente, porcellum jam dentes ad ictus acuentem immolabo.

4. *Diva triformis.* Diana, quæ tria munera, tres personas et quasi formas habebat: in terrâ enim, montibus et sylvis præsidebat, ibique vocabatur Diana: in cœlo nocti præerat ac Luna dicebatur; in inferis regnabat, ubi Hecate et Proserpina nominabatur: Sunt qui de Lunæ tribus formis, quas phases vocant Astrologi, explicent; crescentis, plenæ, et decrescentis.

7. *Verris.* Verres, porcus est non exsectus atque adeo sævior, et ad lædendum paratior. *Obliquum.* Porci extantibus è malâ dentibus feriunt.

Ode XVII.

Villicam suam docet muneribus exiguis, et sacrificiis minimè sumptuosis placari Superos et coli recte posse.

Coelo supinas si tuleris manus,
Nascente Lunâ, rustica Phidyle,
Si thure placaris, et hornâ
Fruge Lares, avidâque porcâ;
Nec pestilentem sentiet Africum
Fœcunda vitis, nec sterilem seges
Rubiginem, aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.
Nam quæ nivali pascitur Algido
Devota, quercus inter et ilices,
Aut crescit Albanis in herbis
Victima, Pontificum secures
Cervice tinget. Te nihil attinet

O Phidyle, si supplices manus in cœlum sustuleris, cùm Luna primùm augeri et crescere incipit; si conciliare Lares incenso thure, oblatis præsentis anni frugibus, et porcâ immolatâ, curaveris; vitibus nihil nocebit Africus pestifer, non sterilitatem frumentis afferet rubigo; ac pecudum teneri fœtus per autumnum, qui parum salubris esse solet, nullis morbis tentabuntur. Victimæ, sive quæ in Algido nivibus obsito et quercetis illicetisque abundante aluntur, sacrificiis addictæ scilicet ac voto pro–

1. *Supinas manus.* Ita porrectas, ut palma seu plana pars manûs cœlo sit obversa. Is erat gestus Deos superos precantium: at inferos, dejectâ versus humum palmâ, et quasi pronâ manu, orabant.

3. *Hornâ.* Hornotina, hujus anni. Primitias frugum quotannis Laribus dabant.

4. *Porcâ.* Solebat immolari Laribus: quippe animal domesticum, et alendæ cùm sacrificatum erat, familiæ idoneum.

7. *Rubiginem.* Est frumenti pestis: cùm aristæ contabescunt, cùm solvuntur in pulverem nigrum, et fatiscunt.

11. *Albanis.* Campis herbosis, ad Albam urbem Italiæ, positis.

Tentare multâ cæde bidentium,
Parvos coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrto.
Immunis aram si tetigit manus,
Non sumptuosa blandior hostia
Mollirit aversos Penates
Farre pio, et saliente micâ.

missæ, sive quæ saginantur in pratis Albanis, à pontificibus sanè immolabuntur. Tu verò nihil habes à Superis impetrandum multis ovibus cæsis, et operosis sacrificiis exorandum. Satis tibi est coronas è rore marino, vel myrto, statuis Deorum tuorum exiguis imponere. Quamvis aræ manum admoveris, majori munere vacuam, sumptuosa tamen victima blandior et aptior non fuerit ad Penates placandos, quàm far à te, piè oblatum et salis mica.

14. *Bidentium.* Ovium biennium: vel, bino dente majori instructarum.

15. *Roremarino.* Rosmarinum, vel rosmarinus, herba nota est.

Si tetigit. Solebant aras manu tangere, cùm supplicabant superis.

18. *Sumptuosa hostia.* Malim istas voces esse in primo casu, ut explicui, quam in sexto. Quamvis ad aram accesseris nihil majoris offerens muneris, sed omnis culpæ pura, tamen far pium tam erit idoneum ad placandos Lares, quàm hostiæ exquisitæ et magni impendii. Postrema verò syllaba vocis *sumptuosa* producetur, vel cæsuræ beneficio, vel positionis, ut loquuntur Grammatici, ob duas consonantes quæ sequuntur in voce *blandior;* cujus licentiæ non unum exemplum Virgilius habet, ac poëtæ alii.

19. *Mollirit.* Molliet, placabit.

20. *Farre.* Hordeo commolito, cui sal admixtus. Utrumque in ignem aræ impositum conjiciebant. Vocabatur vulgò mola falsa, falsæ fruges.

Salientæ micâ. Salis particulâ igni injectâ. Sal enim in ignem conjectus subsilit, crepitatque.

Ode XVIII.

Seculi sui vitia insectatur, et eorum remedia proponit.

INTACTIS opulentior
Thesauris Arabum, et divitis Indiæ,
Cæmentis licèt occupes
Tyrrhenum omne tuis, et mare Apulicum;
Si figit adamantinos
Summis verticibus dira Necessitas
Clavos, non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.
Campestres meliùs Scythæ,
Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
Vivunt, et rigidi Getæ;
Immetata quibus jugera liberas
Fruges, et Cererem ferunt;

QUamvis opes tuæ thesauros Arabum, quos nondum arma Romana domuerunt, Indorumque superarent; quamvis extruendis ædificiis impleres littora maris Tyrrheni, et Adriatici: tamen si semel sæva Necessitas tuo capiti etiam excelso et cæteris eminenti, clavos illos suos adamantinos defixerit, non timorem ab animo, non retia mortis à vertice excuties. Longè profectò commodiorem, quàm nos vitam agitant Scythæ, quorum domus sunt ipsa plaustra huc illuc temerè per patentes campos circumdata: itemque Getæ; quorum agri nullis metis distincti ac divisi efferunt segetes omnibus communes, et nulli propriè addictas: qui terram singuli diutiùs anno non colunt, sed postquam annuo isto labore aliquis eorum perfunctus est, eum alius quispiam,

1. *Intactis.* Quos nondum scilicet avaritia Romanorum exhauserat.

4. *Tyrrhenum mare.* Respicit occidentem et Hispaniam, vocaturque ab Italis, mare inferum: *Apulicum*, respicit Orientem et Dalmatiam, vocaturque mare superum, sive Adriaticum: est enim hoc in littore Apulia, pars Italiæ. Inter utrumque mare porrigitur Italia, et à Septentrione in Meridiem procurrit.

9. *Scythæ. Getæ.* Populi, oram septentrionalem Asiæ et Europæ olim obtinentes, ubi nunc Moscovia, Tartaria, etc.

Nec cultura placet longior annuâ,
Defunctumque laboribus
Æquali recreat sorte vicarius.
Illic matre carentibus
Privignis mulier temperat innocens;
Nec dotata regit virum
Conjux, nec nitido fidit adultero.
Dos est magna, parentium
Virtus, et metuens alterius viri
Certo fœdere castitas:
Et peccare nefas, aut pretium est mori.
O quisquis volet impias
Cædes, et rabiem tollere civicam,
Si quæret Pater urbium
Subscribi statuis, indomitam audeat
Refrænare licentiam,
Clarus post genitis; quatenus, heu nefas!
Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

vicarius ipsius et successor, defatigatum relevat, eâ conditione, eâ sorte omnibus ex æquo propositâ, ut ipsi quoque alius vicissim succedat. Apud illos novercæ nihil nocent virorum suorum filiis ex aliâ conjuge susceptis, nec mulier, quæ dotem amplam attulit, jus fasque sibi esse putat imperitare marito, et eum arbitratu suo regere: neque unquam adulteri formâ et venustate capta, illi se addicit. Præcipua ibi dos virginum est, quod probis ortæ sint parentibus, quod sint pudicæ, et viris suis, propter certam conjugalis thori fidem ac legem, tam addictæ, quam ab altero viro abhorentes, et ab incestis amoribus alienæ. Earum nulla fidem obstrictam marito fallit: vel certè flagitium statim morte luit. O quicumque cupiet nefandas cædes et impios bellorum civilium furores compescere; si gloriam hanc ambiet, ut ejus statuis elogium hoc inscribatur, patriæ pater *: ille satis animi, constantiæ satis habeat, ut effrenatam morum licentiam comprimere moliatur. Immortalem eo facto laudem consequetur apud posteros. Nam nos quidem, proh dolor! homines virtute prestanti spectatos odio prosequimur per invidiam, dum adhuc vivunt, quos laudamus tamen extinctos et desideramus. Quid*

18. *Temperat.* Abstinet ab innoxiam, quòd eos ferro, eorum nece. In eo se præbet veneno, non tollat.

Quid tristes queremoniæ,
Si non supplicio culpa reciditur?
Quid leges sine moribus
Vanæ proficiunt? si neque fervidis
Pars inclusa caloribus
Mundi, nec Boreæ finitimum latus,
uratæque solo nives,
Mercatorem abigunt? Horrida callidi
Vincunt æquora navitæ?
Magnum pauperies opprobrium jubet
Quidvis et facere, et pati;
Virtutisque viam deserit arduæ.
Vel nos in Capitolium,
Quò clamor vocat, et turba faventium;
Vel nos in mare proximum
Gemmas, et lapides, aurum et inutile,

juvant querelæ de publicis vitiis, nisi ea pœnis præsentibus ac debitis amputantur? quid attinet tot leges figere, si opera non datur ut mores hominum emendentur, ac bene instituantur? Si flagitia in altis mentibus defixa hærent? Si neque regio illa et pars orbis terrarum sævo estu torrida, neque illa quâ ad polum et Boream propriùs accedit, neque nives super humo rigidâ solidatæ, mercatores avaros à navigando deterrent? En tibi et pertinaces nautæ maris procellas arte multâ superant, et alii quidlibet faciunt ac ferunt, virtutisque iter asperum relinquunt, quia paupertatem omnes summæ ignominiæ loco ducunt. Quin potius gemmas, uniones, et pecuniam, quæ nullius est ad bene vivendum momenti, quæ scelerum omnium materia et irritamentum est, deferimus in Capitolium et Superis consecramus, quod favente et invitante faustis acclamationibus populo faciemus, vel saltem in mare vicinum projicimus? Quòd si nostrorum scelerum vero dolore tangimur, extirpandæ sunt avaritiæ ac cæterarum cupiditatum radices ac fibræ: ab ipsâ pueritiâ inchoandum; molles et

45. *Capitolium.* Arx Romæ et Jovis templum erat Romani dona interdum Jovi et Superis offerebant, eaque deportabant, in eorum templa, ut essent monumenta pietatis. Neque inde auferri poterant, aut in profanos usus adhiberi. Ea res magnam in vulgus commendationem habebat.

48. *Lapides.* Pretiosos nimirum, qui à gemmis eo discrepant, quòd gemmæ pellucidæ sint ac perspicuæ, ut adamas: lapides verò, dicantur aliæ quælibet gemmæ non perspicuæ, ut ïaspis, etc.

Summi materiam mali,
Mittamus. Scelerum si bene pœnitet,
Eradenda cupidinis
Pravi sunt elementa; et teneræ nimis
Mentes asperioribus
Formandæ studiis. Nescit equo rudis
Hærere ingenuus puer,
Venarique timet; ludere doctior
Seu Græco jubeas trocho,
Seu malis vetitâ legibus aleâ:
Cùm perjura patris fides
Consortem socium fallat, et hospitem;
Indignoque pecuniam
Hæredi properet. Scilicet improbæ
Crescunt divitiæ, tamen
Curtæ nescio quid semper abest rei.

ecrei adolescentum animi in luxum ac lasciviam male proni, durioribus quibusdam exercitationibus fingendi sunt, et ab otio ad laborem virtutemque revocandi. Sedere bellè in equo imperitus adolescens nequit; venationem, ut laboriosam, fugit, paratior multò ad ludum et instructior, seu libeat versare inventum à Græcis trochum, seu fritillum tesserasque tot legibus interdictas tractare. Interim pater ipsius, homo perjurus ac perfidus, decipit socium, fallit hospitem, ac festinat malis artibus augere nummos indigno hæredi relinquendos: neque finem quærendi ullum et augendi facit; etsi enim res crescat, cressit nihilominus pariter habendi sitis, efficitque ut opes jam collectæ censeantur exiguæ, et illis aliquid semper deesse videatur.

57. *Trocho.* Rota quædam, sive circulus ferreus erat, insertis circum annulis, quem vicatim pueri, non sine arte quadam et venustate, cum sonoro annullorum tinnitu, agitabant.

59. *Perjura fides.* Perfidia. Fides falso jurejurando firmata et obstricta, ad socium facilius decipiendum.

60. *Consortem.* Eum cum quo iniit lucri et damni, probri et honoris societatem, in mercaturâ faciendâ, in gerendo negotio. Societas, bonæ fidei contractus est; quò detestabilior qui socium fallit.

62. *Improbæ.* Quæ improbos efficiunt: quæ improbo et difficili labore colliguntur.

64. *Curtæ.* Decurtatæ, accisæ.

Ode XIX.

Bacchi numine repentino afflatus, Cæsarem Augustum inter Divos relatum celebrat.

Quò me, Bacche, rapis tui
Plenum? quæ nemora, aut quos agor in specus
Velox mente novâ? quibus
Antris egregii Cæsaris audiar
Æternum meditans decus
Stellis inserere, et concilio Jovis?
Dicam insigne, recens, adhuc
Indictum ore alio. Non secus in jugis
Ex somnis stupet Evyas,
Hebrum prospiciens, et nive candidam
Thracen, ac pede barbaro

Nam quò me abripis, Bacche, tuo penitus numine afflatum? Quas in sylvas, quæ in antra deportari me incredibili celeritate sentio? quæ se nova offerunt menti miracula! Euge ii in specubus cantabo, ita ut ab omnibus audiar, magni Cæsaris gloriam singularem, neque ullo tempore obliterandam: dicam quomodo fuerit admissus in cœlum, ubi cætui Deorum et consilio Jovis interest. Nihil de illo vulgare prædicabo, nihil antehac auditum; nova omnia, et à nemine hactenus celebrata dicam. Eodem stupore, metu, et veneratione, perculsum me sentio, quò percelluntur Mœnades in sacris montibus, cùm evigilantes derepentè, Hebrum intuentur, et albicantem nivibus Thraciam

1. *Bacche.* Illum appellat utpote vatum præsidem et sacri furoris præcipuum auctorem.

3. *Mente novâ.* Novo donatus ingenio; spiritu poëtico non vulgari afflatus; instinctu divino præter morem concitatus.

Meditans. Meditari sæpè usurpatur à poëtis pro canere. Virgil. Ecl. 1. ver. 2. *musam meditaris avend.*

9. *Evyas.* Bacchi sacerdos, et comes: à voce Evius.

10. *Hebrum.* Thraciæ fluvium.

11. *Thracen.* Thraciam. Rhodope, mons est ejusdem Thraciæ, ubi sacra Bacchi et Orgia præeipuè celebrabantur.

Lustratum Rhodopen. Ut mihi devio
Rupes, et vacuum nemus
Mirari libet! O Naïadum potens,
Baccharumque valentium
Proceras manibus vertere fraxinos,
Nil parvum aut humili modo,
Nil mortale loquar. Dulce periculum est,
O Lenææ, sequi Deum
Cingentem viridi tempora pampino.

et Rodopen tritam pedibus barbarorum Trachum, huc illuc temerè concursantium. Quàm lætus ac libens erro per abruptas rupes! Quàm hæc nemora sacrasque solitudines miror! O Bacche, cujus vocem et imperia Naïades audiunt, cui parent Bacchantes, quibus tantum robur subministras, ut altissimas arbores ad imis radicibus valeant evertere, nec da ut nihil de Cæsare canam exiguum, nihil vulgari et trito carmine, nihil quod hominem sapiat. Arduum quidem ac periculi plenum esse sentio id præstare, sed hæc illi difficultas levis ac dulcis est, qui te, Bacche, virentibus semper pampinis coronate, sequatur ducem.

14. *Potens*, Dominus, arbiter, dux, etc. Naïades, Nymphæ sunt fontium.

16. *Vertere fraxinos.* Aiunt Pentheum, cùm Agaven et Bacchantes fugeret insequentes, evasisse in fraxinum, seu abietem, quæ statim à Bacchis eradicata et dejecta cum Pentheo fuerit.

19. *Lenææ.* Bacche : à voce Græcâ Ληνὸς, quæ torcular significat. Pampini sunt folia vitium, et coliculi.

Ode XX.

Se ludicris rebus nuncium remittere.

Vixi choreis nuper idoneus,
Et militavi non sine gloriâ.
Nunc arma, defunctumque bello

Non ita pridem ludo et choreis haud ineptus fui; et in Cupidinis castris stipendia sic feci, ut nomen aliquod ac decus

3. *Arma.* Lyram, faces, tesseras, etc.

Barbiton hic paries habebit,
Lævum marinæ qui Veneris latus
Custodit. Hìc, hìc ponite lucida
Funalia, et vectes, et arcus
Oppositis foribus minaces.
O quæ beatam Diva, tenes, Cyprum, et
Memphim carentem Sithoniâ nive,
Regina, sublimi flagello
Tange Chloën semel, arrogantem.

gesserim: nunc arma mea, et lyram belli jam immunem, et emeritam suspendo ex hoc pariete, qui est ad latus sinistrum simulacri Veneris. Agite, sodales carissimi, deponite hic lychnos, vestes, et arcus, quibus olim januas moliri et evertere conabamur. O Diva, quæ Cyprum tibi consecratam obtines, et Memphim, quæ nives nullas videt, ô Regina, oro te, ut semel flagello superbam Chloën ferias.

4. *Hic paries.* Quasi digito commonstrat certam domûs suæ partem, in quâ erat Veneris simulachrum.

5. *Lævum latus.* Sinistra pars est minùs honorata. Itaque lyram suam, in Veneris honorem, ad sinistrum ejus latus appendit. Tum statuæ latus lævum, si eam respicias, dextræ tuæ obvertitur: et paries ad sinistram Veneris positus, dexter erat Horatio qui statuam ore adverso intuebatur: Dextra autem pars et manus est fortunati, et boni ominis.

Marinæ. Venus è spuma maris genita putabatur.

6. *Custodit.* Custodire, claudere, tegere alicui latus, dicunt Latini pro, adstare lateri.

7. *Funalia, etc.* Juvenes protervi noctu concursabant urbem cum tædis, vectibus, etc. iisque urebant fores, perfringebant, etc.

10. *Memphim.* Est urbs Ægypti primaria. Ægyptus autem tota æstuosa et siticulosa. Sithonia, est pars Thraciæ, quæ regio est Europæ septentrionalis frigore ac nivibus abundans. Ejusmodi epitheta nihil propriè significant, sed communiter et promiscuè usurpantur à poëtis, pro adjectivis nominibus. Quare Sithonia nix, sive Threïcia, est nix perfrigida. Marsus aper, aper quilibet ferocior, etc.

11. *Sublimi.* In altum sub lato, ut ictus sit gravior.

Ode XXI.

Galateam ab navigatione deterrere, præsertim Europes exemplo, nititur.

Impios parræ recinentis omen
Ducat, et prægnans canis, aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanuvino
Fœtaque vulpes:
Rumpat et serpens iter institutum,
Si per obliquum similis sagittæ
Terruit mannos. Ego cui timebo,
Providus auspex,
Antequam stantes repetat paludes
Imbrium divina avis imminentum,

Sceleratos homines iter aliquod ingressuros prosequantur sane omnia inauspicata, ut parræ cantus, occursus canis gravidæ, aut lupæ rufæ ab agro Lanuvino venientis, aut vulpis quæ recens fœtum ediderit. Viam inchoatam omittere, illos anguis cogat, qui corpore obliquo celeriter præteriens, instar sagittæ, equos territaverit. Ego, si quem habebo carum, cujus vitæ timeam, et quem salvum velim, in ejus gratiam, tanquam

1. *Parræ.* Quænam sit avis illa, modo est obscurum. Erat sinistri ominis.

Recinentis. Iterum atque iterum canentis: lugubrem cantum stridulâ voce iterantis.

Omen. Præsagium et significatio futuri eventus ducta ex aliquâ voce, quasi oremen.

3. *Rava.* Ravus color, medius est inter flavum et cæsium: subrufus.

Lanuvino. Lanuvium, est vicus in Appiâ viâ, per quam iter abitura erat Galatea, Brundusium versus, ubi portus celeberrimus, unde solvebatur in Græciam, quò illa cogitabat.

4. *Fœta.* Pecus fœta dicitur, tum quæ gravida est, tum quæ partu levata.

7. *Mannos.* Sunt equi pumili.

8. *Auspex.* Hoc interest propriè auspicem inter et augurem, quod hic avium voces et garritus observet, ille pastum et volatum spectet, quasi avispex.

9. *Stantes.* Stagnantes immotas, non fluentes.

10. *Divina.* Divinus dicitur, qui divinat, qui portendit aliquid.

Oscinem corvum prece suscitabo
Solis ab ortu.
Sis licet felix ubicumque mavis,
Et memor nostrî, Galatea, vivas;

auspex prudens et in futurum prospiciens, precibus meis impetrare à Superis conabor ut advolet ab Oriente corvus oscen, antequam cornix, quæ portendere pluviam solet, ad paludes revertatur, et impendentem procellam denunciet. Tibi, ô Galatea,

11. *Oscinem.* Qui ore canat: qui cantu augurium præbeat.

12. *Solis ab ortu.* Oriens, utpote lucis et diei principium ac fons, boni fere ominis erat, et aves faustæ censebantur quæ ab ortu advolarent, præsertim corvi, ut testatur Acron in hunc Horatii locum. Sed quia Græci auguria captaturi convertebant se ad septentrionem, idcirco solem orientem habebant à dextrâ, occidentem à sinistrâ; contra vero cùm Romani converterent se ad meridiem, illis oriens lævus, occidens dexter erat. Itaque cùm Romani læva et sinistra omina, vocant felicia, dextra vero infelicia, more suo loquuntur, cùm sinistra interdum vocant infausta, dextra vero fausta, Græcorum loquuntur more. Certe corvum hunc, quem se sciscitaturum ait Horatius, bene ominatum esse persuadet ipsa hujus loci sententia, quæ hæc est: impiis et inimicis opto ut occurrant mala et infausta omina; bona vero et auspicata, piis et amicis meis, quorum timeam capiti, quorum vitæ et incolumitati consulam. In iis ominibus quæ amicis sciscitari velit, oscinem corvum numerat ab ortu volantem, antequam tempestas immineat. Quid apertius? At enim apud Romanos, corvus à dextrâ volans, hoc est ab occidente, boni ominis erat: mali vero cùm à lævâ, sive ab oriente advolaret. Respondeo id quidem ita se habere si quis morem Romanorum augurum servet: Horatium vero Græcorum morem de quo jam dixi, secutum fuisse. Est tamen qui corvum ab ortu volantem, inauspicatum hîc est contendat, ac mentem Horatii explicet ad hunc fere modum. Si qui sunt impii, occurrant illis tetra omina; neque illis tamen ab itinere deterreantur, sed potius ab iis ducantur, et ire porro pergant. At si cui favebo, superos precabor ut illi offerat se, paulo ante tempestatem, omen minus dirum, nempe corvus ab oriente et à lævâ manu, quo ab itinere deterreatur et absistat. Quanquam, ito sane, Galatea, faustis ominibus; nulla tibi funesta occurrant, cujuscumque generis illa sint: vide nihilominus quid agas, periculosum est mare Adriaticum, etc.

Temque nec lævus vetet ire picus,
Nec vaga cornix.
Sed vides quanto trepidet tumultu
Pronus Orion? Ego, quid sit ater
Adriæ, novi, sinus; et quid albus
Peccet Iapyx.
Hostium uxores, puerique cæcos
Sentiant motus orientis Austri, et
Æquoris nigri fremitum, et trementes
Verbere ripas.
Sic et Europe niveum doloso

opto ut omnia bene ac feliciter eveniant, ubicumque tandem malueris esse, idque unum oro, ut mei meminisse negraveris: iter tuum non impediat picus sinistrum aliquid portendens, aut cornix temerè cursitans. Sed tamen considera, quæso, quos tumultus ac tempestates paret Orion in occasum vergens. Expertus ipse sum quibus procellis agitetur Adriaticum mare, quid sit ab Iapyge vento me. uendum: quàm parum illi fidendum sit, licet nubes abigere soleat, ac tranquillitatem adpromittat, probè novi. Equidem velim ut quicquid oriens Auster minatur, quicquid æquor atro fremitu inhorescens, et plangentes ac verberatæ fluctibus ripæ intentant mali ac periculi; totum id in hostium meorum ac tuorum conjuges liberosque detonet. Verum ut timeam tamen admonet

15. *Picus.* Avicula, quæ dicitur, picus martius, arborum corticem rostello tundere solita, et truncis adrepere: *un pivert.*

Lævus. Sinister: mali ominis, ut explanavi: vel, à lævâ parte volans: tunc erat fausti ominis, quare aliter erit exponenda sententia; nimirum hoc pacto: et picus lævus, sive fortunatus, et felix non vetet te ire, nullam itineri tuo moram afferat, ratum iter tuum et prosperum faciat.

17. *Tumultu.* Mugitu ventorum, fluctuum motu.

20. *Iapix.* Ventus ab Apulia flans. Albus dicitur, quia tergit ac serenat cœlum.

22. *Austri.* Sidus est procellosum.

25. *Sic et Europe.* Quemadmodum, ô Galatea, nihil vides fortasse quod metuas; sic etiam nihil metuebat Europe, cum se ponto credidit: quæ decepta tamen est.

Europe. Agenoris, Phœniciæ regis, filia, quam Jupiter mutatus in taurum rapuisse dicitur, et in Cretam medios inter fluctus deportasse. Quæ fabula hinc nata est, quod qui vel Jupiter, qui regnasse in Cretâ insulâ fertur administro quodam usus, qui vel Taurus vocaretur, vel navi, Tauro dictâ, veheretur, Eu-

Credidit tauro latus, et scatentem
Belluis pontum, mediasque fraudes
Palluit audax.
Nuper in pratis studiosa florum, et
Debitæ Nymphis opifex coronæ,
Nocte sublustri, nihil astra præter
Vidit, et undas.
Quæ simul centum tetigit potentem
Oppidis Creten, Pater! ô relictum
Filiæ nomen, pietasque, dixit,
Victa furore.
Unde, quò veni? Levis una mors est
Virginum culpæ. Vigilansne ploro
Turpe commissum? An vitio carentem
Ludit imago
Vana, quæ portâ fugiens eburnâ

Europe, quæ olim temerè se commissit mari, ac fallaci tauro: nec ante deceptam se intellexit, quàm in medium abrepta æquor, marina monstra, et periculum in quod se audacius conjecerat, extimuit. Hæc paulo ante in pratis flores legebat, è quibus promissam Nymphis coronam conficeret, mox per obscuram noctem longius in pontum à littore abducta, nihil præter aquas, et astra conspexit. At ubi primum in Cretam, famosam illam centum Urbibus insulam, pervenit, in has erupit voces amens et furore percita: O Pater, ô suavissimum nomen, quod ego violavi turpiter et abjeci! ô pietas, quam nefariè prodidi! Unde abii? quò delata sum? An satis unica mors piare meum crimen potest? Vigilone, et admissum verè flagitium lamentor? An vana me imago, et somnium eburnâ immissum

ropen adduxerit à Phœniciâ in Cretam.

Doloso. Qui Jovem tegebat; qui Jupiter ipse erat.

26. *Latus.* Corpus; pars pro toto. Vidit cicurem taurum in prato Europe ad maris placidi littus; per ludum in ejus tergum insiluit, velut obambulatura commodius in littore: mox in aquas derepente avecta est.

30. *Nymphis.* Sunt Deæ pratorum præsides et agrorum, quibus proinde flores offerri mos erat.

31. *Sublustri.* Dubiâ, malignâ; nonnihil habente lucis.

35. *Filiæ.* Est in dandi casu, pro, à me filia tua.

41. *Eburnâ portâ.* Somnia ex inferis prodire censebant per geminam portam, alteram corneam, per quam vera som-

Somnium

Somnium ducit? meliusne fluctus
Ire per longos fuit, an recentes
Carpere flores?
Si quis infamem mihi nunc juvencum
Dedat iratæ, lacerare ferro, et
Frangere enitar modò multum amati
Cornua tauri.
Impudens liqui patrios Penates,
Impudens Orcum moror. O Deorum
Si quis hæc audis, utinam inter errem
Nuda leones!
Antequam turpis macies decentes
Occupet malas, teneræque succus
Defluat prædæ, speciosa quæro
Pascere tigres.
Vilis Europe, pater urget absens:
Quid mori cessas? potes hac ab orno
Pendulum zonâ bene te secutâ

portâ fallit? An sceleris adhuc integra sum? Quid? Satiusne fuit ignoto et longinquo mari me committere, quàm flores in amœnis pratis legere? Si quis turpem illum taurum mihi nunc irâ æstuanti traderet, ego illum, cui paulo ante blandiebar, laniarem ferro, ejusque cornua perfringere conarer. Mene adeo immemorem verecundiæ et pietatis fuisse, ut paternam domum desererem! mene tam exiguo criminis pudore nunc tangi, ut vivere præterea sustineam, et meritam obire necem morer? O si quis Superûm nostris querelis advertis aurem, id mihi annue ut à leonibus jam nunc discerpar; id unum ambio ut objiciar opima tigribus præda, donec bene habitum corpus meum est, necdum macies hoc quicquid est formæ ac valetudinis absumpsit. Infelix et perdita Europe! Non patrem, licet hinc absit procul, scelus tibi tuum exprobrantem audis? Quid cunctaris emori? En, hoc tuo cingulo, quod tibi reliquum est, et in hos bene servatum usus, potes ab hâc arbore suspendere te, collumque

nia emitterentur; alteram eburneam, per quam falsa et inania. Virg. VI. Æneid. ver. 893. *Sunt geminæ Somni portæ*, etc.

50. *Orcum moror*. Plutonem demoror, qui me, ut sibi et morti devotam, ac debitam expectat.

59. *Te secutâ*. Fortasse quia vestium partem, dum transmittit æquor, amiserat.

Lædere collum.
Sive te rupes, et acuta letho
Saxa delectant, age, te procellæ
Crede veloci; nisi herile mavis
Carpere pensum,
Regius sanguis, dominæque tradi
Barbaræ pellex. Aderat querenti
Perfidum ridens Venus, et remisso
Filius arcu:
Mox ubi lusit satis; abstineto,
Dixit, irarum, calidæque rixæ,
Cùm tibi invisus laceranda reddet
Cornua taurus.
Uxor invicti Jovis esse nescis.
Mitte singultus; bene ferre magnam
Disce fortunam; tua sectus orbis
Nomina ducet.

tibi frangere. Sin potius lubet ex his, unde mors facilis et expedita est, cautibus dare te in undas præcipitem, agedum, projice te in procellosum mare, in atros fluctus, qui te confestim hauriant. Nisi fortè diram hîc servitutem servire mavis, et colum ab ignobili hero tibi impositam trahere, aut alicujus heræ barbaræ merito data, pellicis personam obire, ac partes regiâ illâ, quâ nata est, stirpe indignissimas. Dum hæc Europe secum deploraret, aderat Venus, perfido risu illius querelas excipiens; aderat Cupido, solutum arcum et laxatum gestitans. Tum Venus, ubi gementem puellam satis delusisse visa; omitte, inquit, iras, et animi furentis æstum comprime; si se ille tibi taurus, quem lacerare cupis, offeret, in eum sævire noli. Nescis te Jovis uxorem esse? Depone luctum, suspiria compesce, et magnæ fortunæ parem te ac dignam præsta: à te pars una terrarum aliquando nomen accipiet.

61. *Acuta leto.* Prærupta, et idonea scilicet ad mortem citius afferendam.

64. *Pensum.* Lanæ portio quæ datur carpenda: quæ appenditur mulieri ut neat, verbi gratiâ per unum diem.

73. *Nescis esse uxor.* Græca locutio. Sic Virg. Lib. II. Æneid. *Sensit medios delapsus in hostes*: pro, se delapsum esse. Potest etiam exponi sic; Nescis ita te gerere, ut Jovis uxorem decet.

75. *Tua, etc.* Europam, orbis terrarum primam partem, ab illâ Europe nomen traxisse ferunt.

ODE XXII.

Ad Lyden, ut secum diem festum Neptuni cantando et potitando exigat.

FESTO quid potius die
    Neptuni facias? prome reconditum,
Lyde strenua, Cæcubum;
    Munitæque adhibe vim sapientiæ.
Inclinare meridiem
    Sentis; ac veluti stet volucris dies,
Parcis deripere horreo
    Cessantem Bibuli Consulis amphoram.
Nos cantabimus invicem
    Neptunum, et virides Nereïdum comas;
Tu curvâ recines lyrâ
    Latonam, et celeris spicula Cynthiæ:
Summo carmine, quæ Cnidon
    Fulgentesque tenet Cycladas, et Paphon

AGe, ô Lyde, quid enim est aliud melius, quod faciam hoc festo Neptuni die? Age, inquam, profer impigrè abstrusum in intimâ cellâ vinariâ Cæcubum, et sapientiam illam tuam, quæ adversus voluptates videtur munita esse, paulisper expugna liberaliore potu. Cernis solem à meridie in occasum ire præcipitem: interim quasi staret ille immotus non properas ex Apothecâ detrahere feriantem lagenam, Bibuli Consulis notatum nomine. Canemus alternis Neptuni laudes et Nereidum virentes comas; tu lyrâ iterabis Latonam et Dianæ sagittas: ad extremum Venerem cantabimus, cui sacræ sunt Cnidus, et

1. *Quid potius facias?* Nimirum, quàm canam et bibam.

7. *Deripere.* Horrea vinaria erant fere in superiori loco; ibi vina in amphoris condita: quæ interdum cœlo sereno supponebantur, interdum excoquebantur fumo.

8. *Bibuli Consulis.* Gessit ille Consulatum anno U. C. 694.

10. *Nereidum.* Filiarum Nerei, qui unus è præcipuis Diis maris. Virides earum pinguntur comæ, qui marinus est color.

Junctis visit oloribus.
Dicetur meritâ Nox quoque næniâ.

Cyclades, quæ Paphum lustrat vecta curru à cycnis candidis tracto. Suum Nocti quoque carmen concinemus.

16. *Meritâ.* Quia per totam potaturi noctem erant. *Næniâ.* Significat ea vox cantilenam lugubrem, aut fabulosam et puerilem; alias jocularem et festivam.

Ode XXIII.

Mæcenatem invitat ad frugalem cœnam, et ut anxias de rebus futuris curas omittat, sapienter admonet.

Tyrrhena Regum progenies, tibi
Non ante verso lene merum cado
Cum flore, Mæcenas, rosarum, et
Pressa tuis balanus capillis
Jam dudum apud me est: eripe te moræ,
Ne semper udum Tibur, et Æsulæ

Mæcenas, qui ab Etruriæ Regibus originem ducis, jamdiu tibi domi meæ doliolum vini veteris hactenus intactum servo, et rosas, et unguentum è balano expressum, quo tui crines niteant, oleantque suavissimè. Quin te confestim subducis negotiis, et iis omnibus quæ te morantur, et impediunt quominus genium cures? Desere paulisper domum tuam magnâ mole usque

1. *Tyrrhena.* Etruria, sive Tuscia. *La Toscane*, olim à Tyrrhenis habitata fuit.

2. *Verso cado.* Amphoræ os et cadi, erat in superiori ejus parte; itaque fundi vinum non poterat, quin inverteretur, et versus humum inclinaretur. Rursum, cadi vacui invertebantur ore in humum prono: ita, non anteversus cadus potest exponi novus cadus, qui nunquam exhaustus fuit, quo nemo antea est usus; recens et integer.

4. *Balanus.* Glans quædam odorata, ex quâ oleum, sive unguentum exprimebatur, quo perfundere caput solebant.

6. *Tibur.* Urbem Latii, *Tivoli.*

Æsulæ. Est oppidum Latii ejusdem, in colle.

Declive contempleris arvum, et
Telegoni juga patricidæ.
Fastidiosam desere copiam, et
Molem propinquam nubibus arduis;
Omitte mirari beatæ
Fumum, et opes, strepitumque Romæ.
Plerumque gratæ divitibus vices,
Mundæque parvo sub Lare pauperum
Cœnæ, sine aulæis, et ostro,
Sollicitam explicuere frontem.
Jam clarus occultum Andromedes pater
Ostendit ignem; jam Procyon furit,

ad nubes eductam, unde prospicis circum positas urbes, Tibur, Æsulam, et Tusculum à Telegono patricidâ in colle conditum. Relinque semel hanc rerum omnium ac deliciarum, quibus affluis, abundantiam, quæ parere satietatem et tædium solet; neque semper totus esto in suspiciendis fruendisque Romæ opibus, pompâ, spectaculis honoribus, et gloriâ tumultûs ac fumi plena. Non raro accidit ut lautis hominibus ac opulentis voluptatem haud exiguam attulerit ea vicissitudo, qua dapes opiparas frugalibus medicisque mutaverant; sæpe illorum sollicitudines, et curas discusserunt cœnulæ ab infimæ sortis hominibus appositæ in exiguâ domo, mundæ illæ quidem, at minimè sumptuosæ, sine aulæorum, sine lectorum purpureis vestibus instratorum,

8. *Telegoni.* Telegonus, filius Ulyssis, quem è Circe susceperat, Patrem imprudens interfecit: Tusculum condidit, *Frascati.*

10. *Molem, etc.* Ædificium ad eam altitudinem perductum, ut nubes attingere videatur.

14. *Lare.* Lares Dii erant domestici. Pro ipsâ domo vox illa ponitur.

15. *Aulæis.* Aulæa, quædam erant vel è lacunari summo mensæ impendentia: pensiles umbellæ.

17. *Andromedes.* Andromede, Cephei Æthiopum regis, et Cassiopes filia, cum ob matris suæ superbiam Nereidas et earum formam præ suâ contemnentis, scopulo fuisset à Nymphis alligata, et ceto exposita; liberata est à Perseo, demum à Minervâ in siderum parte collocata, itemque Cepheus, qui prope circulum Arcticum à tergo minoris Ursæ conspicitur.

18. *Procyon.* Est sidus constans, ut vult Keplerus, stellis quinque: ex quibus una lucidior vocatur totius astri nomine, Procyon, sive, Canis minor, et ut vertit M. Tullius, Antecanis; Plinius Caniculam vocat. Plures ta-

Et stella vesani Leonis,
Sole dies referente siccos.
Jam pastor umbras cum grege languido
Rivumque fessus quærit, et horridi
Dumeta Sylvani, caretque
Ripa vagis taciturna ventis.
Tu civitatem quis deceat status
Curas; et Orbis sollicitus, times
Quid Seres, et regnata Cyro
Bactra parent, Tanaïsque discors.

apparatu. Jam oritur Cephei signum, jam Procyon et Leo gravissimos æstus accendunt, sole tempestatem siccam revocante. Jam pastores calore defatigati cum armentis dumos, ubi Sylvanus quiescit, et umbram ac rivulum quærunt; silent ipsæ fluviorum ripæ, nec ventis aurum frigidiorem cientibus, agitantur. Tu sollicitus es quemadmodum rectè componatur civitas, et pericula nobis impendentia pertimescens, tecum agitas anxiè quid moliantur Seres, quid Bactriani, quid populi Tanaïm accolentes, qui nunc quidem à se invicem dissident, et seditionibus domesticis laborant. Sapienter omnino fecit Deus, cùm futuros eventus nobis ignotos esse

men Caniculæ nomine intelligunt stellam insignem, et fixarum, ut apparet, maximam, quæ cernitur in linguâ Canis majoris, quod sidus est quintum in signis extra Zodiacum australibus, et minori Cani proximum. Vocatur vulgo hæc stella Sirius, ad quam cùm sol propius accedit, maximi calores existunt.

19. *Stella Leonis.* Leo est quintum astrum Zodiaci, constans stellis 27. In quibus insignis est una, dicta cor Leonis, sive regulus: de quâ hîc Horatius loquitur: altera item insignis; in extremâ Leonis caudâ.

Vesani. Æstuosi: rabidi, ob calorem quem excitat.

23. *Sylvani.* Deus erat sylvarum; è Satyrorum genere, qui ob caprinos pedes, hispidum mentum, villosam pellem, toti erant horridi et hirsuti. Vel, *horridi* expone, asperi, ob vepres et sylvarum fruticeta quibus gaudet.

24. *Ripa.* Ubi frigidiores et frequentiores venti sunt.

26. *Orbis times.* Cujus sorte præfecturam tunc gerebat.

27. *Seres.* Asiæ populi, prope Indos.

28. *Bactra.* Numeri pluralis, et generis neutrius ea vox est; significatque primariam urbem regionis Bactrianæ, in Asiâ prope Scythiam.

Tanaïs. Fluvius ejusdem Asiæ, quam ab Europâ secernit, in finibus minoris Tartariæ: *Le Don.*

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosâ nocte premit Deus,
Ridetque, si mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adest, memento
Componere æquus: cætera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alveo
Cum pace delabentis Etruscum
In mare, nunc lapides adesos,
Stirpesque raptas, et pecus, et domos
Volventis unà, non sine montium
Clamore, vicinæque sylvæ,
Cùm fera diluvies quietos
Irritat amnes. Ille potens sui
Lætusque deget, cui licet in diem
Dixisse, vixi. Cras vel atrâ
Nube polum Pater occupato,
Vel sole puro; non tamen irritum
Quodcumque retro est, efficiet; neque
Diffinget, infectumque reddet,

voluit: ridetque mortales, cùm solliciti sunt de iis rebus quarum cura nihil ad ipsos pertinet. Da operam ut æquâ et sedatâ mente de iis duntaxat quæ sunt in tuâ nunc potestate ac manu, statuas, iisque modum et ordinem suum præscribas : cætera volvuntur instar fluvii, qui modò placidus et alveo contentus suo in Tyrrhenum pelagus defluit ; modò arrosa saxa, et avulsos radicitus arborum truncos, greges, domosque eodem impetu secum rapit, non sine ingenti fragore ac sono, quem vicini montes ac sylvæ remittunt ; quod quidem tum præcipuè accidit quando aquarum subitâ vi et inundatione flumina priùs tranquilla intumescunt, et ad stragem latè inferendam efferuntur. Ille sui dominus et compos vivet, qui hoc pronunciare singulis diebus verè potuerit, vixi hodie; quod ad crastinam spectat diem, eam sanè Jupiter vel atris nubibus obducat, vel aperto et candido sole donet : cæterum in res præteritas juris illi nihil et potestatis est, quodque

35. *Etruscum mare.* Idem est quod Tyrrhenum. Etruriam alluit, et vocatur vulgò inferum.

41. *Irritat.* Quasi exstimulat quietos, et in furorem agit.

44. *Occupato.* Tertia persona imperativi modi occupet.

46. *Quodcumque est retro.* Quod jam præteriit. Tempus elapsum.

47. *Diffinget.* Destruet,

Quod fugiens semel hora vexit.
Fortuna sævo læta negotio, et
Ludum insolentem ludere pertinax
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc aliis benigna.
Laudo manentem: si celeres quatit
Pennas, resigno quæ dedit, et meâ
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem sine dote quæro.
Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere, et votis pacisci,
Ne Cypriæ, Tyriæque merces
Addant avaro divitias mari.
Tunc me biremis præsidio scaphæ,

semel factum est, infectum esse nequit. Fortuna, cujus negotium et occupatio una videtur esse, ut in mortales seviat, quæ in eo constans duntaxat est, et obstinata, ut ludibrio nos per summam insolentiam ac proterviam habeat; honores infidos huc illuc transfert, et modò mihi, modò aliis favet. Si apud me constanter habitat, gratulor et gratias ago; si avolat, restituo illi sua munera, et redono, meâque contentus virtute, me contra illius injurias et acerbitatem tueor ac defendo; paupertatemque cum probitate conjunctam, ut mulierem probam, quamvis carentem dote, amplector et ambio. Non is ego sum qui procellâ sæviente et malos labefactante, lamentabili voce Superos fatigem, et votis precibusque velut paciscar cum illis, ne merces, quas è Tyro vel Cypro advexerim, demergantur in mare, in quo tot jam opes haustæ servantur ac delitescunt. Sed tunc, opum mearum ac mercium contemptor, conjiciam me in scapham, ac Pollucis

mutabit. Fingere proprie est vas ex argillâ formare et componere: diffingere, est destruere quod fictum et formatum erat.

54. *Resigno.* Qui pecuniam reddebant argentario aut creditori suum nomen et signum delebant in ejus tabulis, vel iterum scribebant ut eos reddidisse constaret. Idque *Resignare* dicebatur, sive *rescribere.*

55. *Me involvo.* Ut veste, quæ nos tegit, defenditque à frigore.

57. *Africis.* Vel ab Africo vento Australi, concitatis, vel ab Africâ, unde flat Notus, profectis.

Tyriæ. Tyrus, urbs littorea Phœniciæ in Asiâ emporium clarissimum.

Tutum per Ægeos tumultus
Aura feret, geminusque Pollux.

Castorisque præsidio fretus, per medias Ægæi maris tempestates, in portum impunè à ventis faventibus deferar.

Geminus, seu gemellus vocatur, quia eodem partu cum Castore editus. Exponi etiam potest *Geminus*, non simplex, non solitarius, sed cum suo fratre Castore conjunctus. Nam illæ stellæ, quæ Castor et Pollux vocabantur, seu potius ignes erratici, bene ominari censebantur, si duo apparerent: si contra, infausti et inauspicati.

Ode XXIV.

Immortalitatem sibi à suis versibus partam gratulatur.

Exegi monumentum ære perennius,
Regalique situ Pyramidum altius;
Quod non imber edax, non Aquilo impotens,
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, et fuga temporum.
Non omnis moriar, multaque pars mei

Quæ feci carmina, erunt ingenii mei eruditionisque monumentum longè diutiùs duraturum, quàm opera quælibet ac simulacra ex ære confecta: longè sublimius quam Pyramides à Regibus exstructæ. Illud non aquarum eluviones, quæ omnia deterunt et comminuunt, non ventorum ac procellarum vis et minæ, non consequentium annorum innumera multitudo, non sera fugentium temporum memoria, et vetustas ulla, poterunt

2. *Pyramidum.* Pyramides, quadratæ quædam moles fuerunt, sive turres, è latissimâ basi paulatim in acutum fastigium decrescentes, ab Ægypti Regibus conditæ, ut in iis tumularentur. Itaque vox, *monumentum*, quæ legitur in primo versu potest etiam exponi, sepulcrum; quasi diceret Horatius: Reges Ægypti erexere sibi olim pro sepulcris, Pyramides; ego illustrius mihi sepulcrum condidi, etc.

6. *Multa pars mei.* Fama, memoria nominis sempiterna, animus immortalis, etc.

Vitabit Libitinam. Usque ego posterâ
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacitâ virgine Pontifex.
Dicar, quà violens obstrepit Aufidus,
Et quà pauper aquæ Daunus agrestium
Regnavit populorum, ex humili potens,
Princeps Æolium carmen ad Italos
Deduxisse modos. Sume superbiam,
Quæsitam meritis, et mihi Delphicâ
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

abolere. Nequaquam totus occumbam; et magna mei meliorque pars diros mortis impetus effugiet. Novâ semper, neque senescenti unquam laude apud posteros vigebo, et in dies magis magisque celebrabor, tandiu dum in Capitolium ascendet Pontifex, virgine Vestali silente comitatus. Ubique fama prædicabit me in eâ Italiæ parte quam Aufidus alluit, et cujus arentes ac siticulosos agros ab rudibus agricolis excultos rex Daunus olim obtinuit, humili natum loco, ad opes non contemnendas et famam emersisse; me primum omnium Lyricos versus, à Græcis inventos, Latinis numeris expressisse. O Melpomene, habes merito unde me vate glorieris: boni consule hanc qualemcumque meam arrogantiam, et Apollinari laureâ mihi caput inducito.

7. *Libitinam.* Erat Libitina, Dea, funerum præses, ac in ejus templo vendebantur res ad funerum apparatum necessariæ.

9. *Pontifex.* Cùm Pontifex Maximus sacra facturus petebat Capitolium, aderat illi virgo Vestalis, quasi fœminarum omnium nomine: nihil tamen quod ad rem divinam pertineret, pronunciabat.

Scandet. Ad Capitolium in editiore loco positum per centum gradus ascendebatur.

10. *Aufidus.* Fluvius Apuliæ, hodie dicitur Ofanto, ex Apennino defluit in Adriaticum mare.

11. *Daunus.* Rex Apuliæ, Pilumni filius, qui aridæ et siticulosæ regioni præfuit. Aliqui ejusdem nominis flumen esse volunt, flumina etiam agris imperitare dicuntur apud poëtas.

Pauper aquæ. Apuliæ regio tota est admodum sicca, et aquæ penuriâ laborat.

12. *Populorum.* Verba regnandi apud Græcos cum gignendi casu ponuntur. Itaque hîc Hellenismum agnosce.

15. *Delphicâ.* Delphi, civitas erat Bœotiæ, non procul à Parnasso: ibi templum Apollinis celeberrimum et oraculum, quod ab eâ urbe Delphicum est appellatum.

16. *Melpomene.* Una Musarum.

ODARUM
LIBER QUARTUS.

ODE I.

Profitetur se multo inferiorem esse Pindaro, atque adeo imparem canendis Augusti victoriis, quas Julus Antonius, poëta longè melior, pro dignitate celebrabit.

PINDARUM quisquis studet æmulari,
Jule, ceratis ope Dædaleâ
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres

QUicumque Pindaro in pangendis carminibus par esse contendit, ô Iule, iis cerâ campactis, arte Dædali, alis cœlo se credit, unde in subjectum mare decidens, illi suum nomen

1. *Pindarum.* Græcus poëta fuit, Lyricorum facile princeps, patriâ Thebanus: floruit anno mundi circiter 3574. ante Christum fere 500. gravitate sententiarum, verborum copiâ, novitate, splendore, admirabilis.

2. *Jule.* Julus iste Antonius, M. Antonii Triumviri filius, Augusto percarus fuit, qui ipsi sororis suæ Octaviæ filiam nuptum dedit. Is tamen initæ contra Augustum eumdem conjurationis accusatus, morte postea multatus est. Lege Velleium Paterculum, Lib. II. cap. 100.

Ope Dædaleâ. Dædalus in carcerem insulæ Cretæ, qui Labyrinthus appellabatur, conjectus, ex eo evolavit aptatis sibi et filio suo Icaro alis cerâ compactis. At Icarus cùm ad solem propiùs volando accessisset, solutis calore ceris et pennis, decidit in Ægæi maris partem, quæ ab eo dicta deinde est Icarium mare. Ovid. VIII. Metam.

3. *Vitreo.* Instar vitri pellucido, vel cæruleo.

Quem super notas aluere ripas,
Fervet, immensusque ruit profundo
Pindarus ore:
Laureâ donandus Apollinari,
Seu per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit, numerisque fertur
Lege solutis:
Seu Deos, Regesque canit, Deorum
Sanguinem, per quos cecidere justâ
Morte Centauri, cecidit tremendæ
Flamma Chimæræ.

imponat. Pindarus, instar fluvii, è monte procurrentis; qui imbribus intumescens supra consuetas ripas effunditur, incredibili quâdam eruditione ac eloquentiâ præditus est, quâ præceps in omnem partem ita fertur, ut fundum ac limites nescire videatur. Ubique dignissimus qui lauro Apollini sacrâ coronetur, sive inusitatas effundat voces in scribendis audaci stilo dithyrambis, et tritas carminum aliorum leges numerosque transiliat: sive res gestas Deorum, Regumque à Diis prognatorum celebret, qui Centauros meritâ nece multarunt, et Chimæræ diros ignes ex-

7. *Fervet.* Aquæ turbidæ ac præcipites æstuant instar ignis.

10. *Dithyrambos.* Hymnos Baccho sacros ad duplicem ejus de Europâ et Asiâ triumphum celebrandum institutos δὶς *bis* θρίαμβος, *triumphus.* Erant amputato, vehementi, turgidoque stilo scripti, nullis certis pedum numerorumque legibus ac mensuris, furore quodam et spiritu Bacchico fusi.

11. *Numeris.* Modi sive numeri in Ode, pertinent ad ipsum cantum, cujus mensuræ, flexusque sunt, *l'air, la cadence;* pedes vero ad syllabarum quantitatem, ut aiunt et pronunciationem, modo breviorem, modo longiorem.

15. *Centauri.* Thessaliam, Græciæ regionem, incolebant et primi artem equorum domandorum feruntur invenisse: cùmque in iis hærentes, eminus primum conspecti fuere, putati sunt esse monstra quædam ex hominibus et equis conflata. Facta porro vox duabus Græcis, κεντέω *pungo, stimulo*, ταῦρος, *taurus.* Cùm enim tauri quidam furiosi montem Pelion in eâdem Thessaliâ vastarent, terroremque accolis omnibus, multis etiam necem inferrent, eos abegerunt Centauri equis insidentes, jaculisque ac stimulis confecerunt. Ovid. XII. Metam. fusius exponit quemadmodum iidem Centauri à Theseo et Pirithoo fuerint cæsi, cùm in Hippodamiæ nuptiis rixam præter jus, fasque movissent.

16. *Chimæræ.* Monstrum

Sive, quos Elea domum reducit
Palma cœlestes; pugilemve, equumve
Dicit, et centum potiore signis
Munere donat:
Flebili sponsæ Juvenemve raptum
Plorat; et vires, animumque, moresque
Aureos deducit in astra, nigroque
Invidet Orco.
Multa Dirceum leva taura cycnum,

tinxerunt: sive laudet eos qui, relatâ in ludis Olympicis victoriâ, ovantes, ac Superis propè ipsis pares, domum sunt reversi; seu athletam, aut equum celebret, eosque carmine, tanquam insigni monumento, et sexcentis prestantiore statuis, muneretur: seu denique adolescentis, quem acerba mors sponsæ mœrenti abstulit, defleat necem, ejusque robur, fortitudinem et cœteras animi dotes egregias ad cœlum tollat, et ab oblivione Orci tenebris vindicet. Quoties hic Thebanus olor supra humiles terras evolat illum secundus ventus et uberrimus attolit. Ego verò secutus

fuisse aiunt in Lyciâ, Asiæ minoris regione, conflatum è tribus feris, leone, caprâ, et ignivomo dracone. Illud Bellerophon domuit. Verius, mons erat ejusdem Lyciæ, cujus in summo stabulabant leones, et flammæ identidem erumpebant: in medio capræ pascebantur; in imo dracones delitescebant. Fecit Bellerophon ut iste mons habitari tuto, et coli posset.

17. *Elea palma.* Elis regio et urbs Græciæ in Peloponneso, non procul ab urbe Olympiâ, sive Pisâ, ad fluvium Alpheum. Ibi celebrabantur clarissima certamina in honorem Jovis, quarto quoque anno ineunte, quæ Elea, Olympia, et Olympica vocabantur.

18. *Pugilem.* Pugiles consertis manibus ad humum se dejicere invicem nitebantur. Interdum nudâ certabant manu, interdum armatâ cæstu.

Equum. Qui nempe in iisdem ludis Olympicis alios equos viceral cursu. Nam equis illis suus quoque et insignis honor tribuebatur.

24. *Invidet Orco.* Adimit inferis, morti eripit. Quæ aliis invidemus, illis adimere nitimur.

25. *Dircæum.* Dirce fons fuit in Bœtiâ, non procul Thebis, quæ Pindari patria. Poëtas vero cycnos nuncupari notum est, quod illæ volucres sacræ essent Apollini, et suavissimè canere jactarentur. Dicitur autem ab Horatio Pindarus multâ sursum propelli semper aurâ, quod reipsâ Pindarus nunquam repat humi, aut veluti fatigatus decidat, id quod optimis interdum Poëtis usu venit.

Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus; ego apis Matinæ
More modoque,
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus, uvidique
Thiburis ripas, operosa parvus
Carmina fingo.
Concines majore poëta plectro
Cæsarem, quandoque trahet feroces
Per sacrum clivum, meritâ decorus
Fronde, Sicambros:
Quo nihil majus, meliusve terris
Fata donavere, bonique Divi,

indolem et modum apicularum diligentium, quales sunt in Matinis campis, quæ multo labore thymum delibant, in sylvis, et fluviorum qui Tibur alluunt, ripis, laboriosa carmina, pro ingenii mei tenuitate, compono. Tu Poëta nobis longè præstantior, elegantiori carmine Cæsarem laudabis, cùm ille debitâ laureâ redimitus truces Sicambros curru suo alligatos per viam Sacram in triumpho ducet maximus Imperator, quo nihil inquam præstantibus et optabilius à Fatis ac Superis faventibus concessum

27. *Nubium tractus.* Aëris vasta spatia, ubi nubes pendent, et huc illuc trahuntur. Tractus, de terrâ etiam et mari dicitur, pro parte aliquâ et regione.

Matinæ. Ager Matinus erat in Apuliâ.

31. *Tiburis.* Tibur, fuit urbs Latii, nunc *Tivoli.* Prope illam urbem in sylvâ fons erat Albunea, nec procul Horatii villulâ. Ripas igitur Tiburis vocat, ripas Albuneæ et fluviorum, puta Anienis, Tiberis, etc. qui Tiburtinum agrum perluunt.

30. *Uvidi.* Humidi, uliginosi.

35. *Per sacrum clivum.* Per viam sacram. Sacra vocabatur, quòd ad Jovis templum et Capitolium recta duceret. Eadem clivus hîc appellatur quia Capitolium in editiore loco erat positum, atque adeo bona pars viæ sacræ declivis et prona erat.

36. *Sicambros.* Populos Germaniæ inferioris, utramque Rheni ripam accolantes, qui cùm Rheno transmisso, Gallias depopularentur, duxit in eos Augustus, circa annum ab U. C. 738. Horatii 49. Et bellum illud annis quatuor absolvit, concessâ petentibus hostibus incruentâ pace. Hæc fuit occasio scribendæ istius Odes.

Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum.
Concines lætosque dies, et Urbis
Publicum ludum super impetrato
Fortis Augusti reditu, forumque
Litibus orbum.
Tum meæ, si quid loquar audiendum,
Vocis accedet bona pars; et, ô Sol
Pulcher, ô laudande, canam, recepto
Cæsare felix!
Tumque dum procedet, Io triumphe
Non semel dicemus, Io triumphe,
Civitas omnis, dabimusque Divis
Thura benignis.
Te decem tauri, totidemque vaccæ,
Me tener solvet vitulus, relictâ

est orbi, neque concedetur, etsi aurea ætas revocetur. Cantabis transactos incredibili lætitia dies, ludosque publicè per urbem, propter impetratum à Superis Augusti reditum, editos. silente foro, ac litibus valere jussis. Tunc ipse quoque, si modò aliquid possum auditu dignum eloqui, ad tuos illos divinos cantus vocem meam, quantò potero maximò contentione, adjungam, et in hæc verba, restituto nobis Cæsare beatus, et gaudio delibutus, erumpam: O faustam diem! ô solem candidum! Tumque, ô Triumphe, dum solenni pompâ progredietur per urbem illum faustis acclamationibus cives universi prosequemur, et voces istas sæpius accinemus, Io triumphe: ac bonis Superis adolebimus thura. Tu, ô Antoni, ut suscepta pro salute Cæsaris ac reditu vota exsolvas, immolabis tauros decem ac decem vaccas: ego vitulum mollem, qui recens à lacte depulsus adolescit ac persultat lætis in pratis, destinata votis meis victima. Ejus

43. *Augusti reditu.* Qui redibat Romam, post confectum bellum Sicambricum. De reditu Augusti ex Hispaniâ post bellum Cantabricum, interpretatur Torrentius.

44. *Litibus orbum.* Publicâ in lætitiâ aut luctu, forum claudebatur, ac lites paulisper intermittebantur.

49. *Tumque, etc.* Sunt qui legendum censent, *tuque dum procedes*, quia, ut aiunt, ipsum triumphum, quasi persona esset, apellat. Vel quia ipsum alloquitur Antonium, qui pro suo Prætoris munere, processurus erat, id est, insigni cum pompâ incessurus, ad cohonestandum triumphum, et ordinandum.

54. *Te solvet.* Voto scilicet obligatum et adstrictum.

Matre, qui largis juvenescit herbis
    In mea vota;
Fronte curvatos imitatus ignes
Tertium lunæ referentis ortum,
Quà notam duxit, niveus videri,
    Cætera fulvus.

cornua præ se ferunt speciem Lunæ curvatæ ac tertium jam diem conspici cœpta : insignem habet candidam in fronte notam, reliquo autem corpore rufus est.

59. *Niveus videri.* Græco more dictum.

Ode II.

Melpomenæ acceptum refert, quòd aliquem inter poëtas numerum et locum obtineat.

Quem tu, Melpomene, semel
    Nascentem placido lumine videris,
Illum non labor Isthmius
    Clarabit pugilem; non equus impiger
Curru ducet Achaïco

O Melpomene, si quis à te semel, cùm in lucem ederetur, benignis oculis fuerit aspectus, non illum laboriosa certamina, in Isthmo Corinthiaco celebrari solita, cæteros inter pugiles clarum et posteris memorabilem efficient : Non equi celeres, et currus velox, ipsi victoriam iisdem in ludis arrogabunt; non

1. *Melpomene.* Una è Musis quæ vulgò novem recensentur. Calliope, Clio, Euterpe, Polyhymnia, Thalia, Melpomene, Erato, Therpsichore, Urania.

3 *Isthmius labor.* Istmum Geographi appellant angustas terræ fauces, quibus peninsula cum terrâ continente jungitur. Pars Græciæ meridiana, est peninsula ingens, olim Peloponnesus dicta, nunc *la Morée.* In ejus Isthmo est Corinthus, *Coranto.* Ad eam urbem, tertio quoque anno ineunte, ludi edebantur, à Sysipho Corinthi Rege olim instituti, in honorem Melicertæ, marini Dei.

5. *Ducet.* Vel domum revehet victorem; vel in ipso

Victorem; neque res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
Quòd regum tumidas contuderit minas,
Ostendet Capitolio:
Sed quæ Tibur aquæ fertile præfluunt,
Et spissæ nemorum comæ,
Fingent Æolio carmine nobilem.
Romæ principis urbium
Dignatur soboles inter amabiles
Vatum ponere me choros;
Et jam dente minùs mordeor invido.
O testudinis aureæ
Dulcem quæ strepitum, Pieri, temperas;
O mutis quoque piscibus
Donatura cycni, si libeat, sonum;
Totum muneris hoc tui est,

laureá coronatus, ac triumphans, ob rem bello præclare gestam et fractas Regum superborum vires, in Capitolium perducetur. Sed lenes susurri fontium, quibus alluitur Tibur, aut placidæ nemorum umbræ, afflabunt illi spiritum poëticum, quo imbutus Lyricos versus condet, è quibus immortalem gloriam consequetur. Romani, rerum domini, hunc mihi tribuunt honorem, ut in suavissimo Poëtarum grege me numerent; et jam minùs multi meis laudibus obtrectant. O musa, quæ aureæ lyræ nervos et concentum moderaris! O quæ hanc vim habes, ut piscibus, licèt mutis, cycneam donare vocem, si lubet, possis! hoc tibi acceptum fero, quòd Latini carminis Lyrici princeps

stadio et curriculo cæteris præcurrentem deseret.

Achaïco. Corinthus, de quâ proximè dictum, est in Achaiâ, Græciæ parte.

6. *Deliis*. Apollineis. Apollo natus est in Delo insulâ, Laurus illi sacra.

9. *Capitolio*. Eo triumphantes ducebantur, ut Jovi gratias agerent.

12. *Æolio carmine*. Exposui, Lyrico: cur autem? Quia inter primarios Poëtas Lyricos Græcos, recensentur Alcæus et Sappho, ambo Mytilene oriundi, urbe insigni Æolidis regionis, in Lesbo insulâ.

18. *Pieri*. Quintus est casus, à recto Pieris. Musæ vocatæ sunt Pierides à Pierio fonte Macedoniæ, ipsis sacro.

20. *Cycni*. In câ voce prior syllaba; quæ duobus primis tantum elementis constat, corripitur; quod ad Græcorum consuetudinem Latini usurparunt.

Quòd monstror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ;
Quòd spiro, et placeo, si placeo, tuum est.

digito monstror à transeuntibus. Quòd vivo, quòd omnibus, si tamen mea me opinio non fallit, gratus sum et acceptus; hoc totum à te mihi donatum esse profiteor.

ODE III.

Drusum, post victoriam de Rhætis et Vindelicis partam, laudat.

QUALEM ministrum fulminis alitem,
Cui rex Deorum regnum in aves vagas
Permisit, expertus fidelem
Jupiter in Ganymede flavo,
Olim Juventas, et patrius vigor
Nido laborum propulit inscium,
Vernique, jam nimbis remotis,
Insolitos docuere nisus

QUalis ales, quæ fulmen ministrat Jovi, et quam ille post ejus fidem in rapiendo Ganymede perspectam, cæteris volucribus imperitare voluit; è nido, ubi in otio delituerat, erumpit fidens juventuti et accepto à parentibus robori; ventisque molliorihus post hyemem transactam adjuvantibus, niti pennis non sine timore discit, sequè liberiori, cui nondum assuevit, cælo cre-

4. *Ganymede.* Filio Trois, regis Trojanorum: hunc jussu Jovis ab aquilâ raptum fuisse narrant; ut nectar Superis in cœlo misceret.

6. *Laborum inscium.* Pugnæ videlicet ac operæ, quam ponunt aquilæ in prædâ rapiendâ et lacerandâ: in gestando fulmine, etc.

7. *Nimbis.* Propriè nimbus est repentina præcepsque pluviâ. *Remotis.* Quia, cùm sudum est cœlum, liberiùs ac libentiùs illi se credunt aves.

8. *Nisus.* Ea vox indicat conatum et laborem junioris aquilæ in volando et librandis pennis: in quo utitur ope ventorum, à quibus defertur, et veluti docetur volare.

Venti paventem; mox in ovilia
Demisit hostem vividus impetus;
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis atque pugnæ;
Qualemve lætis caprea pascuis
Intenta, fulvæ matris ab ubere
Jam lacte depulsum leonem,
Dente novo peritura vidit;
Videre Rhæti bella sub Alpibus
Drusum gerentem et Vindelici, quibus
Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonià securi
Dextras obarmet, quærere distuli;
Nec scire fas est omnia. Sed diu
Latèque victrices catervæ,
Consiliis juvenis repressæ,
Sensere quid mens ritè, quid indoles

dere; eademque postea; modò in obvium caulas infesta præcepsque ruit, modò in dracones depræliantes, incensa pugnæ aut prædæ cupiditate, raptiur; qualis etiam leo, jam relictis lænæ matris uberibus, à capreâ in arvo fertili pascente, subitò conspicitur, ejus dentibus vixdum enatis lacerandâ: talem Drusum bella prope Alpes feliciter gerentem Rhœti et Vindelici sunt experti, qui quorsum ab omni ævo consueverint securim, Amazonum instar, dextrâ gestare, scrutari mihi non vacabit, (nec verò licet omnia scire:) Hoc certè liquet, eorum exercitus, plurimis perdiu victoriis elatos, prudentiâ Drusi adolescentis vicissim domitos demum et fractos, intellexisse quantam ha-

17. *Rhœti.* Nunc Grisones, Helvetii, Boii, etc. Non procul erant *Vindelici*, ubi nunc partim Bavaria, Suevia, etc. ad ripas Danubii et Rheni.

18. *Drusum.* Tiberius Nero suam uxorem Liviam Augusto petenti concessit jam gravidam. Hæc tertio, postquam Augusto nupserat, mense Drusum peperit; eodem anno decessit Tiberius Nero, et Augustum Druso, ejusque fratri Tiberio jam fere quadrimo, tutorem testamento dixit.

22. *Nec scire, etc.* Videtur hîc jocari Horatius, et obiter aliquem poëtam ineptum carpere, qui fortasse, cùm eandem Drusi victoriam celebraret, in eâ re investiganda multus fuerat.

25. *Mens.* Consilium ea vox, prudentiam et intelligentiam designat: *indoles* verò mo-

Nutrita faustis sub penetralibus
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.
Fortes creantur fortibus, et bonis:
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina seu vim promovet insitam;
Rectique cultus pectora roborant:
Utcumque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.
Quid debeas, ô Roma, Neronibus,
Testis Metaurum flumen, et Asdrubal

beret vim ad rem præclarè gerendam egregius animus ac bene natus, idemque in sapiente ac fortunatâ educatus domo; et quantum prosit Neronibus quòd Augustum tutorem paterno in ipsos animo præditum, nacti sint. Sanè generosi ac probi parentes probam quoque ac generosam sobolem procreare solent, patrumque robur ipsi vituli, et equorum pulli retinent, neque unquam ex aquilâ forti et bellicosâ, imbellis columba nascitur. Attamen institutio bona et disciplina, naturæ atque indolis prestantiam auget, et cultura diligens animorum eosdem ad capescendam virtutem fortiores et valentiores efficit. Ubicumque deest illa institutio, ibi vitiorum sordibus vel optimam indolem deteri, et inquinari contingit. Quàm bene meriti de te sint Nerones, ô

res, et voluntatem studiosam virtutis.

26. *Penetralibus.* Augusti domo.

28. *Pueros Nerones.* Tiberium et Drusum, Liviæ Augustæ filios, è Tiberio Nerone priori viro, uti diximus, susceptos: quorum etsi tutor tantum esset Augustus, tamen paterno erga illos animo erat.

Mores. Hoc in loco idem est atque *recti cultus:* nempe recta et proba institutio, quæ una maxime probos mores et rectè vivendi consuetudinem affert.

37. *Neronibus.* Neronum genti et familiæ Tiberius Claudius Nero, ultimus exstitit è quatuor filiis Appii Claudii Crassi, sive Cæci, qui viam Appiam stravit. Tiberii Neronis nepos fuit ille Nero qui Consul anno 546. cum Livio Salinatore Asdrubalem cecidit: abnepos verò, Tiberius Nero qui ex Liviâ procreavit Tiberium, postea Imperatorem, et Drusum.

38. *Metaurum flumen, etc.* Annibal qui bellum secundum Punicum gessit, devictis ad

Devictus, et pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,
Qui primus almâ risit adoreâ:
Dirus per urbes Afer ut Italas,
Ceu flamma per tædas, vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.
Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit, et impio
Vastata Pœnorum tumultu
Fana Deos habuere rectos;
Dixitque tandem perfidus Annibal:

Roma, documento est Metaurus fluvius, et profligatus Asdrubal, ac dies ille fortunatissimus, qui, discussâ nocte tristissimâ, lætitiam primus cum gloriâ et abundantiâ, revexit, quæ ex Italiâ fugatæ procul videbantur, ex quo ferus Annibal per oppida Latii vastitatem latè stragemque circumtulerat, instar flammæ tædas arentes corripientis, aut venti mare Siculum pervolantis. Deinceps erexit se in dies magis Romana res, bellis è sententiâ succedentibus: ac Deorum statuæ, quas impii Carthaginienses vastatis templis dejecerant, suo loco repositæ constiterunt. Ipse

Ticinum, Trebiam, Thrasymenum lacum, et Cannas, Romanis, cum ipsi Romæ immineret, fratrem Asdrubalem in Italiam evocavit: ille jam in Cisalpinam Galliam pervenerat, cum ei se Livius Salinator Consul opposuit, ut transitum ad Annibalem ipsi intercluderet. Erat Annibal in Apuliâ, et contra illum castra Claudius Nero alter Consul habebat: qui, interceptis Asdrubalis litteris, clam inscio Annibale, summâ celeritate, ad collegæ castra cum copiarum parte venit, commissoque statim prælio, et cæsis 56. hostium millibus, prope Metaurum, Umbriæ fluvium, ante ad sua castra rediit in Apuliam, quàm eum dicessisse Annibal sentiret. Caput Asdrubalis in stativa Pœnorum ab Nerone projectum, triste indicium acceptæ cladis, et omen futuri deinceps belli funestum, Annibali fuit. Ea Neronis victoria contigit anno Urbis conditæ 546.

41. *Adoreâ.* Ador frumentum est: adoreâ, frumenti copiâ et annonæ. Ea vox deinde ad significandam ubertatem, victoriam, et gloriam est adhibita.

42. *Dirus, etc.* Potest exponi quoque iste locus hunc in modum: Rediit pax et copia postquam Annibal recessit propere ab Italis urbibus, instar flammæ, aut venti.

49. *Annibal.* Perfidus vocatur quia Pœni perjuri a

Cervi, luporum præda rapacium,
Sectamur ultro, quos opimus
Fallere et effugere est triumphus.
Gens, quæ cremato fortis ab Ilio,
Jactata Tuscis æquoribus, sacra,
Natosque, maturosque patres
Pertulit Ausonias ad urbes,
Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cœdes, ab ipso
Ducit opes, animumque ferro.
Non Hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem;
Monstrumve summisere Colchi

demum Annibal in eas erupit voces: Utique cervis qui luporum certa sunt præda, similes sumus, dum Romanos sponte insequimur: quos si effugere salvi sospitesque possimus, in ingentis triumphi loco ducere debeamus. Hic ille scilicet populus est, qui post incendium Trojæ, satis virium et animorum habuit, ut gravissimis in Tyrrheno mari tempestatibus jactatus, religiones, liberos, ac effetos senes, in Italiam inferret. Similiter atque quercus in umbroso Algido desecta securibus, revirescit lætior; sic populus Romanus ab suis cladibus novas vires, novum decus accipit. Non Hydra succisis capitibus robustior et major in Herculem, superari se indignantem, insurrexit: non tetrius monstrum

fœdifragi vulgò habebantur. Tum Annibal prior fœdus violarat, quod Romanos inter et Afros post primum bellum Punicum fuerat ictum.

50. *Cervi*, etc. Ut cervi lupos frustra sectarentur, à quibus devorandi certissimè essent; sic Romanos temere lacessimus, etc.

52. *Fallere.* Latere, devitare.

54. *Tuscis.* Tuscia, *la Toscane*, Italiæ est pars ad Occidentem, paulo supra Romanum agrum. Alluitur mari Tusco, sive Tyrrheno, quod Inferum quoque appellatur.

56. *Ausonias.* Italas. Auson, priscus Italiæ Rex.

58. *Algido.* Algidus est mons et sylva prope Romam.

Feraci nigræ frondis. Abundante comatis et annosis quercubus, quarum folia subnigra.

61. *Hydra.* Serpens immanis in Lernâ, palude Græciæ, apud urbem Argos. Illi plurà erant capita, quorum unum si amputaretur, alia duo renascebantur.

63. *Monstrumve*, etc. Jason

Majus, Echioniæve Thebæ.
Merses profundo, pulchrior evenit;
Luctere, multâ proruet integrum
Cum laude victorem, geretque
Prælia conjugibus loquenda.
Carthagini jam non ego nuntios
Mittam superbos: occidit, occidit

apud Colchos aut Thebanos erupit. Si profundum in mare demergas, emerget existetque formosior: si luctando humi dejicere coneris, te integrum licèt ac valentem, sternet cum insigni suâ gloriâ, et pugnas committet, quas conjuges, cæsis maritis viduatæ lugentesque renarrabunt. Non jam mittentur à me Carthaginem victoriarum mearum nunçii; actum est, cæso Asdrubale, simul omnis nostra spes, et opes Carthaginiensium, funditùs perierunt.

cum Argonautis navigavit in Colchidem ad auferendum vellus aureum: eo tamen potiri, nisi superatis prius ope Medeæ plurimis monstris non potuit. In iis erant tauri spirantes ignem, quos, edoctus à Medeâ, aratro junxit: erat immanis draco insomnis, velleris aurei custos, quem sopivit: denique ex ejusdem draconis dentibus quos in arato solo severat, prodierant homines armati: hi verò ejusdem Medeæ carminibus et veneficiis incitati, arma in se verterunt, ac mutuis vulneribus periere. Hæc fusè narrat Ovidius Lib. VII. Metam.

Summisere. Summitto, subjicio, interdum eam vim habent, ut significent idem quod è terrâ sursum mitto, vel jacio. Sic flores è terrâ summitti dixit Lucretius: Virgilius, arborem teneram se subjicere, id est, attolli et crescere.

Colchi. Eorum regio, Colchis, nunc *la Mengrelie,* sita est ad Pontum Euxinum.

64. *Thebæ.* Urbs Bœotiæ, in Græciâ: hodie *Stives.* Eam Cadmus condidisse fertur, Amphion mœnibus cinxisse. Cadmi verò gener fuit Echion, natus cum aliis viris è dentibus serpentis ab eodem Cadmo interfecti seminatis, qui omnes, præter Echionem, mutuis vulneribus se confecerunt.

66. *Luctere.* Luctari pugilum est.

68. *Loquenda.* Vel deploranda, ob amissos viros: vel, prædicanda, ob victores eosdem et servatos. Exponi etiam potest in hunc modum: Prælia, quæ viri domum reversi, uxoribus renarrent.

70. *Nuntios superbos.* Victis ad Cannas Romanis, misit in Africam Annibal qui nuntiarent victoriam, et plenos annulorum cæsis Equitibus Romanis detractorum modios, in ipsa Carthaginiensi Curiâ effunderent.

Spes omnis, et fortuna nostri
Nominis, Asdrubale interempto.
Nil Claudiæ non perficient manus,
Quas et benigno numine Jupiter
Defendit, et curæ sagaces
Expediunt per acuta belli.

Nihil tam arduum est, quod exequi non possit Claudiorum gens, quum Jupiter præsenti numine tutatur, quum consilium, et diligentia prudentiæ adjuncta, incolumem in maximis belli periculis, victricemque præstant.

73. *Claudiæ manus.* Prognati enim è Claudiâ gente Nerones erant.

76. *Acuta belli.* Ut, *amara curarum, cuncta terrarum.* Acuta autem bella, id est, gravia, difficilia. Sic ὀξὺν ἄρηα acutum Martem Græci dicunt.

Ode IV.

Orat Augustum ut in urbem quamprimùm redeat: et quàm carus populo sit, docet.

Divis orte bonis, optime Romulæ
Custos gentis, abes jam nimiùm diu:
Maturum reditum pollicitus Patrum
Sancto concilio, redi.
Lucem redde tuæ, dux bone, patriæ.

O Populi Romani custos optime, qui Superis propitiis in lucem es editus, diutius abesse te Roma queritur, præsertim cùm senatui promiseris, te brevi rediturum: revertere, oro atque obtestor; et patriæ tuæ suum solem refer. Nam

1. *Romulæ.* Pro, Romuleæ. Romulus Romanæ urbis conditor.

2. *Abes.* Nempe in Galliis, quas Sicambri, Usipetæ, et nonnulli Germaniæ populi, Rheno transmisso, depopulati erant, Lollio Romanorum duce etiam profligato. Sed iidem, Augusti adventu perterriti pacem ab eo petiere. Mansit Augustus tamen in Galliis, ut res bello turbatas componeret, nec Romam nisi post annos quatuor est reversus, nimirum anno U. C. 741. Horatii 52.

Instar

Instar veris enim vultus ubi tuus
Affulsit, populo, gratior it dies,
Et soles meliùs nitent.
Ut mater juvenem, quem Notus invido
Flatu Carpathii trans maris æquora
Cunctantem spatio longius annuo
Dulci distinet à domo,
Votis, ominibusque, et precibus vocat,
Curvo nec faciem littore dimovet;
Sic desideriis icta fidelibus
Quærit patria Cæsarem.
Tutus bos etenim prata perambulat,
Nutrit rura Ceres, almaque Faustitas,
Pacatum volitant per mare navitæ;

simul atque te præsentem populus intuetur, dies pulchrior videtur esse, ac sol amœniori luce radiare, quasi depulsâ hyeme ver novum effulgeret. Quemadmodum mater sollicita de salute filii, qui adverso vento retinetur ultra mare Carpathium, prohibeturque ne domum redeat, unde jam anno plus abest; eum velut accersit urgetque fusis ad Superos precibus, susceptis votis, et captatis ominibus, hæretque dies ac noctes oculis in littore defixis: ita Roma sinceris percussa desideriis Augustum absentem requirit. Neque injuriâ: quippe illo imperante armenta secura impunè campis inerrant: Ceres et felix abundantia ubertatem et copiam agris offerunt: nautæ tranquillum æquor et prædonibus vacuum tuti percurrant, mercatores summa fide

9. *Notus.* Ventus à Meridie flans, et procellosus.

10. *Invido flatu.* Quasi ventus ille invideret matris felicitati, ac juvenis reditum de industriâ impediret.

Carpathii maris. Vicini Carpatho, quæ est insula, media inter Cretam et Rodum, *Scarpanto.*

Maris æquora. Quasi dicas, maris vastos et patentes campos. Æquor enim aliud est nihil propriè, quam planities æqua, et in omnem partem fusa.

13. *Ominibus.* Omen est indicium quoddam et significatio rei futuræ, sumpta propriè, ex avium cantu, aut hominum aliquâ voce, quasi oremen: idem ferè est atque augurium. Utrumque sumebatur e variis rebus promiscuè, ut sua cuique lubido, vel consuetudo, dies, locusve, suasisset.

14. *Curvo.* Prono, proclivi, et devexo.

18. *Faustitas*, Prosperitas, Felicitas.

Culpari metuit fides;
Nullis polluitur casta domus stupris;
Mos, et lex maculosum edomuit nefas;
Laudantur simili prole puerperæ;
Culpam pœna premit comes.
Quis Parthum paveat? quis gelidum Scythen?
Quis, Germania quos horrida parturit
Fœtus, incolumi Cæsare? quis feræ
Bellum curet Iberiæ?
Condit quisque diem collibus in suis,
Et vitem viduas ducit ad arbores:
Hinc ad vina redit lætus, et alteris

inter se contrahunt ac paciscuntur, et fraudis perfidiæque suspicionem vel levissimam præbere timent : familiæ nullis inquinantur adulteriis, quia fœdæ libidines legibus et moribus emendatæ et recisæ sunt : matres filios similes viris suis enituntur, quod ipsorum pudicitiæ non leve argumentum ac decus est; aut si quid peccaverint, meritas continuò pœnas dependunt. Parthorum quis, et Scytharum arma, quis Germaniæ truces ac barbaros populos, Augusto sospite, perhorrescat? Cuinam metum aut sollicitudinem bellum Hispaniæ ferocis afferat? Unusquisque rure suo diem totam securus ducit, et postquam sterilibus arboribus fœcundam vitem applicuit, ex agro domum repetit ad cœnam, ubi te secundis in mensis tanquam Deum, multis

20. *Culpari metuit Fides.* Cavet ne accusetur : cavet committere quamobrem arguatur : hoc est, nemo fidem datam non servat; nemini exprobratur fides violata.

25. *Parthum.* Parthi hoc tempore obtinebant imperium veterum Medorum ac Persarum. Antea subditi Persis erant, eorumque regio inter Persidem et Hircaniam sita. Crassum Romanorum ducem qui secum C. Julio Cæsare ac Pompeio conjunxerat, et Syriam sortitus erat, deleverant cum exercitûs majori parte, ac Romanorum capta in acie signa, suis templis intulerant, anno Urbis conditæ 701. Ea ut reciperet Augustus, Asiam infesto agmine petiit : verùm Phraates Parthorum rex, pacem petens, eadem signa cum captivis ultro restituit anno U. C. 734.

Scythen. Scythia partem Asiæ maximam ad Septentrionem obtinebat. Eam nunc habent Tartari.

28. *Iberiæ.* Sic vocata est Hispania, ab Ibero fluvio *Ebro.*

29. *Condit.* Condi et componi propriè dicuntur mortui. Dies exacta, videtur esse mortua et extincta.

Te mensis adhibet Deum.
Te multâ prece, te prosequitur mero
Defuso pateris; et Laribus tuum
Miscet numen, uti Græcia Castoris,
Et magni memor Herculis.
Longas, ô utinam! dux bone, ferias
Præstes Hesperiæ, dicimus integro
Sicci manè die, dicimus uvidi,
Cùm sol Oceano subest.

precibus ac libato vino, colit, tuumque nomen Larium nominibus jungit, similiter atque Græcia, Castori et Herculi, acceptorum ab iis beneficiorum memor, non minus, quàm cæteris Diis supplicat, et vota facit. Utinam, optime imperator, longa otia facias Italiæ. Hæc nostrorum votorum summa; hoc primâ luce, nondum poti et pransi comprecamur, hoc idem cœnati, sole jam in æquor demerso, iteramus.

32. *Alteris mensis.* Secunda mensa vocabatur apud Romanos ea cœnæ pars in qua poma et bellaria ponebantur: prima vero mensa, in qua cibi, altilia, etc. Sub finem secundæ mensæ, Deorum laudes canebant; vinum in eorum honorem è summâ paterâ leviter effundebant, etc. Virgil. Lib. I. Æneid. ver. 727. et II. Georg. versu 100.

34. *Laribus.* Lares, seu Penates, erant Dii quidam cujusque domus proprii, ejus quasi custodes et patroni.

35. *Castoris.* Castor et Pollux, Helenæ fratres, qui et Gemini dicebantur, celebres in Græciâ fuere.

36. *Herculis.* Jovis et Alcmenæ filii. Quos labores ille pertulerit, quæ domuerit monstra, fusè docet Martialis Lib. Spectac. Epig. 5. 25. et Lib. IX. 48. 49.

38. *Hesperiæ.* Italiæ: sic vocatur, quod partem Europæ occidentalem obtineat. Græcis enim Ἑσπέρα Ἕσπερος est Vesper, Occidens, Hesperus. Interdum additur ei epithetum *Magna*: ut ab Hispaniâ distinguatur, quæ ipsa quoque Hesperia est dicta.

38. *Integro.* Cujus nulla pars adhuc veluti decisa fuit, et labori, negotiisque data: recenti, novo.

39. *Uvidi.* Madidi vino; poti, cœnati.

Ode V.

Apollinem rogat, ut seculare carmen à se compositum probet ac tueatur. Virgines ac pueros ut rite illud recitent, admonet.

Dive, quem proles Niobæa magnæ
Vindicem linguæ, Tityosque raptor
Sensit, et Trojæ prope victor altæ
Phthius Achilles,
Cæteris major, tibi miles impar;
Filius quamvis Thetidos marinæ
Dardanas turres quateret tremendâ
Cuspide pugnax.
Ille, mordaci velut icta ferro
Pinus, aut impulsa cupressus Euro,
Procidit latè, posuitque collum in

O Apollo, qui superbam et audacem Niobes linguam, ejus liberorum nece punitus es; cui pœnas dedit Tityus Latonam rapere molitus, et Achilles, cùm prope jam Trojam expugnasset, Heroïbus ille quidem aliis superior, verùm haudquaquam par et idoneus qui tecum depugnaret; quamvis Thetis illi esset mater, eoque ferox et superbus Trojanas arces terribili armatus hastâ oppugnaret: is tamen, tanquam arbor securi succisa, aut vento dejecta, ingens ingenti vulnere ceci-

1. *Proles Niobæa.* Niobe, Tantali filia, cum duodecim, aut plures etiam, haberet liberos, contempsit Latonam, quæ duorum duntaxat parens foret. Apollo et Diana illatam matri suæ injuriam ita vindicarunt, ut hæc filias Niobes, ille filios interfecerit. Ovid. vi. Met.

2. *Tityos raptor.* Tityos Græco flexu dixit pro Tityus.

3. *Prope victor.* Hectore interfecto, qui Trojæ excidium unus maximè morabatur.

4. *Phthius.* Phthia, urbs Thessaliæ, Achillis patria. Illi Apollo infensus erat, tum quia Trojanis erat amicior, quos Achilles oppugnabat; tum quia fuerat ab eo gravioribus verbis non semel appellatus: imo palam conviciis lacessitus, ut Homerus parum decore narrat Libro XX. Iliad. versu 15.

11. *Procidit, etc.* Achilles Polyxenæ amore captus, in

Pulvere Teucro.
Ille, non inclusus equo, Minervæ
Sacra mentito, malè feriatos
Troas, et lætam Primi choreis
Falleret aulam:
Sed palam captis gravis, heu nefas! heu!
Nescios fari pueros Achivis
Ureret flammis, etiam latentes
Matris in alvo;
Nì tuis victus, Venerisque gratæ
Vocibus Divûm pater annuisset
Rebus Ænææ potiore ductos
Alite muros.

dit, ac Trojano in solo prostratus est. Ut erat illius indoles, non se abdidisset in equum ligneum, quem Græci, tanquam sacrum et oblatum à se Palladi, Trojam submiserant: nec cives intempestivo deditos otio, ipsamque Priami aulam choreis indulgentem adortus per dolum fuisset: sed luce palam cepisset urbem barbarus, heu! et infantes, etiam in alvo materno clausos, concremasset, ac nomen Trojanum funditùs extinxisset; nisi Jupiter, tuis ac Veneris precibus exoratus, concessisset ut Æneas aliam urbem melioribus âuspiciis ac feliciori fato fundatam conderet. O Phœbe, qui artem tractandæ lyræ Musas

Apollinis templum se contulit, de nuptiarum, ut existimabat, conditionibus acturus. Ibi à Paride, qui post Apollinis simulacrum latebat, sagittâ ictus est in plantâ pedis, quâ solâ corporis parte poterat vulnerari, quod ea Stygiis aquis tincta non fuisset, cum in iis reliquum infantis corpus mater, pede ipsum tenens, ablueret. Sepultus est in Sigeo Trojæ promontorio, ubi Polixenam ejus manibus Pyrrhus immolavit.

12. *Teucro.* Pro, Teucrio: sic antea posuit. *Dardanas turres*, pro, *Dardanias*. Teucer porro Dardani socer fuit. Celebratur Teucer alius, Græcorum dux.

13. *Equo, etc.* Virg. L. II. Æneid. ver. 48.

14. *Minervæ sacra mentito.* Simulabant Græci equum illum à se fabricatum in Minervæ honorem, et ad eam placandam ipsi oblatum.

16. *Falleret.* Fefellisset. Græci ad hunc modum usurpant imperfectum tempus pro perfecto et præterito. Non fuisset usus dolis Achilles, nimirum si vitam usque ad Trojam captam perduxisset.

18. *Nescios fari.* Infantes. Expressit vocem Græcam νηπίος, nondum loqui valentes.

24. *Alite.* Omine, auspicio. Sumebantur enim auguria ex avium volatu, cantu, et pastu.

Doctor argute fidicen Thaliæ,
Phœbe, qui Xantho lavis amne crines,
Dauniæ defende decus Camœnæ,
Levis Agyieu.
Spiritum Phœbus mihi Phœbus, artem
Carminis, nomenque dedit Poëtæ.
Virginum primæ, puerique claris
Patribus orti,
Deliæ tutela Deæ, fugaces
Lyncas, et cervos cohibentis arcu,
Lesbium servate pedem, meique

doces, qui comas in amne Xanto abluis, ó imberbis Agyieu, meos, quæso, versus, et collectam à me hactenus ex arte poëticâ gloriam, fac præsenti numine tuearis. Mihi à Phœbo data est ingenii vis et ille datus est sacer impetus qui poëtas efficit: ab eo fingendi versus artem et poëtæ nomen consecutus sum. O puellæ puerique nobiles, qui estis in tutelâ Dianæ, quæ lyncum et cervorum fugam arcu suo, dum venatur, sistit; lyricos versus à me scriptos mandatæ memoriæ diligenter, eorumque numeros omnes ac modos observate. Cogitate celebrandas

25. *Thaliæ.* Una est è Musis novem, à voce Græcâ θάλλω, *storeo, vireo*; quia jocosis et ludicris versibus præsertim gaudet. Arguta porro dicitur hoc in loco, pro canora, lyræ pulsandæ perita.

26. *Xantho.* Fluvio Lyciæ, quæ Apollini sacra. Fuit etiam eodem nomine fluvius in Troade: notum est autem Phœbum Trojanis favisse. Amabant veteres alere comam, præcipuè juvenes, et capillos in lympidis fontium et fluminum aquis abluere, sive id religione quâdam ducti facerent, sive formæ studio.

27. *Dauniæ.* Latinæ: meæ Dannia pars est Apuliæ: *l'Apouille.* Ex ea Horatius oriundus: itaque *Daunia Camœna*, est poësis Horatiana.

28. *Levis.* Imberbis.

Agyieu Ἀγυιὰ, est vicus, seu via urbis. Apollo Ἀγυιεὺς vocabatur, quia viis præsidebat: Hinc illi statuæ pro domorum foribus, et in compitis vulgò positæ.

31. *Primæ.* Lectissimæ, nobilissimæ.

33. *Deliæ Deæ.* In insulâ Delo natæ. Diano educendis in lucem pueris præerat.

34. *Lyncas.* Lynx fera est, è cervino genere.

35. *Lesbium pedem.* Lesbos, insula Ægei maris, urbs ejus primaria, Mitylene, patria Sapphos, et Alcæi, vatum Lyricorum; quos præsertim imitatus est Horatius.

Pollicis ictum.
Rite Latonæ puerum canentes,
Rite crescentem face noctilucam,
Prosperam frugum, celeremque pronos
Volvere menses.
Nupta jam dices, ego Dis amicum,
Seculo festas referente luces,
Reddidi carmen, docilis modorum
Vatis Horatî.

esse vobis cum dignitate et pietate Apollinis laudes ac Dianæ, quæ noctis tenebras crescente sensim sidere illustrat, quæ fruges alit augetque, ac menses citò elabentes conficit. Olim cùm eritis viro collocatæ, cum unaquæque vestrûm dicet gloriabiturque se, redeuntibus exacto seculo solemnibus feriis, carmen Superis gratum et ab Horatio vate compositum recitasse.

36. *Pollicis ictum.* Nervos lyræ feriebant fidicines, pollice præsertim et indice. Ita loquitur Horatius, ut si lyram revera tangeret argutâ manu, interim dum suos versus pueri virginesque modularentur. Vel, numeros et modos versuum significat, *l'air, la cadence*, qui tunc maximè notantur, cum versus canuntur ad lyram.

37. *Puerum Latonæ.* Filium. Apollinem *Noctilucam.* Dianam, quæ noctu lucet. Est enim eadem atque luna.

39. *Prosperam frugum.* Ita dicitur *felix animi: fortunatus laborum: integer vitæ, etc.* Quos genitivos adsciverunt Latini à Græcis subaudire solitis adverbium ἕνεκα.

Pronos. Citò vergentes ad finem. Facilior est et celerior cursus in loco prono et declivi. Hinc sumpta metaphora.

42. *Seculo.* Post exactum seculum celebrabantur apparatissimi ludi, celeberrimæ feriæ, etc.

Ode VI.

Ad Torquatum, ut mortis meminerit.

Diffugêre nives, redeunt jam gramina campis,
Arboribusque comæ:
Mutat terra vices, et decrescentia ripas
Flumina prætereunt:
Gratia cum Nymphis, geminisque sororibus, audet
Ducere nuda choros.
Immortalia ne speres, monet annus, et almum
Quæ rapit hora diem.
Frigora mitescunt Zephyris, ver proterit æstas
Interitura, simul
Pomifer autumnus fruges effuderit; et mox

Nullæ jam nives apparent, restituuntur sua campis gramina, suæ arboribus frondes : tellus jucundâ permutatione, pro tristi hyeme, ver amœnum accipit : detumescunt fluvii, suisque se ripis continent; choreis indulgent Gratiæ tres cum Nymphis. Annus hâc tempestatum suarum continuâ quasi morte, horæ ipsæ, quæ dies singulos tantâ celeritate finiunt, satis te admonent ne vitam tibi adpromittas mortis expertem. Acerbitas hyemis verno Zephirorum flatu mitigatur, vernam temperiem excipiunt æstivi calores, qui deinde franguntur, simul atque

4. *Prætereunt.* Ea vox duplicem habere sensum potest: fluunt propter secundum, ripas; vel ultra, supra ripas fluunt: ut priore sensu hîc interpretemur admonet vox *decrescentia*, quæ legitur in præcedente versiculo. Est igitur *prætereunt* in loco, secundùm ripas, intra suum alveum: decurrunt; non ultro citroque effunduntur.

5. *Gratia.* Tres Gratiæ sunt, quæ Charites vulgo appellantur. Pinguntur Gratiæ sine vestibus, quia beneficentia debet esse sincera, fuci omnis et simulationis expers.

Audet. Quæ antea propter hyemem prodire non audebat.

7. *Almum.* Ducitur ea vox à verbo, *alo* : significatque lætum aliquid, salutare, et prosperum.

9. *Proterit.* Æstas ita sequitur ver, ut pedem quasi pede premat : ut illud tandem consumat et deleat.

Bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant cœlestia lunæ:
Nos ubi decidimus
Quò pius Æneas, quò Tullus dives, et Ancus,
Pulvis, et umbra sumus.
Quis scit an adjiciant hodiernæ crastina summæ
Tempora Dì superi?
Cuncta manus avidas fugient heredis, amico
Quæ dederis animo.
Cùm semel occideris, et de te splendida Minos
Fecerit arbitria,
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te

autumnus fructuum proventu lætus advenit : ac, brevi tempore interposito, hyems pigra revertitur. Cæterùm Luna detrimentum lucis, quod singulis mensibus patitur, brevi resarcit, orbemque plenum recipit: nos ubi semel delapsi fuimus in eum locum, in quem Æneas, Tullus, et Ancus jam devenerunt, in pulvere, inter Umbras, nunquam reparandi nec redituri, jacemus. Cuinam exploratum est an Superi diem crastinum ipsius vitæ sint addituri? Quemcumque feceris sumptum in genio curando, quicquid eo pacto consumpseris, in id omne nihil avaris heredibus juris aut potestatis erit. Ubi semel mortem obieris, ac

13. *Damna cœlestia.* Exponebam olim, Lambinum secutus, brumæ incommodata, et aliarum tempestatum; sive detrimenta quæ patiuntur, cùm aliæ alias trudunt, expelluntque. Ver enim suos flores amittit, æstas messes, etc. quæ damna reparantur ac resarciuntur, ope Lunæ præsertim, cujus præcipua vis in terras et fruges, cum annus vices mutat. Cœlestia vocantur hæc damna, quia inferuntur à Luna et sideribus cœlestibus; vel quia in cœlo, hoc est, in aëre maximè sentiuntur et apparent.

15. *Tullus.* Cognomento Hostilius, tertius Romanorum rex. Illi suffectus est Ancus Marcius.

18. *Dì superi.* Ii vivorum gerebant curam, ut inferi mortuorum.

21. *Minos.* Cretæ rex, justitiæ laude clarus eam ob rem jus apud inferos dicere cum Eaco et Rhadamantho traditus.

22. *Arbitria.* Judicia. Vulgo, arbiter, judex privatus est, qui controversiam inter litigantes ortam dirimit amicè.

21. *Splendida.* Publica, superba.

23. *Genus.* Ducebat genus à Manlio, qui Torquatus est appellatus à torque, quem militi Gallo ad Anienem cæso detraxerat.

Restituet pietas:
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum:
Nec Lethæa valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

Minos de te, tuâque sorte, pro imperio statuerit, non te, mi Torquate, natalium splendor, non eloquentia, non pietas revocabit ab inferis: quandoquidem nec ipsa Diana Hippolytum ex illis tenebris ad lucem truducere potest; nec Theseus amicum Pirithoum Stygiis vinculis eximere.

26. *Hippolytum.* Thesei, et Hippolytæ Amazonis, filium, qui à Phædrâ novercâ delatus apud patrem est tanquam de stupro ipsam appellasset. Theseus filio male precatus, rogavit Neptunum ut pœnas ab eo repeteret. Neptunus eduxit è mari phocas, cùmque Hyppolytus iram creduli parentis effugere, conscenso curru, tentaret, ab equis Phocarum conspectu exterritis abreptus est in scopulos et littoreas cautes, ibique discerptus. Hunc postea Æsculapius à Dianâ exoratus revocavit ab inferis, et vitæ restituit. Hanc fabulæ partem videtur hîc Horatius non tam ignorasse quam irridere Ovid. xv. Metam. totam fusè describit.

27. *Lethæa.* Lethê, fluvius est Inferorum, cujus aquam ubi primum delibassent Manes, rerum omnium, quas in vitâ egerant, obliviscebantur. Λήθη oblivio.

28. *Pirithoo.* Ille ita cum amico Theseo pactus est, ut ambo uxorem, nisi ex Jove natam, nullam ducerent. Theseus Helenam rapuit, Pirithous ad rapiendam Proserpinam ad Inferos profectus Theseo comite à Cerbero correptus, et à Plutone in vincula conjectus fuit, cum ipso Theseo, quem postea Hercules liberasse fertur, Pirithoo in vinculis hærente.

Ode VII.

Amico diviti mittit carmina, et quantum sit hujusmodi muneris pretium, declarat.

Donarem pateras, grataque commodus,
Censorine, meis æra sodalibus;
Donarem tripodas, præmia fortium
Graiorum; neque tu pessima munerum
Ferres, divite me scilicet artium,
Quas aut Parrasius protulit, aut Scopas;
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Solers nunc hominem ponere, nunc Deum.
Sed non hæc mihi vis; non tibi talium
Res est, aut animus deliciarum egens.
Gaudes carminibus, carmina possumus
Donare, et pretium dicere muneri.
Non incisa notis marmora publicis,

Libenter equidem amicis meis dono darem, Censorine, scyphos, et signa ærea prisco artificio elaborata; darem tripodas, quibus apud Græcos ii donabantur, qui alios robore superassent. Neque tibi præcipua et prima ex illis muneribus non mitterem, si videlicet egregiis illis aut statuis aut tabellis abundarem, quas tam insigni arte ac industriâ Parrhasius aut Scopas produxerunt, quorum quidem hic saxeas, ille pictas hominum aut Deorum imagines felicissimè expressit. Mihi verò facultas et copia rerum istarum, quæ ad ornatum et delicias expetuntur, non est; nec tu iisdem cares, aut eas admodum concupiscis. Versibus delectaris, dare versus possum, et istius

1. *Commodus.* Benignum, liberalem, et munificum intellige.

2. *Censorine.* Ornatissimus vir fuit, qui Consulatum gessit anno urbis conditæ 746.

3. *Tripodas.* Eâ munera maximè Homerus commendat. Tripus est vas, aut instrumentum aliud quodlibet, ut mensa, sella, etc. pedibus ternis fultum.

5. *Artium.* Operum artefactorum: rerum affabre factarum.

6. *Parrhasius.* Ephesinus pictor insignis. *Scopas.* Statuarius.

13. *Notis.* Elogiis, et ins-

Per quæ spiritus, et vita redit bonis
Post mortem ducibus: non celeres fugæ,
Rejectæque retrorsum Annibalis minæ;
Non impendia Carthaginis impiæ,
Ejus, qui domitâ nomen ab Africâ
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quàm Calabræ Pierides: neque,
Si chartæ sileant, quod bene feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliæ,

muneris pretium dignitatemque declarare. Non illustres tituli marmoreis statuis ac monumentis publicè positis insculpti, qui efficiunt ut viri fortes mortui quodammodo renascantur et reviviscant; non Annibal fugere compulsus, et in Africam redire post atroces minas frustra jactatas; non perfidæ Carthaginis incensa mœnia, nomen Scipionis Africani clariùs illustrant, quàm Ennii versus. Age, quid mercedis ob res egregiè gestas accipies, si earum memoriam litteris consignatam libri ad

criptionibus. Propriè vocabant notas, compendia, vocum, et contracta ad unam alteramve litteram vocabula, ut fere fit in inscriptionibus.

16. *Rejectæ, etc.* Scipiones duo fuere, Africani dicti: alter Africanus major, Annibalem in Italiæ visceribus hærentem, et extrema omnia Romæ minitantem, transportàto in Africam bello retraxit ac rejecit ab Italiâ, et in Africam redire compulit. Idem Pœnos victos tributo multavit, confecitque post annos 17. secundum bellum Punicum, quod anno urbis conditæ 536. inchoatum fuerat. Alter, Scipio Africanus minor dictus, sive Æmilianus, quia Pauli Æmilii filius cùm esset, adoptatus fuerat à filio majoris Africani, Carthaginem delevit, ac incendit, absolvitque post annos quatuor tertium bellum Punicum, quod anno urbis conditæ 605. erat initum.

20. *Calabræ Pierides.* Ennius: Poëta Latinus antiquissimus, patriam habuit Rudias, quod oppidum est Calabriæ, in Italiâ. Scripsit res gestas Scipionis Africani majoris, cujus æqualis fuit, in octodecim Annalium, quos ab urbe condita deduxerat, libris, qui omnes, si paucula fragmenta excipias, perierunt. Ait igitur Horatius, non tantam ex tot Africanis triumphis gloriam Scipiones collegisse, quantam ex unius Ennii versibus. Utrumque porrò Scipionem conjungit propter nominis et rerum gestarum affinitatem, licèt unius majoris Africani laudes cecinerit Ennius, qui jam obierat cum Carthago est incensa.

22. *Iliæ.* Hæc Numitoris filia, mater Romuli fuit.

Mavortisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli?
Ereptum Stygiis fluctibus Æacum
Virtus, et favor, et lingua potentium
Vatum divitibus consecrat Insulis.
Dignum laude virum Musa vetat mori,
Cœlo Musa beat: sic Jovis interest
Optatis epulis impiger Hercules:
Clarum Tyndaridæ sidus ab infimis
Quassas eripiunt æquoribus rates:
Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

posteros non transmittant? Quis Romulum Iliæ Martisque filium nosset, si ejus in Romanam rem merita, si præclara facinora, oblivio, et silentium historicorum nobis invidisset? Æacus poëtarum facultati, favori, et carminibus, acceptum refert, quòd Stygem, ut cæteri mortui, non transmiserit, sed in Elysios delatus campos, insulasque fortunatas, ibi summo habeatur in honore, et tanquam numen colatur. Musæ viros præstantes leto eripiunt, cœloque inserunt. Earum beneficio laboriosus Hercules Jovis mensæ accumbit: Castor et Pollux, qui præcipuum inter sidera locum obtinent, naves tempestate confractas à naufragii periculo liberant: Bacchus pampineâ coronâ redimitus cultores suos votorum compotes facit.

25. *Stygiis.* Styx erat fons Arcadiæ in Græciâ, tam frigidus, ut frigore suo necaret bibentes, ferrum eroderet, ac solâ mulæ ungulâ contineri posset, aliis, quibus infunderetur, vasis, frigoris vi, diruptis. Hinc ille fons ex inferorum palude manare dictus à poëtis. Eâ verò palus tanto erat apud superos in honore, ut nefas ducerent conceptum per Stygem jusjurandum violare; ac si quis contra fecisset, totos centum annos nectare careret.

27. *Divitibus insulis.* Campos Elysios Poëtæ quidam Homero duce posuerunt in insulis fortunatis ad Hispaniam sitis. Græci vocant, insulas fortunatas, ex Strabone, sitas ad finem Mauritaniæ; Latini dicunt, et in iis quidam statuunt Campos Elysios, quos describit Virgilius Æneidos Lib. 6. ver. 640.

31. *Tyndaridæ.* Filii Tyndari.

Ode VIII.

Excorsus à commendatione poëseos ad laudes Marci Lollii delabitur.

Ne forte credas interitura, quæ
Longe sonantem natus ad Aufidum,
Non ante vulgatas per artes
Verba loquor socianda chordis.
Non, si priores Mæonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricæ latent,
Ceæque et Alcæi minaces,
Stesichorique graves Camœnæ:
Nec, si quid olim lusit Anacreon,
Delevit ætas: spirat adhuc amor,
Vivuntque commissi calores
Æoliæ fidibus puellæ.

Noli arbitrari versuum lyricorum, quos ego vates Apulus, Latinis ad hanc diem ignotos, edo, famam aliquando extinctum iri. Tametsi primas Homerus in grege poëtarum obtinet, non idcirco tamen Pindarus, Simonides, Alcæus, et Stesichorus, nullo loco ac numero sunt. Necdum molles Anacreontis versiculos vetustas obliteravit. Leguntur adhuc lyrica Sapphonis poëtriæ carmina, in quibus suos amores ita graphicè depictos reliquit, ut vivere adhuc in iis et spirare videantur. Non sola

2. *Aufidum.* Apuliæ fluvium, *l'Ofanto.*

4. *Socianda chordis.* Lyrici versus dicti sunt eo quòd ad Lyræ numeros canerentur, voxque fidibus juncta concentum efficeret.

Minaces. Quibus videlicet tyrannos est insectatus.

8. *Stesichori.* Poëta Lyricus fuit, oriundus Himerâ urbe Siciliæ, alio nomine Tisias dictus; qui, teste Quintiliano Lib. X. maxima bella cecinit, et Epici carminis onera Lyrâ sustinuit.

9. *Anacreon.* Poëta Lyricus; ejus patria Teos, Ioniæ civitas: extant etiamnum illius versiculi cultissimi. Periit strangulatus acino uvæ passæ, ut tradit Plinius Lib. VII. c. 7.

12. *Æoliæ puellæ.* Sappho hæc fuit, insignis poëtria, inventrix ejus carminis, quod ab eâ Sapphicum appellatur. Amavit præcipuè Phaonem quemdam, cujusque ad eam

Non sola comptos arsit adulteri
Crines, et aurum vestibus illitum
Mirata, regalesque cultus,
Et comites, Helene Lacæna:
Primusve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu: non semel Ilios
Vexata; non pugnavit ingens
Idomeneus, Sthenelusve solus
Dicenda Musis prælia: non ferox
Hector, vel acer Deiphobus graves
Excipit ictus pro pudicis
Conjugibus, puerisque, primus.
Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illacrymabiles

Helena formam adulteri et cæsariem, ac vestes auro discretas, ornatumque regium et comitatum, adamavit: nec primus omnium Teucer sagittas pulchrè scienterque torsit, arcumve tractavit. Non semel obsessa Troja fuit; non soli Sthelenus, et Idomeneus, rem fortiter ac strenuè gesserunt in bello; et digni, quos Musæ celebrarent, fuerunt. Non primus Hector aut Deiphobus pro tuendâ conjugum ac liberorum suorum libertate et salute, hostium se telis ac vulneribus objecerunt. Plurimi ante Agamemnonem viri fortes et generosi extitere, sed

extat epistola inter Ovidianas Heroïdum litteras: ab eo cùm sperneretur, in mare sé præcipitasse dicitur.

13. *Adulteri.* Helena, Menelai regis Laconiæ in Græciâ, uxor, maritum suum reliquit ut Paridem filium Priami regis Trojæ, qui tum fortè ad Menelaum diverterat, sequeretur. Quæ Trojani belli causa fuit.

14. *Arsit crines, etc.* Ardeo, pro, amo, cum accusandi casu jungitur. Quod plerisque verbis neutris accidit, cùm metaphoricè sumitur. Virgil. *Coridon ardebat Alexim.* Vel, *arsit*, explica amore flagravit, et junge vocabulum *crines*, cum verbo *mirata:* arsit, mirata crines Paridis, etc.

16. *Lacæna.* Lacedæmonia.

Cydonio. Cydon, urbs Cretæ insulæ non ignobilis. Præstabant autem Cretenses arte jaculandi.

18. *Non semel*, etc. Olim ab Hercule, post modum ab Amazonibus, denique à Græcis, obsessa Troja fuit.

20. *Idomeneus Sthenelus.* Duces primarii Argivorum, Hector et Deiphobus, filii Priami. De Deiphobo Lib. VI. Virgilii, versu 500. Agamemnon, Atrei filius, fuit, Menelai frater, Græcorum rex.

Urgentur, ignotique longâ
    Nocte, carent quia vate sacro.
Paulùm sepultæ distat inertiæ
Celata virtus. Non ego te meis
    Chartis inornatum silebo,
        Totve tuos patiar labores
Impune, Lolli, carpere lividas
Obliviones. Est animus tibi
    Rerumque prudens, et secundis
        Temporibus, dubiisque rectus;
Vindex avaræ fraudis, et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniæ;

eorum mortem, æternâ sepultam oblivione, lacrymis nemo prosequitur, quia res eorum gestas nullus vates litteris ac memoriæ prodidit. Fortitudo tecta silentio et ignorata, parum abest ab ignaviâ quæ in tumuli tenebris delitescit. Ego verò, Lolli, non committam ut te ac præclaros tuos labores indictos illaudatosque prætercam; utque merita præmia illis invidens oblivio, splendorem ipsorum imminuat paulatim et obscuret. Dicam animum tuum insigni præditum prudentiâ, et in adversis juxta prosperisque rebus constantem et æquabilem. Dicam singularem abstinentiam, quâ non modò spernis illecebras pecuniæ, quibus omnes capiuntur, verùm etiam eos ulcisceris et plectis qui dolosis artibus avaritiæ suæ velificantur. Intelligent è meis carminibus posteri, te non uno tantùm anno Consulem extitisse, sed toties

29. *Distat*, etc. Inertiæ, hoc in loco ponitur in dandi casu, quem Poëtæ passim usurpant pro casu auferendi cum præpositione, *distat inertiæ*: pro, distat ab inertiâ. Vir fortis cujus egregia facinora silentio premuntur, quantulum distat ab ignavo, cujus inertiam idem, qui corpus, tumulus tegit.

33. *Lolli.* Bella contra Germanos diuturna Lollius gesserat, itemque in Asiâ, etc. Consul fuerat anno U. C. 733. Demum ob prudentiam et spectatam fortitudinem datus fuit ab Augusto moderator juventæ C. Cæsaris. Postea tamen egregios mores illos dedidicit, et collectam, dum Horatius viveret, famam inquinavit, ut testatur Velleius Paterculus Lib. II. cap. 102.

35. *Rerum prudens.* Rerum cognitione præstans; vel rerum futurarum providus.

36. *Dubiis temporibus.* Cùm Lollius Germanos difficili bello vexaret, ab iis victus semel et fugatus fuit, quæ *clades Lolliana* est appellata. Labem hanc tamen postmodum eluit hostium sanguine, quos secundis præliis non semel superavit.

Consulque non unius anni,
Sed quoties bonus atque fidus
Judex honestum prætulit utili, et
Rejecit alto dona nocentium
Vultu, et per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma.
Non possidentem multa, vocaveris
Rectè beatum: rectiùs occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati,
Pejusque letho flagitium timet.
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

illius summi magistratûs gloriam ac laudem esse promeritum, quoties in dijudicandis negotiis fidem secutus ac probitatem, majorem honestatis, quàm utilitatis rationem habuisti, reorum munera erecto vultu respuisti, atque hostium variorum, à quibus justitia impugnatur, agmen invictus integerque perrupisti. Non est ille, non est discendus felix, qui opibus circumfluit: illi nomen hoc debetur æquiùs, qui novit uti sapienter Superûm donis, necnon ferre patienter paupertatis incommoda; qui emori millies, quàm peccare, mavult; qui pro amicis aut patriâ mortem fortiter oppetere non dubitat.

39. *Consul.* Quod Horatius animum Consulem, Judicemque vocet, facit licentiâ vatibus lyricis usitatâ. Audacter quidem, at verè; nam animo sumus, quicquid sumus.

44. *Explicuit sua arma.* Viam sibi armis aperuit, evasit in tutum et apertum locum ex angustiis, et acie mediâ. Sic Virgil. *Latum limitem agit ferro.* Catervæ obstantes justitiæ, sunt munera, largitiones, favor, adulatio, et cæteræ id genus pestes.

Ode IX.

Ligurum de formâ sibi nimiùm placentem admonet.

O Crudelis adhuc, et Veneris muneribus potens,
Insperata tuæ cùm veniet pluma superbiæ;
Et, quæ nunc humeris involitant, deciderint comæ,
Nunc et qui color est puniceæ flore prior rosæ,
Mutatus, Ligurine, in faciem verterit hispidam,
Dices, heu! (quoties te in speculo videris alterum,)
Quæ mens est hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel cur his animis incolumes non redeunt genæ?

O Ligurine, ferox et superbus es, ob virentem adhuc, ætate hâc tuâ, formam, tibi Veneris dono concessam. Sed cùm barba tuas illas læves et imberbes, quarum candore nunc superbis et gloriaris, genas, præter spem, invaserit; cùm capilli oblongi, qui tibi nunc per humeros bellè fluitant, senio dilapsi fuerint; cùm ille oris tui purpureus color, qui rosas nunc vincit, deperditus, ac mutatus, illum elegantem Ligurinum in deformem hirsutumque transformaverit: tunc in eas voces erumpes, quoties te in speculo, tantoperè mutatum à te ipso, conspicies; heu! cur ego, puer cùm essem, non hunc habui animum quem jam habeo! vel cur non mihi, hac mente nunc prædito, restituitur pristina illa pulchritudo!

2. *Pluma.* Solent avium pulli, cùm recentes illis veniant plumæ, hirsuti esse atque hispidi.

Superbiæ. Formæ, vultui juvenili et imberbi, qui te superbum facit. Est qui exponat: *Quum veniet pluma superbiæ tuæ*, cùm avolaverit tua pulchritudo: duriusculè.

7. *Cur eadem*, *etc.* Nimirum non tam juveniliter exultassem, et gloriatus forem ob formam, quæ quàm fragile bonum sit, ac puerile hodie intelligo.

8. *His animis.* Mihi probo, et pudico.

Ode X.

Celebraturus domi suæ natalem Mœcenatis diem opiparis epulis, Phylidem ad eas invitat.

Est mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus; est in horto,
Phylli, nectendis apium coronis,
Est ederæ vis
Multa, quâ crines religata fulges:
Ridet argento domus: ara castis
Vincta verbenis avet immolato
Spargier agno.
Cuncta festinat manus: huc et illuc
Cursitant mistæ pueris puellæ;
Sordidum flammæ trepidant rotantes
Vertice fumum.
Ut tamen noris quibus advoceris

Phylli, dolium Albano vino ante novem annos condito plenum habeo domi, habeo in horto apium ad conficiendas coronas idoneum, necnon ingentem copiam ederæ, quam capiti implexam non sine dignitate gestas: aurea supellectili domus mea nitet; ara verbenis puris redimita, immolati agni cruore imbui gestit; famulorum grex omnis sua olive festinat munia; servi et ancillæ ultro citroque cursant; et uberiorem fumum trepido motu ignis è camino propellit. Ne tamen nescias quæ causa sit tam læti apparatus et epularum, ad quas invitaris, celebrandæ tibi sunt

2. *Albani.* Alba, urbs Latii, cujus in collibus vina generosa.

3. *Apium.* Hæc herba, quæ vulgò vocatur *de l'ache*, uti et hedera; valere credebatur ad fumos vini discutiendos, et arcendam ebrietatem.

6. *Ridet.* Renidet, ac hilaritatem quandam præ se fert.

7. *Verbenis.* Verbena, herba quædam, Gallis *de la verveine*, in sacrificiis adhiberi solebat.

12. *Vertice rotantes fumum.* Attollentes fumum usque ad tectum, usque ad culinæ lacunar, undatim, instar turbinis.

Gaudiis, Idus tibi sunt agendæ,
Qui dies mensem Veneris marinæ
Findit Aprilem :
Jure solemnis mihi, sanctiorque
Pænè natali proprio, quòd ex hac
Luce Mæcenas meus affluentes
Ordinat annos.

apud me Idus Aprilis mensis, qui Veneri sacer est. Hic verò dies meritò mihi festus est, ac propè honoratior meo ipsius natali, quòd illo die natus sit Mæcenas, ex eoque ordinem et numerum inire suorum annorum incipiat.

14. *Idus.* Dies decima quinta in mensibus Maio, Octobri, Julio, ac Martio; in aliis autem mensibus, decima tertia, Idus erant; sic dictæ ab Hetruscâ voce, *Iduare*, hoc est, dividere, quia mensem in duas partes dividebant. A Kalendis usque ad Nonas intercedebant vulgò dies quatuor, ita ut Nonæ inciderint in diem quintum; præterquam in mensibus quatuor supra memoratis; intererant enim in illis mensibus à Kalendis ad Nonas dies sex, et Nonæ incurrebant in diem 7. At vero à Nonis ad Idus, dies octo semper numerabantur.

15. *Marinæ.* Venus è maris spumâ orta esse dicebatur. Huic sacer Aprilis erat, quia verna tempestas terræ sinum aperit, ac frugibus procreandis favet.

17. *Jure.* Propter amicitiam quæ mihi cum Mæcenâte intercedit.

Solemnis. Non tantum significat ea vox festum diem, sed eum, qui status etiam fixusque sit, qui certo anni tempore et omnibus annis recurrat. Hinc dicitur eadem vox de re usitatâ, quæ cum aliquâ curâ et religione servetur.

19. *Affluentes.* Alios aliis advenientes, addendosque, ut aquam aqua in fluvio consequitur.

Ode XI.

Virgilium ad cœnam vocat.

Jam veris comites, quæ mare temperant,
Impellunt animæ lintea Thraciæ:
Jam nec prata rigent, nec fluvii strepunt
Hybernâ nive turgidi.
Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix avis, et Cecropiæ domûs
Æternum opprobrium, quòd malè barbaras
Regum est ulta libidines.
Dicunt in tenero gramine pinguium
Custodes ovium carmina fistulâ;

Jam Zephyri, qui ver comitantur, ac maris procellas et asperitatem mitigant, navium propulsant vela; jam prata gelu soluto mollescunt; jam fluvii, quos per hyemen nives auxerant, detumescunt, ac leniùs fluunt. Nidum extruit, filium suum Ityn à se interfectum miserabiliter lugens hirundo infelix, quæ æternum regiæ Atheniensium familiæ dedecus inussit, quia regis barbari libidinem perperam vindicavit. Pastores in herbâ molliter fusi meditantur agrestes cantilenas in honorem Panos,

2. *Animæ Thraciæ.* Hoc vocabulum *anima.* dictum est è Græcâ voce ἄνεμος, *ventus;* hinc venti vocantur animæ. Adde quòd anima continetur maximè, et indicatur ducendo spiritu. Sed cur Zephiri appellantur Thracii? Quia flant ab occidente. Est autem Thrasia pars orbis occidui, quamvis ad septentrionem magis vergat, præsertim si eam spectes ex Asiâ, ubi erat Homerus, ex quo Horatius hoc videtur epithetum sumpsisse: is enim lib. IX. Iliad. v. 5. Boream et Zephyrum è Thraciâ flare dicit.

6. *Infelix avis.* Progne, Pandionis, Atticæ regis, filia, cùm à Tereo marito suo vim allatam Philomelæ sorori suæ cognovisset, filium Itym coctum et elixum ipsi Tereo epulandum apposuit. Ipsa porro in hirundinem mutata est, Philomela, in lusciniam, etc, Ovid. XI. Metam.

Cecropiæ. Cecrops Atheniensium rex primus fuit.

7. *Malè ulta.* Nimirum proprio filio per inauditam crudelitatem cæso.

Regum. Terei, regis Thraciæ, viri sui.

Delectamque Deum, cui pecus et nigri
Colles Arcadiæ placent.
Adduxere sitim tempora, Virgili:
Sed pressum Calibus ducere Liberum
Si gestis, juvenum nobilium cliens,
Nardo vina merebere.
Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpiciis accubat horreis,

cui pecora curæ, et Arcadiæ nemorosi colles cordi sunt. Tempestas calidior sitim conciliat, Virgili; quam tu si Caleno vino levare amas, ô juvenum nobilium cultor et comes, vinum ipse apponam, tu unguentum nardinum velut symbolam afferes: ego verò cadum integrum, nunc in Sulpicii apothecis conditum, et mirificâ vi ad implendos affatim bonâ spe animos, curasque vel acerbi-

12. *Arcadiæ.* Est Græciæ regio, in Peloponneso media, montibus et pasculis abundans, ideoque Pana pastorum Deum, velut peculiare numen, sibi vindicabat. Oppida ejus erant præcipua, Mantinea, Tegea, et Stymphalus.

13. *Tempora.* Censet Lambinus hoc intelligendum esse, non de anni, sed diei tempore. Romani quippe sub noctem vescebantur, atque adeo sitim totâ die colligebant. Hoc tamen quin de ipsâ tempestate anni interpretemur nihil vetat, cùm in Italiâ vernum tempus calidius esse soleat.

14. *Calibus.* Cales, urbs Italiæ, non procul Capuâ: cujus ager optimi vini ferax.

Pressum. Torculari expressum ac subactum.

Ducere. Potitare, haurire.

15. *Juvenum.* Drusi, Tiberii, etc. Eos enim Virgilius poëta, non Horatio solùm, sed ipsi Augusto et aulæ toti carus, colebat ac frequens visebat. Torrentius ad Caïum et Lucium Cæsares, Augusti filios, refert, qui principes Juventutis dicti fuere, ut in veteribus nummis legitur. Cliens propriè significabat apud Romanos civem tenuiorem, qui se in fidem ac tutelam potentioris alicujus ac ditioris conferebat, et eum, ut parentem filius, colebat.

16. *Nardo.* Nardus est arbuscula odorata, cujus è foliis conficiebatur olei genus quoddam et unguenti, quo perfundebant caput epulantes.

17. *Onyx.* Lapis pretiosus, unguis humani, cujus nomen habet: (ὄνυξ enim Græcis unguem significat,) colorem referens. Ex eo faciebant vascula unguentaria. Est etiam conchylii testa, ut ait Dioscorides, Lib. II.

18. *Sulpiciis horreis.* Sulpicius publicas apothecas ingentes habebat Romæ, in quibus merces omnis generis asservabantur.

Spes donare novas largus, amaraque
Curarum eluere efficax.
Ad quæ si properas gaudia, cum tuâ
Velox merce veni: non ego te meis
Immunem meditor tingere poculis,
Plenâ dives ut in domo.
Verum pone moras, et studium lucri;
Nigrorumque memor, dum licet, ignium,
Misce stultitiam consiliis brevem.
Dulce est desipere in loco.

simus detergendas præditum, non dubitabo tibi pro exiguo tuo nardi vásculo rependere. Age ergo, si te istius bonitas meri capit, festina cum tuâ illâ symbolâ, cum tuo nardi onyche. Neque enim mihi animus est vinum generosum tibi nihil ad epulas de tuo contribuenti apponere, quo more à divitibus accipi hospites vacui solent. Cæterum accelera, neque tibi moras lucri amor injiciat; sed instantis mortis ac rogi memoria te, dum est integrum, adducat, ut graviora negotia sapientesque curas, stultitiâ brevi gaudiisque solutioribus ac jocis temperes. Indecorum non est, cùm res tempusque fert, insanire.

Accubat. Quiescit, acclinatus est.

19. *Largus donare.* Græco more dictum, ut aliâ id genus plurimâ: pro largus et munificus ad donandum, in donando.

23. *Immunem.* Nihil muneris dantem, atque, ut loquitur Terentius, asymbolum, id est, sine symbolâ, et collectâ.

25. *Lucri.* Eâ vox, et alia quarto ante versiculo posita, *merce*, persuasit nonnullis interpretibus hunc, de quo hîc agitur, Virgilium, non vatem vulgò notum, sed unguentarium quempiam ejusdem nominis: sed utramque vocem de poëta Virgilio dici per jocum ab Horatio potuisse facilè adducor ut credam: præsertim cùm opes non modicas suis versibus Maro collegisset: ac nardi symbolâ, dici merx quædam possit, quâ vina veluti emantur, si convivas inter ita fuerit constitutum.

26. *Dum licet.* Dum vita manet, dum fert ætas.

28. *Desipere.* Paulo liberaliùs genio indulgere.

In loco. Opportunè: ἐν καιρῷ.

Ode XII.

Vetulam irridet.

Audivere, Lyce, Dî mea vota, Dî
Audivere, Lyce: fis anus, et tamen
Vis formosa videri,
Ludisque, et bibis impudens:
Importunus amor transvolat aridas
Quercus, et refugit te, quia luridi
Dentes, te quia rugæ
Terpant, et capitis nives.
Nec Coæ referant jam tibi purpuræ,
Nec cari lapides, tempora quæ semel
Notis condita fastis
Inclusit volucris dies.
Quò fugit Venus? heu! quò heu! color! decens
Quò motus? Quid habes illius, illius
Quæ spirabat amores,

Tandem voti sum compos, ô Lyce; quod precatus eram à Superis, accidit: senescis, ac nihilominus videri gestis elegans, et formâ studes: in ludo et conviviis, omni pudore deposito, frequens et multa es. Improbus et levis Cupido huc illuc temerè volitans, præterit vetulas quercus: ac te aversatur et deserit, quia flavi et putridi dentes, quia rugosa frons, quia cani te fœdam ac deformem reddunt. Neque pellucens vestis et Coo tincta murice; neque radiantes gemmæ restituere tibi possunt annos, quos tempus publicis fastis consignatos mandavit. Quò abierunt illæ Veneres et illecebræ tuæ, quò formosus color, quò decori et habiles ad saltationem et quemlibet corporis motum, artus? Quid jam ex illâ tibi restat facie, ex illâ, inquam, in quâ Cupidi-

9. *Coæ purpuræ.* Cos insula maris Ægæi, Cariæ adjacens, non procul à Rhodo, Appellis patria. In eâ texebantur vestes eximiè subtiles ac delicatæ, ex bombyce purissimâ.

11. *Fastis.* Fasti, volumina publica et tabulæ, in quibus res annis singulis tum foris, tum in urbe gestæ prescribebantur, memoriæ publicæ causâ, præfixis in primâ paginâ, Consulum, qui, unoquoque anno ineunte, fasces sumebant, nominibus.

Quæ

Quæ me surpuerat mihi,
Felix post Cynaram, notaque, et artium
gratarum facies? sed Cynaræ breves
Annos fata dederunt,
Servatura diu parem
Cornicis vetulæ temporibus Lycen;
Possent ut juvenes visere fervidi,
Multo non sine risu,
Dilapsam in cineres facem.

nes omnes et Charites habitare videbantur? Quæ mihi me surripuerat, quæ numeros omnes et partes venustatis atque artes habebat, quæ formæ, secundùm Cynaram, specimen egregium olim erat? Sed breve spatium vitæ concessum Cynaræ à fatis fuit: diuturnum verò Lycæ, ævoque cornicum par, ut juventus proterva faciem extinctam et in cineres redactam aliquando cerneret, ac irrideret.

17. *Cynaram.* Hanc alibi laudat Horatius.

18. *Artium facies gratarum.* Illecebrarum plena.

ODE XIII.

Drusi, ac præsertim Tiberii, victorias ascribit Augusti auspiciis et felicitati.

QUÆ cura Patrum, quæve Quiritium,
Plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, virtutes in ævum
Per titulos, memoresque fastos
Æternet? O quà sol habitabiles

Quam satis magnam adhibere curam poterit Senatus populusque Romanus, ut eximiis monumentis, honorificis elogiis, et incisis in æs marmorque titulis, tuum, Auguste Cæsar, nomen ac virtutes tuas immortalitati consecret, easque fastis, perennem

1. *Patrum.* Senatores Romani, Patres vocabantur, tum quia senatus primùm è senibus conflatus fuerat; tum quia paternam Reip. curam gerere debebant. Adde quòd ipsum patris nomen venerationem et amorem spirat.

Illustrat oras, maxime principum,
Quem legis expertes Latinæ
Vindelici didicere nuper,
Quid Marte posses: milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus,
Breunosque voloces, et arces
Alpibus impositas tremendis
Dejecit acer, plus vice simplici.
Major Neronum mox grave prælium
Commisit, immanesque Rhætos
Auspiciis pepulit secundis;

rerum à te gestarum memoriam ser:aturis mandet! O principum, quoscumque sol, dum terras obit, videt, clarissime! ô fortissime imperatorum et fortunatissime, cujus bellicas vires experti nuper sunt Vindelici, nondum antehac Romano jugo subditi! Tuis videlicet copiis Drusus non semel Genaunos, ferocem populum et impacatum, profligavit; delevit Breunos, eorumque arces in præruptis Alpium jugis extructas evertit. Nec ita multò post ejus frater natu major, atroci pugnâ cum Rhœtis decertavit, ac eosdem faustis ominibus contudit. Illum mediâ in acie intueri juvabat,

8. *Vindelici.* Victi fuere ann. U. C. 738.

9. *Quid Marte posses.* Quem didicere, quid Marte posses. Hæc locutio ad similitudinem Græci sermonis expressa est. Ita enim Græci dicerent, ὃν ἔμαθον τί ἂν δύναιο.

10. *Genaudos, Breunos.* Finitimi erant Noricis et Vindelicis, Alpesque inhabitabant. Legunt aliqui Brennos.

13. *Plus vice simplici.* Exposui, non semel: potest aliter explicari, nempe, non tantùm iis vicem reddidit, et par pari retulit, sed multò majorem iis cladem intulit quàm ab iisdem acceperat.

14. *Major Neronum.* Tiberius Claudius Nero. Is fratri suo Druso fuerat ab Augusto missus quasi adjutor et socius gloriæ, bellique, prope jam per Drusum confecti. Minor erat natu Drusus Tiberio annis ferme quatuor.

16. *Auspiciis.* Auspicium definiri potest, significatio et præmonstratio quædam rei futuræ, ducta ab avium inspectione ac volatu. Si enim Augur certas aves in definitâ cœli parte transvolantes aspexisset, pronunciabat de rei eventu; eumque faustum vel sinistrum fore affirmabat. Sic aquila volans victoriam portendebat, etc.

Secundis. Felicibus. Res prosperæ dicuntur, secundæ, quia veluti sequuntur consilia nostra et conatus nostros nobis obsequuntur. Qui captabant Augu-

Spectandus in certamine Martio,
Devota morti pectora liberæ
Quantis fatigaret ruinis:
Indomitas prope qualis undas
Exercet Auster, Pleïadum choro
Scindente nubes; impiger hostium
Vexare turmas, et frementem
Mittere equum medios per ignes.
Sic tauriformis volvitur Aufidus,

cùm hostes, libertatem suam vel ipsi morte defendere juratos, immani clade funderet sterneretque. Similiter atque Notus obluctantes maris fluctus et cedere indignantes, pellit truditque, scissis et imbrem procellosum solutis, Pleiadum infesto sidere, nubibus: sic Cl. Tiberius Nero, præceps in confertos hostium ruebat globos, et per media belli fulmina volantem equum rapiebat. Quemadmodum Aufidus, qui Apuliam Dauniam irrigat, insano murmure per agros effunditur, cùm aquis

ria, non erant uno contenti, sed aliud addebant, ut primum, si erat infanstum, mutaretur; si faustum, firmaretur. Aliud autem illud augurium additum primo, si erat felix; propriè dicebatur *secundum;* si infelix, *alterum.* Itaque vox, secundus, cùm felix aliquid significat, et fortunatum, sumpta est ex Augurum disciplinâ.

18. *Devota, etc.* Barbaros qui libertatem tueri vitâ et sanguine gestiebant. Qui se morti devovisse videbantur, modò essent liberi et servitutis expertes; qui mori non recusabant, si liberi morerentur: qui ex voto mortem honestam in libertate oppetere, quàm in servitute turpiter vivere malebant.

21. *Pleïadum choro.* Pleïades septem sunt stellæ inter Taurum et Arietem positæ in modum globi, seu chori et circuli. Hinc nomen Πλειάδες, quia plures et turmatim apparent, quasi πλείονες: vel à verbo πλεῖν, quia ortu suo primæ navigationis tempus ostendunt. Latinis Vergiliæ dicuntur, quia ver significant, oriuntur enim circa æquinoctium vernum: item Atlantides, quia fingunt poëtæ illas fuisse Atlantis filias ex Pleïone Nymphâ. Lege Ovid. IV. Fast. et V.

Auster. Ventus à meridie flans, imbres devehens.

24. *Per ignes.* Sæpè jacula stupis involuta oblinebant resinâ et pice, tum igne admoto conjiciebant in hostem: vel metaphoricè significantur bellica pericula.

25. *Tauriformis.* Pinguntur fluvii taurorum specie ac formâ, quod undarum fremitu ac

Qui regna Dauni præfluit Appuli,
Cùm sævit, horrendamque cultis
Diluviem meditatur agris;
Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu,
Primosque, et extremos metendo,
Stravit humum, sine clade victor:
Te copias, te consilium, et tuos
Præbente Divos. Nam tibi, quo die
Portus Alexandria supplex
Et vacuam patefecit aulam,
Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemque, et optatum peractis

ntumescentibus furens, segetes maturas tristi diluvio parat evertere: ad eundem modum idem Claudius ferro et armis horridas Rhætorum phalanges perrupit, stragem ubique ac necem circumferens, et primis agminibus postremisque pariter profligatis, campum omnem hostium cadaveribus, paucis è suo exercitu desideratis, contexit. Nimirum tuis, Auguste, militibus, tuo consilio, tuis numinibus auspiciisque rem gerebat. Quippe illo ipso die quo ante annos quindecim Alexandria pacem ac veniam petens, te in regiam prioribus dominis orbatam, et in portum patentem, admiserat, eodem, inquam, die Fortuna tibi hanc repræsentavit victoriam, et belli tuo imperio jussuque suscepti confectique gloriam tibi, quasi tantorum operum auctori

murmure taurorum mugientium sonum, et, diviso plerique alveo, cornua imitentur.

26. *Regna Dauni.* Apuliam.

32. *Sine clade.* Sine ullâ suorum jacturâ.

33. *Tuos.* Tibi faventes, ac semper propitios.

35. *Alexandria.* Urbs Ægypti primaria, quàm, victis Actiacâ pugnâ Antonio et Cleopatrâ, ingressus est Augustus anno U. 723. pridie Kal. Sept. populo ipsi ad pedes accidente, seque illi ac sua omnia permittente. Reperitur etiam scriptum in bonis codicibus Alexandrea, ut Antiochea, etc.

36. *Vacuam.* Ab Antonio et Cleopatrâ, qui ambo sibi manus violentas attulerant, relictam.

37. *Lustro.* Lustrum est spatium annorum quinque, ita dictum, quia quinto quoque anno Censores lustrabant Urbem, purgabant, recensebant civium capita, fortunas, etc.

Imperiis decus arrogavit.
Te Cantaber non ante domabilis,
Medusque, et Indus, te profugus Scythes
Miratur, ô tutela præsens
Italiæ, dominæque Romæ.
Te, fontium qui celat origines
Nilusque, et Ister, te rapidus Tigris,

adscripsit. Te, Cæsar, ô Italiæ, ô Romæ urbium principis certissimum præsidium, Cantabri, qui hactenus vinci frangique nequiverant, te Medi, Indi, Scythæ palantes ac vagi, suspiciunt et colunt. Te Nili, cujus fontes latent, te Danubii ac Tigris accolæ, te Britanni, quos ultimus Oceanus belluis immanibus scatens, alluit, te Galli mortis contempores et pugnaces Hispani,

40. *Imperiis peractis.* Imperium propriè belli totius præfectura et administratio est. Duci mandatur belli imperium à principe : quare hoc ita de Tiberio est intelligendum; ut in gloriam ipsius Augusti cedat : nempe arrogavit fortuna, id est, ascripsit, adjudicavit Tiberio victoriam et triumphum, peracto feliciter bello, quod gerendum tuis auspiciis acceperat. Peracto, inquit Torrentius, non solùm Rhætico, Vindelicoque, sed etiam Pannonico bello, Tiberius ovans urbem ingressus est. Tot igitur bellis dux ab Augusto constitutus, et à militibus imperator de more appellatus, tot *peractis imperiis*, tandem quinto et decimo post captam Alexandriam anno, summum et *optatum decus* assecutus est, cùm de victis hostibus triumphavit. Aliter exposui in ipsâ interpretatione. Lectoris judicium esto.

41. *Cantaber.* Hispaniæ populus, domitus ante annos paucos ab Agrippa Augusti duce.

Indus. India Orientalis includitur Sinensi regno, Tartariâ et Perside. Ejus fluvii Ganges, et Indus. Porrò Indorum rex, Augusti et Romanorum amicitiam per Legatos expetierat anno U. C. 737. Itidem ut Scythæ, et complures alii populi.

Scytes. Profugi appellantur, quia huc illuc agris patentibus et desertis errabant, et impositas plaustris domos trahebant.

43. *Præsens.* Certa, efficax, etc. Sic Deus dicitur præsens, id est, benignus, dexter, facilis. Qui etiam adsunt faciliùs adjuvant.

46. *Nilus.* Fluvius Ægypti, quam, supra ripas longè latèque se effundens certis mensibus, totam irrigat ac fœcundo limo implet. Ejus fontes ab ostio remotissimi, inter altos montes delitescunt.

Ister. Alio nomine Danubius appellatur, neque Istri nomen accipit, nisi cùm illyricum attigit. Est maximus Ger-

Te, belluosus, qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis :
Te, non paventis funera Galliæ,
Duræque tellus audit Iberiæ ;
Te cæde gaudentes Sicambri
Compositis venerantur armis.

leges ac jura dantem audiunt ultrò, et amplectuntur : te ipsi denique Sicambri bello cædibusque pasti, positis armis, et acceptâ, quàm donas, pace venerantur.*

maniæ fluvius : oritur in Sueviâ, et in Pontum Euxinum per sex, septemve ostia prorumpit. Imperii Romani limes septentrionalis erat, ita ut qui cis cum degerent populi, Romanis parerent ; non item qui trans illum habitarent.

Tigris. Insignis fluvius Asiæ, qui natus in Armeniâ fertur per montem Taurum in Mesopotamiam., tandemque in duo divisus cornua influit in Euphratem, à quo in Persicum sinum defertur. Dictus Tigris à cursûs celeritate ; sagittam quippe Medi tigrim vocant. Coëgerat Augustus Parthos Armeniâ cedere, cùm vexilla, Crasso cæso, rapta reddiderunt.

48. *Britannis.* Britannia, quæ nunc Anglia dicitur, prius Albion vocabatur. In duas divisa est partes, quarum Septentrionalem obtinent Scoti, Meridianam Angli, Saxoniæ quondam populus. Britanni porrò pacem ab Augusto et amicitiam per legatos expetierant.

51. *Sicambri.* Conspiraverant adversùs Romanos cum vicinis populis ; sed Augusti in Gallias adventu perterriti, cum eo de pace per legatos egerunt.

52. *Compositis armis.* Confecto bello, compositâ pace. Vel, armis uno consensu depositis et abjectis.

Ode XIV.

Augusti pacifici laudes.

Phoebus volentem prælia me loqui,
Victas et urbes, increpuit lyrâ,
Ne parva Thyrrhenum per æquor
Vela darem. Tua, Cæsar, ætas
Fruges et agris retulit uberes,
Et signa nostro restituit Jovi,
Derepta Parthorum superbis
Postibus, et vacuum duellis
Janum Quirini clausit; et ordinem

Cum res bello fortiter ac bene à Romanis hoc ævo nostro gestas, commissa prælia, expugnatas urbes, canere meditarer; Apollo me lyrâ leviter percutiens admonuit, ne vectus exiguâ cymbâ mari Tyrrheno me committerem. Tuâ ætate, ô Cæsar, tuis temporibus pacatissimis, vidimus frugum copiam et ubertatem agris redditam: vidimus Romana vexilla è Parthorum templis ablata et in templum Jovis Capitolini reportata; Jani

3. *Ne parva, etc.* Ne res tantas vellem canere, quibus pro dignitate tractandis par non essem. Itaque omissis laudibus bellicis, de pace dicam, et ubertatem, otium, leges optimè sancitas, etc. prædicabo.

4. *Tua ætas.* Nimirum pacis artibus æquè inclyta, atque bellicis laboribus triumphis.

8. *Postibus.* Propriè foribus, valvis, quas hinc inde lignei postes fulciunt. Sumitur ea vox pro toto templo, in cujus fere portis, aut fornice et tholo, suspenduntur hostiles exuviæ.

Vacuum. Quasi bella in eo templo antea stabularentur.

Duellis. Bellum antiqui Latini vocabant duellum.

9. *Janum Quirini.* Templum Jani, à Romulo, qui vulgò dictus est Quirinus, ædificatum; quòd flagrante bello aperiebatur; extincto claudebatur. Virgil. I. Æn. versu 300. Multa enim erant in urbe templa Jani: illud insigne præ cæteris, quod Janus Quirini, sive, Janus Geminus, Janus Bifrons, vocabatur.

Quirini. Lege Suetonium, Augusto, cap. 22. ubi dicitur Augustus Janum Quirinum ter clausisse.

Rectum et vaganti fræna licentiæ
Injecit, amovitque culpas,
Et veteres revocavit artes,
Per quas Latinum nomen et Italæ
Crevere vires, famaque et Imperî
Porrecta majestas ad ortum
Solis, ab Hesperio cubili.
Custode rerum Cæsare, non furor
Civilis, aut vis eximet otium:
Non ira, quæ procudit enses,
Et miseras inimicat urbes.
Non qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Julia: non Getæ,

ædem bellis ubique compositis obseratam; rempublicam sanctissimis ordinatam legibus; licentiam, quæ huc illuc temerè prosiliebat, injectis quasi habenis repressam; depulsa flagitia; demum antiquas illas virtutes revocatas, ac mores, quorum operâ Latini nominis decus et robur amplificatum olim est, ac Romani dignitas imperii ab Oriente ad Occidentem usque propagata floruit. Donec orbem reget Cæsar, non bellorum civilium rabies, non hostium externorum potentia, pacem nobis eripiet; non ira, quæ gladios fabricatur, et civitates intestinis odiis vexat. Non populi ad Danubium siti leges ab Augusto sibi impositas perfringent; non Getæ, non Seres, aut Persæ, licèt in servandis fœderibus

10. *Et vaganti.* Legere amant quidam *evaganti.* Injecit ordinem licentiæ evaganti, ac temere grassanti, tanquam frænum quoddam. Vel, ut explicat Lambinus: Injecit fræna licentiæ evaganti ordinem, id est, vaganti extra ordinem. Sic urbem egredi, pœnam evadere dicimus.

11. *Amovit.* Malunt itidem nonnulli, *emovit*, id est, expulit, extrusit. Et infra, pro *eximet*, scribunt *exiget*, hoc est, ejiciet.

12. *Artes.* Frugalitatem, Justitiam, Fidem, etc.

Cubili. Mare occidentale seu Hispanum dicitur cubile solis: in eo quippe sol occidit.

22. *Edicta Julia.* Leges ab Augusto latas. Quippe Augustus, Julius quoque dictus est à C. Julio Cæsare, à quo adoptatus fuerat, et cujus, pro more, sumpserat nomen.

Getæ. Populi Scythiæ Europæ, quos Appianus Dacos appellat. Strabo verò Libro VII. Getas à Dacis ita distinguit ut Getæ sint, qui ad Pontum in Orientem vergunt: Daci, qui latus oppositum obtinent versus Germaniam. Eosdem Gothos postea fuisse appellatos auctor est Spartianus.

Non Seres, infidive Persæ,
Non Tanaïm prope flumen orti.
Nosque et profestis lucibus, et sacris,
Inter jocosi munera Liberi,
Cum prole, matronisque nostris,
Ritè Deos priùs apprecati,
Virtute functos, more patrum, duces,
Lydis remisto carmine tibiis,
Trojamque, et Anchisen, et almæ
Progeniem Veneris canemus.

parum sint constantes, non Tanaïs accolæ. Nos verò festis diebus ac profestis, inter vina et epulas, cùm liberis conjugibusque nostris, post fusas, ut par est, Superis preces, priscos heroas cantabimus, et more majorum vocem læto tibiarum cantui sociantes, Trojam, et Anchisen, et Veneris nepotes celebrabimus.

23. *Seres.* Orientis populi, prope Indiam: eorum sylvæ bombicibus abundant, hinc panni serici. Ipsæ etiam arbores lanam seu lanuginem mollissimam in frondibus ferunt, ex quâ vestes conficiunt indigenæ. Virg. II. Georg. versu 121.

Infidi. Quia Crassum in insidias perductum dolo interemerant.

24. *Tanaïm.* Tanaïs, *le Don* fluvius est Scythiæ, Asiam dividens ab Europâ. Fluit à Septentrione ad Meridiem, et in Mæotidem paludem devolvitur.

29. *Virtute functos.* Virtutis officio functos; rerum fortiter gestarum gloriâ insignes; vitâ defunctos post edita bellicæ virtutis et fortitudinis exempla clarissima.

30. *Lydis.* Modus Lydius erat hilarior, et conviviis aptior ac jocis. Lydi, populi minoris Asiæ, Phrygibus vicini; quam ob vicinitatem existimat Torrentius Phrygias tibias easdem esse cum Lydis, seu Lidiis.

Remisto carmine, etc. Miscentes sæpiùs carmina cum tibiis: alternis canentes, nunc voce, nunc tibiâ.

31. *Trojam.* Unde orti Æneas, Ascanius, etc.

32. *Progeniem Veneris.* Iulum, Romulum, Cæsarem, etc. qui à Venere per Æneam ducebant genus, atque imprimis Augustum. Ea causa fuit Virgilio Æneidos componendæ, ut nimirum Augusto blandiretur, qui ab Æneâ oriundus dicebatur.

EPODON LIBER

ODE I.

Offert se comitem Mæcenati ad bellum Actiacum profecturo.

IBIS Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula,
Paratus omne Cæsaris periculum
Subire, Mæcenas, tuo.
Quid nos? quibus te vita sit superstite
Jucunda; si contra, gravis?
Utrumne jussi persequemur otium,

O Mæcenas carissime, naves Liburnas conscensurus es, et in iis contra turritas, urbium et arcium instar, naves Antonii pugnaturus; neque recusabis, quin omnem vim hostium et incursus excipias, ad Cæsaris incolumitatem tuo ipsius capite ac periculo redimendam. Quid agam interea? Ego, inquam, cui vita sanè

Liber Epodon. Liber est qui habet versus ἐπῳδούς. Epode, sive Epodus, vocatur Versus minor, imprimis Iambicus dimeter, id est, pedum quatuor, qui majori subjungitur, et quasi accinit; ἐπᾴδω enim significat, accino: unde vox ἐπῳδὴ, seu ἐπῳδὸς; estque majoris versus quasi clausula iste versiculus quo sententia tota clauditur et absolvitur. Inde nomen huic libro carminum quinto factum, ut Liber Epodon, sive Epodorum diceretur, quia primæ illius Odæ constant alternis ejusmodi versibus brevioribus.

1. *Liburnis.* Erant Liburnæ naves etsi minores ceteris, at magis habiles et expeditæ, à Liburnis, Illyrici populis, vel inventæ, vel plurimùm usurpatæ. Eas in Actiacâ pugnâ præsertim adhibuit Augustus contra vastas et immanes Antonii Naves, quas idcirco vocat Horatius propugnacula: et vero turribus aliisque id genus munimentis ac substructionibus ligneis erant non tam ornatæ et munitæ, quàm oneratæ.

Non dulce, ni tecum simul?
An hunc laborem mente laturi, decet
Quâ ferre non molles viros?
Feremus: et te vel per Alpium juga,
Inhospitalem et Caucasum,
Vel Occidentis usque ad ultimum sinum,
Forti sequemur pectore.
Roges, tuum labore quid juvem meo,
Imbellis, ac firmus parum?
Comes minore sum futurus in metu,
Qui major absentes habet:
Ut assidens implumibus pullis avis,
Serpentium allapsus timet
Magis relictis: non, ut adsit, auxilî
Latura plus præsentibus.
Libenter hoc et omne militabitur
Bellum, in tuæ spem gratiæ:

grata fuerit salvo te et sospite; erepto, insuavis et acerba: num lentus Romæ consistam, ut jubes, et deses vivam in otio, quod profecto voluptati esse mihi, nisi tecum, nequit? An potius bellicum hunc laborem perpetiar et subibo, ut fortem virum decet? Ego viro illum perferam, teque vel per abruptas Alpes, et Caucasi tesqua horrida, vel usque ad extremas Occidentis oras impavidus sequar. Forsan suscitaberis, quid ego sim, bellicos inter labores, tibi profuturus, cùm sim parum bellicosus, nec valde idoneâ ad militares ærumnas ferendas valetudine. Omnino id lucri faciam, si tecum proficiscâr, ut minus tibi metuam; cùm ita sit comparatum naturâ, ut absentes majori sint in metu, quàm præsentes. Quemadmodum avicula, pullis implumibus et nidum adhuc servantibus incubans, eosque fovens, extimescit illa quidem ne adrepant angues ad pullos; at hoc ipsum nihilominus multò magis timet, cùm eos reliquit, licèt iisdem nihilo plus opis allatura sit præsens. Hujus belli et alterius cujuslibet

11. *Alpium.* Alpes, sunt montes Italiam, instar catenæ præcingentes ab occasu, eamque à Galliâ separantes. Caucasus Inhospitalis dicitur, quia nulli hospitium et domum homini præbere potest, ob nives quibus est obsitus ob rupes præruptas, etc.

13. *Sinum.* Sinus vocatur pars maris in terras paulisper influens; hoc in loco significat Oceanum occidentalem seu Altanticum, prope Hispaniam et Africam, quo finiri terrarum orbem veteres putabant.

Non ut juvencis illigata pluribus
          Aratra nitantur mea;
ecus ve Calabris ante sidus fervidum
          Lucana mutet pascuis;
Nec ut superni villa candens Tusculi
          Circa tangat mœnia:
Satis superque me benignitas tua
          Ditavit: haud paravero
Quod aut, avarus ut Chremes, terrâ premam,
          Discinctus aut perdam ut nepos.

laborem ac periculum subibo libentissimè, tuæ erga me benevolentiæ retinendæ et augendæ studio ac spe ductus, non ut majora quædam prædia possideam, quæ mihi pluribus bobus jugo subjunctis, exercenda sint; aut ut abundem gregibus, qui ante Caniculæ exortum in Lucaniæ agros transferantur è pratis Calabriæ: nec ut mea villa, quæ non procul abest à Tusculo in declivi colle posito, protendatur et continuetur usque ad ipsius Tusculi mœnia. Liberalitate ac munificentiâ tuâ sum affatim locupletatus, et eas opes parare mihi nolim, quas aut defodiam et condam in terrâ, more avari alicujus Chremetis; aut quas, profusi ac perditi ganeonis instar, liguriam ac dilapidem.

27. *Calabris.* Calabria est pars extremæ Italiæ, ut Lucania: sed magis vergens in Orientem ac Meridiem, atque adeo calidior. Itaque greges ex eâ per æstatem transferebantur in Lucaniam.

Sidus fervidum. Sirium, Caniculam.

29. *Tusculi.* Tusculum, urbs Italiæ, *Frascati:* ad quam villa Horatii sita erat.

Candens. Candido et nitenti lapide structa.

30. *Circæa mœnia.* Tusculum à filio Circes conditum fuit. Potest etiam exponi de urbe quam ipsâ Circe struxit: eam vocabant Circeios, in ditione Volscorum et ora Tyrreni maris, ad radices montis Circæi, *Monte Circello:* nunc est diruta et in ejus ruderibus est pagus, *Santa Felicita*, nuncupatus.

33. *Chremes.* Nomen est avari senis decantati apud Terentium.

34 *Discinctus.* Cùm vestem antiqui promissam gererent, eam colligebant, et zonâ religabant, ut essent ad iter aut opus expeditiores: quod qui omittebant, ii laborabant ignaviæ aut intemperantiæ suspicione; adeo ut discinctus pro dissoluto et ganeone acciperetur.

Nepos. Significat ea vox aliquando prodigum et libidinosum; quibus enim est domi pater diligens et avus, iis omnia suppetunt abunde, ha-

bent quod perdant et profundant. Vel, quia pueri, patre mortuo, cùm in avi tutelam veniunt, vulgò evadunt libidinosi ac nequam : sunt enim avi patribus indulgentiores, et à pueris, patris metu solutis, facilè contemnuntur.

Ode II.

Alphius fœnerator, velut artis suæ pertæsus, laudat vitam rusticam; sed avaritiâ victus, ad ingenium, et pristinam vivendi rationem redit.

Beatus ille, qui procul negotiis,
    Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
    Solutus omni fœnore.
Neque excitatur classico miles truci,
    Neque horret iratum mare;
Forumque vitat, et superba civium
    Potentiorum limina.
Ergo aut adultâ vitium propagine

Næ felicem ille vitam vivit, qui molestâ negotiorum curâ liberatus, agros à patre sibi relictos ipsemet colit, quo more primi homines, orbe recens condito, vivebant: qui usuræ malas artes ignorat; qui, neque stipendia facit in castris, ubi tubarum clangor dulces abrumpat somnos; neque mari se committit, ubi æstuantis pelagi sævos furores pertimescat; qui se abstinet foro, et nobilium tenuioribus civibus insultantium domos fugit. Igitur

4. *Solutus omni fœnore.* Qui nec usuram pro pecuniâ commodatâ exigit ab alio; nec eam ipse cuiquam debet.

5. *Classico.* Est classicum, signum buccinæ in exercitu : classis enim non modo navalem, sed etiam terrestrem aliquando exercitum significat.

7. *Potentiorum civium.* In quibus salutandis, et colendis cives, eorum favore aut potentiâ indigentes, multum operæ ac temporis ponebant.

9. *Propagine.* Est propago ramus vitis inflexus et incurvus qui terræ immittitur, et quo vitis propagatur ac multiplicatur, *provin.* Palmites in terram ita mittuntur, ut non recidantur prius è materno corpore, quàm radices egerint altiores. *Adultus*, à verbo adolesco, significat maturum, validiorem et grandiorem.

Altas maritat populos,
Aut in reducta valle, mugientium
Prospectat errantes greges;
Inutilesque falce ramos amputans,
Feliciores inserit;
Aut pressa puris mella condit amphoris,
Aut tondet infirmas oves:
Vel cùm decorum mitibus pomis caput
Autumnus arvis extulit,
Ut gaudet insitiva decerpens pyra,
Certantem et uvam purpuræ!
Quâ muneretur te, Priape, et te, pater
Sylvane, tutor finium.
Libet jacere, modò sub antiquâ ilice,

aut palmites jam grandiores adjungit et sociat proceris populis; aut procul spectat in remota valle armenta boum vagantia, et læto mugitu sonantia: modò ramos steriles et supervacaneos abscindit falce, ac meliores in decisum truncum immittit; modò expressa è favis mella in purgata et lota vasa fundit, aut ovibus sua, densa quibus gravantur, demit vellera. Porro ubi Autumnus coronatum maturis fructibus caput agris profert, quantâ cum voluptate pyra, quæ insevit ipse, legit ex arbore, uvamque cum pulcherrimâ purpurâ de colore contendentem decerpit, quam tibi, ô Priape, munus gratissimum, offerat; vel tibi, ô Sylvane custos limitum, quibus agri ab aliis alii secernuntur? Si animus est

10. *Maritat.* Populi, ulmi, et aliæ id genus arbores, per se steriles et infœcundæ, cùm palmes iis adjungitur, juvant vitem ad edendos fructus uberiores, et eidem quasi maritantur.

15. *Pressa.* Expressa, educta è favis. Favi, *les raions de miel*, sunt cellulæ quædam et loculi in quibus mel cerâ permixtum reponitur ab apibus: ex illis favis mel exprimitur, et à cerâ secernitur.

16. *Infirmas.* Oves multis obnoxiæ sunt morbis, qui solent ingravescere, nisi illæ tondeantur tempestivè.

19. *Insitiva.* Nata ex arbore quam ipse insevit: atque adeo jucundiora aliis pyris, per se se, sine culturâ et curâ natis.

20. *Purpuræ.* Est in dandi casu. Sic IV. Æn. Vir. v. 38. *amori pugnare dixit.* Uvam purpuras colore vincentem.

21. *Priape.* Priapus, hortorum deus erat, ejusque statua in hortis vulgò ponebatur è rudi facta ligno, falcem tenens manu, et arundinem in capite summo gestans, quæ fures avesque proterreret.

Modò in tenaci gramine;
Labuntur altis interim ripis aquæ,
Queruntur in sylvis aves;
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.
At cùm tonantis annus hybernus Jovis
Imbres nivesque comparat,
Aut trudit acres hinc et hinc multâ cane
Apros in obstantes plagas,
Aut amite levi rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos;
Pavidumque leporem, et advenam laqueo gruem,
Jucunda captat præmia.
Quis non malarum, quas amor curas habet
Hæc inter obliviscitur?
Quòd si pudica mulier in partem juvans
Domum atque dulces liberos,

procumbere humi, nunc sub annosâ quercu, nunc in viridi cespite, quàm suave illius auribus murmur edunt rivuli placido alveo defluentes, quiritantes in sylvis aviculæ, fontes leni circumstrepentes susurro, quo nihil est ad somnum provocandum blandius! At cùm hyems ventis ac procellis horrida nives et pluvias campis invehere meditatur, tunc apros in retia compellit immissis in eos undique plurimis canibus: aut teretibus perticis laqueos suspendens, involantes avidè in subdolam escam turdos involvit: leporemque timidum, et gruem peregrinam, gratissima laboris et aucupii præmia, capit. Quis inter istas occupationes rusticanas non facilè curas tristes, quas amor importat, excutit? Quod si proba et casta uxor pro suâ quoque parte virum adjuvet in procurandâ re domesticâ et filiis educandis; quales olim extiterunt illæ Sabinæ, aut Appulæ mulieres, fusco et ambusto propter

29. *Tonantis.* Procellosi, ventosi. *Jovis.* Aëris. Annus Jovis procellosi, est pars anni hyberna.

33. *Amite.* Ames, bacillus est oblongus, teres ac politus, quo retia sustinentur. *Plagæ*, sunt retia densiùs contexta: *des toiles, des filets qui ont des trous fort serrés.* Retia verò ipsa sunt rarioribus et laxioribus intervallis foraminibusque compacta.

35. *Advenam.* Quæ ex aliâ regione, videlicet frigidiore, advenit in calidiorem, qualis est Italia, si Germaniam spectes,

(Sabina qualis, aut perusta solibus
Pernicis uxor Appuli,)
Sacrum vetustis extruat lignis focum,
Lassi sub adventum viri;
Claudensque textis cratibus lætum pecus,
Distenta siccet ubera;
Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemptas apparet;
Non me Lucrina juverint conchylia,
Magisve rombus, aut scari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hyems ad hoc vertat mare:
Non afra avis descendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus

auram et meridiani solis calorem, vultu; si ligna sicca foco imponat, marito defatigato domum redeunte; si caulis ac stabulo includat gregem bene pastum, et plena mulgeat ubera; mox, vina illius anni hauriens è cado, mensam ferculis quæ foris non emit, instruat: his ego epulis non prætulerim ostrea in Lucrino capta lacu, non rhombos aut scaros, si quos aliqua procella, orientali pelago ingruens multo cum tonitru, impellat in Italum hoc nostrum mare. Non mihi magis arrideat vel gallina Numidica, vel attagen ex Ioniâ delatus, quàm oliva de pingui arbore decerpta, quàm lapathum pratis gaudens, aut malvæ, oneratam alvum

42. *Pernicis.* Velocis, laboriosi, strenui.

43. *Sacrum.* Consecratum Vestæ, aut Laribus, qui Dii domestici, et quorum simulacra circa focum erant ordine collocata, bene tersa vulgò, et nitentia.

45. *Textis.* Et vimine.

47. *Horna vina.* Eo ipso anno lecta, *Du vin de l'année.* Non exquisitæ vetustatis et senii.

Conchylia. Pisces conchâ, sive testâ inclusi, ut ostrea, mytili, etc.

50. *Rhombus.* Piscis nobilis, *un Turbot.*

Scari. Scarus; *un Sarget,* ut volunt nonnulli. In eâ tantùm parte maris Mediterranei capiebatur, quæ vergit ad orientem. Accidebat aliquando tamen ut jactatis tempestate fluctibus, abscederet velut à patriâ longiùs, et in vicina Italiæ maria delaberetur.

51. *Intonata hyems fluctibus.* Est hyems, seu procella sonora mari incussa, instar tonitrui.

53. *Afra avis.* Africana gallina. *Une poule de Numidie.*

54. *Attagen.* Avis olim exquisita. Sunt qui gallinam silvestrem esse velint, *une gelinotte de bois.* Sunt qui à perdice non distinguant.

Jucundior, quàm lecta de pinguissimis
Oliva ramis arborum;
Aut herba lapathi prata amantis, et gravi
Malvæ salubres corpori;
Vel agna festis cæsa Terminalibus,
Vel hœdus ereptus lupo.
Has inter epulas, ut juvat pastas oves
Videre properantes domum!
Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentes languido,
Positosque vernas, ditis examen domûs,
Circum renidentes Lares!
Hæc ubi loquutus fœnerator Alphius,

levare et lubricare solitæ; aut agna per festos Terminorum dies immolata, vel hædus è lupi dentibus receptus. Quàm suave porro est, dum hæc agitantur convivia, cernere saturas oves villam repetentes! boves contemplari lassos, et aratrum inversum languente collo reportantes! famulorum intueri numerosum agmen, ut in locuplete villâ, circa focum compositos! Dicebat hæc Alphius fœnerator, quasi rusticam vitam mox amplexurus: itaque istius, qui tum agebatur, mensis Idibus, nummos omnes à debitoribus colligere cœpit. Sed brevi pœnituit hominem insani consilii. Quo-

57. *Lapathi.* Lapathum, sive rumex, *l'oseille.*

59. *Terminalibus.* Terminalia, *La fête des bornes, ou du Dieu Terme.* Deus Terminus agrorum limitibus ac metis præerat. Festus illi et sacer dies erat nonus Kalendas Martias.

63. *Inversum.* Supinum. Vomer, *le coutre, le fer de la charrue*, est ferrum in imo aratro positum, quo scinditur humus; aratrum, cùm reportatur, ita invertitur, ut quæ pars ima erat, nempe vomer, fiat summa et extet: stiva autem seu manubrium aratri, terram verrat.

65. *Vernas.* Verna, propriè servus est ex ancillâ domi natus.

Examen. Propriè grex apum est: eadem vox de turbâ quâlibet dicitur.

67. *Fœnerator.* Is est, qui pro pecuniâ mutuò datâ certum exigit pretium ultra sortem, sive principem summam v. g. si pro centum nummis, in singulos menses, unum repetas nummum, quam usuram vocitabant Romani centesimam, sive unciariam; quæ usura primo die mensis, id est, Kalendis erat pensitanda. Potuisset Alphius, notissimus eâ tempestate fœnerator, expectare usque ad Kalendas sequentis mensis,

Jam jam futurus rusticus,
Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærit Kalendis ponere.

circa statim rationem inire cœpit quemadmodum Kalendis sequentis mensis nummos eosdem locare fœnori rursum posset.

quibus pecuniam à debitoribus exegisset : verùm impatientiâ et desiderio vitæ rusticæ amplectendæ, quasi jam empturus villam, exegit tantùm ejus pecuniæ dimidiam partem Idibus, quæ Idus in medium mensem incidunt.

69. *Relegit.* Collegit à debitoribus, ut rusticam supellectilem emeret : vel, subduxit rationem nummorum quos penes se habebat, summam omnem supputare cœpit. Legitur in multis codicibus optimæ notæ, *redegit*, id est, à debitoribus recepit et coacervavit.

Idibus. Usuram vulgò exigebant Kalendis ; interdum, si videretur, Idibus, id est, bis in mense; in principio, nempe ipsis Kalendis ; et in medio, nempe Idibus.

70. *Kalendis.* Kalendæ, prima dies mensis, ita dictæ sunt à verbo καλέω, *voco* : quia Pontifex, ubi nascentem ineunte mense Lunam vidisset, vocabat plebem in Capitolium, et de festis diebus, de Nonis et Idibus, in quorum diem inciderent, etc. admonebat.

Ponere. Dare fœnori. *Mettre à intérêt, placer son argent.*

Ode III.

Allii detestatio.

Parentis olim si quis impiâ manu
Senile guttur fregerit,
Edat cicutis allium nocentius.

Si quispiam patris sui jam senis fauces per summam impietatem eliserit, illi non aliam imponi pœnam velim, quàm ut allium quod omni cicutâ exitialius comedat. Næ ferrea oportet

3. *Edat.* Legitur etiam *edit*, estque in subjunctivo ; Edim, edis, edit : ita enim antiquo more dicebatur.

Cicutis. Cicuta, *de la ciguë*, est herba pestifera, propter succum frigidissimum : quem idcirco reis capite damnatis Athenienses propinabant.

O dura messorum ilia!
Quid hoc veneni sævit in præcordiis?
Num viperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit? an malas
Canidia tractavit dapes?
Ut Argonautas præter omnes candidum
Medea mirata est ducem,
Ignota tauris illigaturum juga,
Perunxit hoc Jasonem;
Hoc delibutis ulta donis pellicem,
Serpente fugit alite.
Nec tantus unquam siderum insedit vapor

esse messoribus viscera, qui tali cibo impunè vescantur! Quodnam isthuc quæso, virus est, quo lacerari mihi præcordia et peruri sentio? Num, insciente me viperarum sanies illis oleribus admixta, dum coquerentur, fuit? An Canidia manum pestiferam his dapibus admovit? Postquam Medea Jasonem Argonautarum ducem insigni præ cæteris formâ præditum adamavit, hoc allii succo illum unxit, quo faciliùs tauros indomitos jugo submitteret: eodem hoc allio vestes infecit, quas cùm rivali suæ, dona tristia, misisset, ut eam ulcisceretur, alatis anguibus invecta se proripuit. Nunquam tantus æstus, arcanâ

8. *Canidia.* Veneficiis ac pessimis artibus infamis mulier.

Argonautas. Argonautæ fuerunt insignes quidam Græci, sic dicti ab navi Argo, quâ in Colchidem vecti sunt, ut vellus aureum inde asportarent, quod indomiti tauri et ignem spirantes custodiebant. Dux totius expeditionis Jason, qui ope ac beneficio Medeæ tauros domuit, vellus abstulit.

13. *Pellicem.* Creüsam, sive Glaucam, filiam Creontis regis Corinthi, quam Jason cùm prætulisset Medeæ, ista misit ad Creüsam, monile, vestem, et alia id genus munera, imbuta præsentissimo veneno, (quod aliud non fuisse quàm allium Horatius joco dicit,) mox, detecta fraude, cùm eam insequeretur Jason, curru quem angues alati trahebant, vecta, fugit. Vide Senecam in Medeâ. Atenim quare nihil nocuit allium Jasoni, quod exitiale tum Creüsæ, tum Herculi fuit? Dicendum est Medeam, aut magicis artibus, aut aliquo antidoto, effecisse ne Jasoni noceret. Dici etiam potest allium non fuisse ipsum quidem venenum, sed venenis additum, ut majorem vim haberent. Hanc enim allii naturam et dotem esse affirmant.

15. *Siderum vapor.* Quidam

Siticulosæ Apuliæ;
Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarsit æstuosius.

siderum vi concitatus est in Apuliâ jam satis per sese aridâ et calori obnoxiâ: numquam membris Herculis illud ferale munus, quod ipsi à Dejanirâ datum erat, implicuit ignes tam diros, quantos allium præcordiis meis immisit.

philosophi putaverunt calorem, aliud esse nihil præter fumum et vaporem, quem certa exhalarent astra, ut Sirius, Procyon, etc. Huc adde quod ea vox *vapor* apud optimos Latinitatis auctores valeat idem fere semper atque calor.

17. *Efficacis.* Strenui, laboriosi, bellicosi.

Herculis. Nessus Centaurus Dejaniram, Herculis uxorem rapere cùm tentaret, ab eo sagittis confixus est: moriens pallam, seu indusium tinctum sanguine suo, qui præsentissimum erat venenum, Dejaniræ dedit, affirmans, Herculem, si illud indueret, nunquam aliam amaturum: induit Hercules, et arcano statim igne correptus, deflagravit. Lege Senecam tragœdum in geminâ suâ Hercule.

ODE IV.

In Menam.

Lupis, et agnis quanta sortito obtigit,
Tecum mihi discordia est,
Ibericis peruste funibus latus,

Non agni à lupis majore dissident odio, quod utrique nascendo sortiti sunt, quàm ego à te dissentio, homo impurrissime, cujus humeris inustæ manent turpes verberum tibi olim inflictorum

1. *Sortito.* Sors, non solum id quod cuique obtingit, significat, sed etiam fatalem necessitatem, seu naturalem, quâ fit ut aliud alii obtingat.

3. *Ibericis funibus.* Conficiebantur funes è sparto, quod ab Hispaniâ præcipuè petebatur: genistæ aut junci genus est. Iberus fluvius Hispaniæ, Ebre.

Peruste. Loris uri, eleganter dicitur. Id est, cædi, vapulare. Id autem sæpè accidebat servis, si quid peccassent: iidem compedibus vincti opus ruri facie-

Et crura durâ compede.
Licèt superbus ambules pecuniâ,
Fortuna non mutat genus.
Videsne, Sacram metiente te viam,
Cum bis trium ulnarum togâ,
Ut ora vertat huc et huc euntium
Liberrima indignatio?
Sectus flagellis hic Triumviralibus,
Præconis ad fastidium,

vibices; ac pedibus lividæ catenarum, quibus constrictus fuisti, notæ. Esto sanè, pulchrum te ac beatum puta, extructis in immensum opibus; at ea Fortunæ vis non est, ut ortus et natalium mutare conditionem queat. Ecquid cernis, ut homines ultro citroque commeantes, tunc cùm tu incedis per viam sacram, eamque longo sex ulnarum syrmate converris, averso vultu indignissimam tuam arrogantiam detestentur? Hiccine, inquiunt, qui olim Triumvirorum jussu loris fuit discissus, præconemque delassavit, nunc fundum mille jugera patentem in agro Falerno possidet,

bant, aut in ergastulis habebantur.

7. *Metiente.* Dum ingrederis composito gradu, uti factitant qui spatium passibus metiuntur.

9. *Ora vertat.* Vel, alio vertat, ne te respiciat, ut indignantes solent: vel, ora in te cupidè, et cum risu convertat; vel, ora huc illucque agitet, in lævam, dextramque partem flectat, ut jocantibus usu venit.

10. *Indignatio.* Iis indignamur, quibus videmus bene esse indignis et immerentibus. Eorum contra miserescimus, quibus malè est immerentibus et insontibus.

11. *Hic.* Menas vocabatur, Libertus Pompeii magni, cujus filium Sextum Pompeium, anno U. C. 716. secutus, deinde ab eo descivit ad Augustum, à quo Romanus Eques, imo Tribunus militum creatus fuit: mox tamen ab Augusto defecit ad Pompeium. Quo tempore videtur hæc Ode in eum scripta: vix enim credibile est ab Horatio tam acerbè descriptum fuisse Menam, quamdiu Augusto familiaris fuit: nisi dicamus tunc quidem scriptos fuisse istos versiculos, sed non ante Poëtæ obitum in vulgus editos.

Triumviralibus. Judicia de servis et furibus exercebant tres vulgò Judices minores, qui Triumviri, seu Tresviri Capitales dicebantur.

12. *Præconis.* Cùm aliquis publicè pœnas flagitii luebat, adhibebatur præco, *un crieur public*, qui supplicii causam ediceret, populum admoneret, ut alieno periculo sape-

Arat Falerni mille fundi jugera,
Et appiam mannis terit:
Sedilibusque magnus in primis Eques,
Othone contempto, sedet.
Quid attinet tot rostra navium gravi,
Ærata duci pondere
Contra latrones, atque servilem manum,
Hoc, hoc tribuno militum?

atque in Appiâ viâ minoribus equis invectus obambulat? Idem in prioribus amphitheatri sedibus, Eques videlicet splendidus, spretâ Othonis lege, ludos spectat? Quorsum tot naves æreis instructæ rostris tantâ mole contra piratas et mancipio ducuntur, dum hic, inquam, Menas, piratarum ac servorum princeps unus è primariis ducibus, imò Tribunus militum est?

rent, etc. Tam sæpè autem iste Menas vapulaverat, ut præconem defatigasset, fessum videlicet clamando, et illius scelera recitando.

Appiam. Via Appia pertinebat Româ Brundusium usque; nomen sortita erat ab Claudio Appio Cæco, qui eam silice straverat.

15. *Sedilibusque, etc.* In amphitheatro, (locus erat unde spectabantur ludi, variis contignationibus constans, in quibus sedilia, alia aliis remotiora et editiora,) pars theatro proxima, Orchestra dicebatur Senatoribus destinata: ordines sive gradus quatuordecim inde retro positi, erant addicti Equitibus. Lucius Roscius Otho Tribunus plebis lege latâ anno U. C. 685. vetuerat ne quis præter Equites, in iis quatuordecim sederet ordinibus: imò eâdem lege cautum fuisse ne quis libertus in iisdem spectaret, locus iste Horatii demonstrat. At enim, inquies, Menas ab Augusto adscriptus inter Equites fuerat, itaque sedere poterat in quatuordecim ordinibus? Respondet Torrentius Poëtam hoc dissimulasse; vel hæc scripsisse antequam Menas hunc honorem adeptus fuisset; vel denique ne civis quidem liberi loco et numero habuisse eum, qui vinctus et cæsus fuisset. Servi enim qui eùm adhuc servitutem servirent, judicis jussu publicè puniebantur, justam libertatem consequi non poterant ex lege Æliâ sentiâ.

17. *Rostra Ærata.* Rostris æreis instructas proras.

19. *Contra latrones.* E piratis enim et mancipiis classem suam conflaverat Sextus Pompeius, quâ Siciliam occupaverat.

20. *Hoc, etc.* Qui fuerit ipse pirata et mancipium.

Tribuno militum. Tribuni militares ita fuere nuncupati quòd olim è primis tribubus

legerentur. Sex erant in unâquaque legione, cui per vices præerant. Jus dicebant militibus; signum dabant excubiis, etc.

ODE V.

Puer à Canidiâ veneficâ dirè interfectus.

At ô Deorum quidquid in Cœlo regis
Terras, et humanum genus!
Quid iste fert tumultus, et quid omnium
Vultus in unum me truces?
Per liberos te, si vocata partubus
Lucina veris affuit,
Per hoc inane purpuræ decus precor;
Per improbaturum hæc Jovem;
Quid ut noverca me intueris, aut uti

Hei mihi! Quid id est? ô Superi quicunque somno è Polo terras hominesque gubernatis! Quid sibi vult ista mulierum concursatio? quid ora omnium sæva in me unum conversa! Oro te, atque obtestor, Canidia, per tuos filios, si quos aliquando ipsâ re peperisti, per hanc, quam gero, puerilem togam, innocentiæ meæ testem, quæ nihil heu! mihi, ut video, est profutura; per ipsum Jovem, qui tuam in me crudelitatem ægrè feret; Quid

1. *At*, *etc.* Ista particula servit iracundiæ significandæ, et perturbationi mentis, orationisque: nonnunquam geminatur. Virgil. II. Æneid. versu 535. *At tibi pro scelere, exclamat, etc.*

5. *Si vocata*, *etc.* Lucina parientibus opem ferre putabatur, et ab iis invocari consueverat. Dicta Lucina, quòd partum ferat in lucem.

6. *Veris partubus.* Justis, legitimis; non incestis et adulterinis. Legitimi enim partus magis amantur: vel, si vera mater es, ut esse credo, precor pro tuo erga proprios liberos amore, ut alterius quoque filio parcas

7. *Purpuræ decus.* Togam limbo purpureo prætextam, *une robe bordée de pourpre*, gerebant ingenui pueri, usque ad annum ætatis decimumseptimum; ut rubor purpuræ ipsos pudoris ac verecundiæ admoneret.

Inane. Quia ejus. pueritiam per se imbecillam et quâdam quasi veneratione, ob candorem innocentiæ, dignam, ab impiarum crudelitate non vindicabat.

Petita ferro bellua?
Ut hæc trementi questus ore constitit
Insignibus raptis puer,
Impube corpus, quale posset impia
Mollire Thracum pectora:
Canidia brevibus implicata viperis
Crines, et incomptum caput,
Jubet sepulcris caprificos erutas,
Jubet cupressus funebres,
Et uncta turpis ova ranæ sanguine,
Plumamque nocturnæ strigis,
Herbasque, quas Iolcos, atque Iberia

ita in me truces oculos, instar novercæ, aut feræ quam venator vulneravit, conjicis? Dum hæc tremulâ voce puer queritur ac deplorat, interim deripitur ipsi prætexta, bulla et alia nobilitatis atque ætatis insignia, quibus exutus in medio stetit, tenello ac pulchello corpore, quod ad miserationem vel ipsos Tracas inflectere potuisset. Mox Canidia, hirsuto capite horrida, et impexis crinibus, per quos viperæ implicitæ serpebant, jubet in æstuantem igne subjecto et ex artis magicæ legibus comparato, lebetem conjici

12. *Insignibus.* Præter illam, de quâ modo memini, prætextam, numerabatur etiam inter insignia puerilis ætatis, bulla, infantum collo appendi solita, aurea vel scortea, instar bullæ intumescentis in aquâ, aut humani cordis, Macrobio teste; ut, inquit ille, pueri eam inspicientes cogitarent, ita se demum homines fore, si corde præstarent.

13. *Impube.* Impubes, vel impubis appellatur puer, qui nondum attigit ætatis annum decimum-quartum.

17. *Caprificos.* Caprificus est ficus sylvestris et sterilis; *un figuier sauvage*: infelix arbor et funesta.

19. *Ranæ.* Ranæ quædam terrestres et in rubis morari solitæ, dicuntur idcirco rubetæ; et ad veneficia præsertim adhibebantur.

20. *Strigis.* Strix, è noctuarum genere est; avis nocturna inde nomen sortita, ut aiunt, quod in tenebris strideat: *une chouette.*

21. *Iolcos.* Iolcus, civitas Thessaliæ, in Græciâ. Tota porro Thessalia sagis et veneficis abundabat.

Iberia. Est regio Asiæ, ab incolis vulgò *Gurgistan* dicta, à Gallis *Georgie*; inter Albaniam et Colchidem: veneficiis item infamis. Sic dicta quoque est Hispania, à fluvio Ibero.

Mittit

Mittit venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta jejunæ canis,
Flammis aduri Colchicis.
At expedita Sagana, per totam domum
Spargens Avernales aquas,
Horret capillis, ut marinus, asperis,
Echinus, aut currens aper.
Abacta nullâ Veia conscientiâ,
Ligonibus duris humum
Exhauriebat, ingemens laboribus;
Quò posset infossus puer
Longo die bis terve mutatæ dapis

ramos caprificorum è tumulis evulsos, et cupressum; item ova ranæ cruore delibuta; plumas noctuæ; herbas ex Iolco, et Iberiâ venenis abundante, missas; ac demum ossa è faucibus impastæ canis erepta. Parte ex aliâ Sagana, hirsutis, echini marini more, aut apri furentis ritu, capillis, vestem succingit, et aquis ex Averno petitis lacu, totam conspergit domum. Veia sceleris immanitate nullatenus ab incœpto deterrita, scrobem egesta humo comparabat; anhelansque graviter ac sudans, in opus incumbebat: ut defossus puer sensim extingueretur, oculis defixis in cibos ostentatos, et per totum, quàm longus est, diem, identidem mutatos: cùm extaret fossâ mento tenus, quantum

25. *Expedita.* Succincta; collectas et religatas ad Zonam vestes habens.

26. *Avernales.* Lacus Avernus ex quo vapor adeo teter et graveolens erumpebat, ut aves transvolantes enecaret, hinc illi factum nomen ἄορνος, *sine avibus*: unde Avernus. Virgil. VI. Æn. versu 240. ejusdem aquas aut veras, aut si haberi veræ non possent, simulatas, ad sacra magica omnino requiri arbitrabantur. Lege Virgil. Lib. IV. Æneidos, versu 512.

28. *Echinus.* Duplex est, terrestris alter, qui et erinaceus dicitur; alter, marinus; uterque setis durioribus, uti jaculis, tectus ac munitus, hic etiam asperioribus, et ad capillorum similitudinem magis accedentibus: *un hérisson.*

33. *Longo die.* Toto unius diei spatio. Poterat sanè tenellus puer, infossus et obrutus humo, emori vel unius diei spatio. Sunt qui exponant, sensim, progressu temporis, *peu-à-peu, à la longue:* sed dies, cùm tempus significat longum aut breve, feminco genere usurpatur. Aliter explicat Lambinus, ut posset, inquit, emori puer longo spectaculo dapis bis, terve per diem mutatæ.

Inemori spectaculo;
Cùm promineret ore, quantum extant aquâ
Suspensa mento corpora:
Exsucta uti medulla, et aridum jecur,
Amoris esset poculum;
Interminato cùm semel fixæ cibo
Intabuissent pupulæ.
Non defuisse masculæ libidinis
Ariminensem Foliam,
Et otiosa credidit Neapolis,
Et omne vicinum oppidum,
Quæ sidera excantata voce Thessalâ,

videlicet eminent ex aquâ natantes, cùm toto præter caput corpore sunt immersi. Quod eo consilio veneficæ faciebant, ut ex ejus medullis fame exsiccatis et arefacto jecore, conficerent pharmacum amori conciliando idoneum, postquam pueri pupillæ in vetitum et negatum cibum intentæ exaruissent, et obriguissent. Neapolis otiosorum plena civium, et vicinæ urbes crediderunt interfuisse etiam isti magico sacro Foliam oriundam Arimino, insignem illam veneficam, et libidine ac improbitate suâ notam, quæ Lunam et astra, magicis incantationibus

34. *Inemori spectaculo.* In spectaculo emori: mori in spectandis cibis appositis, quibus vesci prohibebatur.

37. *Exsucta.* Exsiccata, et arescens, ob famem et cibi negati appetentiam. Nempe ut similiter Varus amore extabesceret.

38. *Amoris poculum.* Philtrum Græci vocant, *un philtre*, nempe magicam potionem, quâ vehemens amor accendatur.

39. *Interminato.* Interminari, est interdicere, prohibere minis interpositis. Hoc participium patiendi significationem hîc habet. Vel potiùs, interminato cibo explica; cibo, cujus videndi, quo carendi nullus terminus, nullus finis erat.

Semel. Postremùm, in perpetuum. Tale illud, *cùm semel occideris.* Lib. IV. Od. 6.

40. *Pupulæ.* Idem est ac pupillæ, pars oculi tenerrima.

42. *Ariminensem.* Ariminum, *Rimini*, urbs Italiæ ad sinum Adriaticum.

43. *Neapolis.* Urbs Italiæ pulcherrima, *Naples*, ad mare Tyrrhenum, paulò infra Romam. Vicinæ urbes sunt Puteoli, Capua, Nola, etc.

45. *Excantata.* Incantationibus, id est, magicis carminibus, affecta et emota, derepta Coelo. Eam vim habere se fingebant illæ Sagæ, ab iisque Lunam Coelo detrahi, cùm

Lunamque Cœlo deripit.
Hic irresectum sæva dente livido
Canidia rodens pollicem,
Quid dixit? aut quid tacuit? O rebus meis
Non infideles arbitræ,
Nox, et Diana, quæ silentium regis,
Arcana cùm fiunt sacra,
Nunc, nunc adeste, nunc in hostiles domos
Iram, atque numen, vertite.
Formidolosis dum latent sylvis feræ,
Dulci sopore languidæ,
Senem, quod omnes rideant, adulterum
Latrent Suburanæ canes,
Nardo perunctum, quale non perfectius

attracta, Cœlo devocat. Ibi Canidia, ungues à longo tempore non sectos nigris dentibus admordens, quid dixit, vel quid potius non dixit? O, vos, inquit, fideles mysteriorum meorum et arcanorum consciæ, tu Nox, tu Diana, quæ omnia contines in silentio, dum sacra magica celebramus, adeste; nunc in meorum hostium caput iram vestram, ac potentiam, convertite. Dum in sylvis abditæ feræ et somno victæ quiescunt, facite ut canes omnes, quæ sunt in vico Suburâ senem allatrent libidinosum, et scortatorem, quod omnes ridere meritò debent, delibutum nardi succo exquisitis imo, quo nullus à me ipsa fuit confectus præstantior. Quid esse causæ dicam cur

deficeret ac luce suâ privaretur, credebat imperitum vulgus.

Voce Thessalâ. Magicâ, in Thessaliâ crebræ ac celebres erant veneficæ.

47. *Irresectum.* Non resectum, bene longum, obuncum.

53. *Hostiles domos.* Varum intelligit, quem postea nominatim appellat, qui pellices omnes ac præcipuè Canidiam ipsam spernebat.

57. *Senem, etc.* Hoc petit, ut Varus, licet senex, amoris tamen impotentiâ, sic insaniat, ut noctu obeat vicum Suburam, meretricibus frequentem, et ibi cum canes allatrent. Potest etiam exponi sic, ut petat Varum latratu canum abigi à domibus cæterarum meretricum quas viseret, et ad solam Canidiam amandam compelli.

59. *Nardo perunctum.* Nitidum scilicet, pexum et comptum, capillis unguento nardino delibutis, ut illi amasii factitabant, quòd meritò ridendum in sene, qui sapere per ætatem debebat. Nardum effer-

Meæ laborarunt manus.
Quid accidit? cur dira barbaræ minus
Venena Medeæ valent,
Quibus superbam fugit ulta pellicem
Magni Creontis filiam,
Cùm palla, tabo munus imbutum, novam
Incendio nuptam abstulit.
At qui nec herba, nec latens in asperis
Radix fefellit me locis.
Indormit unctis omnium cubilibus
Oblivione pellicum.
Ah, ah, solutus ambulat veneficæ
Scientoris carmine.
Non usitatis, Vare, potionibus,

venena quibus adversus illum usa fui hactenus, minùs valuerint, quàm sperabam? Quare vim expectatione minorem habent? Quamvis nihilo fuerint deteriora illis, quæ olim adhibuit Medea, cùm, pœnis à Creontis filiâ repetitis, fugam arripuit; ac simul nova illa uxor Jasonis, acceptâ veste veneno infectâ, repentino igne deflagravit. Attamen herba nulla, nulla radix pestifera in præruptis rupibus delitescens à me prætérita est, aut aciem meam fugit: ipse nihilominus omnes pellices despiciens, placide quiescit in lectulo, qui aliquo succo infectus oblivionem hanc illi, et contemptum attulerit. Ah video quid causæ sit: nimirum aliqua saga peritior suis carminibus magicis effecit, ut laqueos à me paratos evolaret. Sed, ô Vare infelix, quàm tristes mihi pœnas dabis! infundam tibi novas et inusitatas potiones, quibus victus denique ad me redibis, neque

tur, etiam in neutro genere.

Quale, etc. Ordo verborum et sententia est: quale nardum meæ non elaborarunt manus perfectius: vel; Tale nardum quale aliud nullum perfectius confeci.

60. *Meæ.* Non est mirum ab ejusmodi meretricibus unguenta hæc fuisse confecta: nec video cur aliud quàm verum nardum hic intelligi debeat.

65. *Tabo.* Ea vox hoc in loco venenum significat. Propriè tabum est sanguis corruptus, sanies vulneris, etc.

69. *Indormit, etc.* Ita voces ordinandæ: Dormit in cubilibus unctis oblivione omnium pellicum; id est, omnes contemnit pellices, omnium oblitus quiescit. Unctum habet cubile aliquo succo, et medicamento circumlitum, quod illi oblivionem pellicum faciat.

73. *Non usitatis, etc.* Ni-

O multa fleturum caput !
Ad me recurres ; nec vocata mens tua
Marsis redibit vocibus.
Majus parabo, majus infundam tibi
Fastidienti poculum ;
Priusque Cœlum sidet inferius mari,
Tellure porrectâ super,
Quàm non amore sic meo flagres, uti
Bitumen atris ignibus.
Sub hæc puer, jam non, ut ante, mollibus
Lenire verbis impias ;
Sed dubius unde rumperet silentium,
Misit Thyesteas preces.
Venena, magnum fas, nefasque, non valent

ad mentem saniorem recipere te, aut amorem excutere meum poteris, licet magica omnia Marsorum carmina usurpes, illis potentius venenum tibi propinabo, et fastidia demum tua pervincam : ac priùs Cœlum infra mare subsidet, priùs terra supra Cœlum attolletur, quàm non, instar accensi bituminis, amore meo totus æstues. Post hanc orationem Canidiæ, puer non jam, ut antea, veneficas illas placare lenibus verbis conatus est ; sed quid primum, quid postremum in eas evomeret incertus, imprecationes effudit illis simillimas, quibus olim Thiestes in fratrem est debacchatus : atque in hæc demum prorupit verba. Magicis quidem artibus inest ea vis, ut possint confundere ac violare maxima jura et sanctissima : verum efficere non possunt, quin homines impii pœnas luant suorum scelerum, et ea quæ intulerunt aliis mala, vicissim ipsi patiantur. Ego vos modò diris precibus

mirum confectis ex medullâ et jecore pueri hujus, defossi, et inediâ interfecti.

74. *Multa.* Id est, valde, magnopere, multùm, neutrum plurale pro adverbio positum.

76. *Marsis, etc.* Marsi Italiæ populi. Erant in eorum regione venefici frequentes. Aliter hunc locum Turnebus exponit : Non adhibebo, inquit Canidia, solennes Marsorum incantationes, ut te revocem et redire ad me cogam, majus veneficium paro, etc.

80. *Porrecta super.* Superjecta, supra cœlum posita.

82. *Bitumen.* Est limus quidam tenax, odoris. sulphurei, ad ignem concipiendum et alendum peridoneus.

87. *Venena.* Veneficia, *les sortilèges.* Venenum inter ea vocabula est, quæ grammatici vocant media, sive quæ in bo-

Convertere humanam vicem.
Diris agam vos : dira detestatio
Nullà expiatur victimâ.
Quin, ubi perire jussus expiravero,
Nocturnus occurram furor;
Petamque vultus umbra curvis unguibus;
Quæ vis Deorum est Manium;

incessam, atque illæ imprecationes vim suam obtinebunt, neque enim ullo piaculari sacrificio impediri possunt, quominus valeant ad perniciem improborum : verùm postquam extinctus vestro scelere fuero, vexabo vos instar nocturnæ Furiæ, et mea feralis umbra vobis occurrens, ora impia unguibus aduncis lacerabit; hæc enim est Manium facultas et Deorum potestas : imo scelerata viscera subibo, eaque vellicans et pavore implens, somnos vobis excutiam. Populus vos in omnibus vicis undique lapidibus

nam et malam partem accipiuntur. Itaque veneni nomine, inquit Caius J. C. continetur omne quod adhibitum, ejus rei cui adhibitum est naturam mutat, sive ad sanandum, sive ad occidendum paratum fuerit.

Magnum fas, nefasque. Subaudi, valent convertere. Venena valent convertere, id est, confundere, fas et nefas : at non valent humanam vicem convertere. Tunc fas et nefas confunditur, cùm nullum ponitur discrimen inter id quod licet, et id quod non licet. Vir. Lib. I. Georg. ver. 505. *Quippe ubi fas versum atque nefas.* Convertere humanam vicem, est efficere ut bene sit malis, et male bonis : ut impii non puniantur.

88. *Humanam vicem.* Insita erat illa veterum mentibus opinio, vulgò fieri certâ Numinis providentiâ, ut tale quisque pateretur malum quale alteri intulisset : ut malis malè; bonis bene esset. Hinc *vicem* usurpant Latini sæpè pro aliquâ calamitate quam quisque promeritus fuerit : sic dicimus dolere vicem alicujus, reddere vicem alicui, etc. *Vices*, inquit hoc loco Porphyrion, *appellantur pœnæ, quæ in malos reseruntur.*

89. *Diris.* Diræ sunt funestæ preces, quibus aliquis alteri dira evenire postulet.

90. *Nullâ, etc.* Putabant non irritas esse diras, quas precatus homo homini foret; præsertim si id jure, si ex animo factum fuisset.

94. *Manium.* Per Deos Manes vel intelligit Deos inferorum, qui mortuos sceleratos in Tartaro plectebant, et in vivos interdum ultrices excitabant umbras atque immittebant : vel ipsas mortuorum umbras et animas, quæ divinum habere quidpiam videntur : et quas vocabant *Lares*, cùm vi-

Et inquietis assidens præcordiis,
  Pavore somnos auferam.
Vos turba vicatim hinc, et hinc saxis petens
  Contundet obscœnas anus.
Post, insepulta membra different lupi,
  Et Esquilinæ alites.
Neque hoc parentes, heu! mihi superstites,
  Effugerit spectaculum.

obruet, infames vetulas; et ubi expiraveritis, vestra membra sepulcri honore carentia dissipabunt lupi, corvi, et vultures, qui frequentes in Esquiliis morantur. Hoc spectaculo fruentur, et suum de meâ morte luctum solabuntur parentes mei, quos adhuc viventes relinquo, et quibus heu! vita, me amisso, omni morte gravior erit.

vos adirent beneficæ ac placidæ: *Larvas*, cum vivis essent infestæ. Utrobique autem, *Manes Deos* appellabant, honoris causâ, et ut iis innoxiis ac placatis uterentur, ab antiquâ voce *manus*, quæ *bonum* significat.

100. *Esquilinæ*. Esquiliæ, Esquiliarum, unus è Romæ collibus septem, in quo supplicium de sceleratis sumebatur, quorum ad cadavera lanianda convolabant vultures, corvi, etc.

ODE VI.

Maledico minatur ultionem.

QUID immerentes hospites vexas, canis,
  Ignavus adversum lupos?
Quin huc inanes, si potes, vertis minas,

CUr hospites innoxios et nihil commeritos insectaris, canis improbe, dum lupos timidus præteris? Quin me lacessis, si potes, et irritas in me profundis minas, quibus non inanes latra-

1. *Hospites.* Hospes interdum significat externum hominem et advenam: interdum eum qui alterius tecto excipiatur, aut porro ibi tanquam domi suæ degat.

Canis. Volunt interpretes peti hac Ode Cassium quem-

Et me remorsurum petis?
Nam, qualis aut Molossus, aut fulvus Lacon,
Amica vis pastoribus,
Agam per altas aure sublatâ nives,
Quacunque præcedet fera.
Tu cùm timendâ voce complesti nemus,
Projectum odoraris cibum.
Cave, cave; namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua;
Qualis Lycambæ spretus infido gener,
Aut acer hostis Bupalo.

tus, sed strenuos morsus et vera vulnera reponam? Quippe instar Molossi aut Laconis, quorum fides et fortitudo gratissimæ sunt pastoribus, feras omnes, quæcunque demum occurrent, per nives medias subreptis auribus sequar, et agitabo. At tu cum sævis latratibus sylvam perterrefecisti, escam objectam olfacis demum, et siles. Cave, iterum moneo, cave, si sapis; senties me paratum semper et accinctum ad invadendos vexandosque improbos; ac talem agnosces, qualem Archilocum generum suum expertus est perfidus Lycambes, aut Bupalus Hipponactem, quem infensissimum hostem habuit. An eum esse me putas qui, male-

dam Severum, Oratorem, Augusti tempore, maledicum, et in omnes promiscuè debacchantem. Eum Quintilianus bellè describit. Lib. X. c. 1. Notum est autem maledicos, accusatores, et impudentes, cum canibus comparari.

5. *Molossus, Lacon.* Molossia est pars Epiri, in Græciâ: Laconia, pars Peloponnesi: utraque canibus egregiis abundans, qui inde varias in regiones avecti magno erant in pretio.

6. *Amica vis.* Sic Virgil. IV. Æneid. vers. 232. *Odora canum vis.*

10. *Cibum.* Significat munera, quibus oblatis, tacebat ille Cassius.

12. *Tollo cornua.* Metaphora sumitur à tauris præcipuè.

13. *Lycambæ.* Est in dandi casu: id est, spretus à perfido Lycambâ. Lycambes, homo Lacedæmonius, Neobulen filiam Archilocho civi suo, poëtæ non contemnendo, desponderat: mutatâ mente alteri locavit. Quod indignè ferens Archilochus tam amaro carmine proscidit Lycamben, ut eum ad suspendium adegerit.

14. *Bupalo.* Bupalus pictor, et Hipponax poëta, inter se gerebant inimicitias. Cùm Bupalus Hipponactem, propositâ publicè tabellâ, ridiculum in morem pinxisset, mordaci carmine ab eo sic est laceratus, ut doloris impatiens, et ignominiæ, vitam laqueo finierit.

An, si quis atro dente me petiverit,
 Inultus ut flebo puer?

dico dente lacessitus, pueri more acceptam injuriam vindicare non valentis, me lacrymis frustra dedam?

Ode VII.

Ad Romanos bellum civile meditantes.

Quò, quò scelesti ruitis? aut cur dexteris
 Aptantur enses conditi?
Parumne campis, atque Neptuno super
 Fusum est Latini sanguinis?
Non ut superbas invidæ Carthaginis
 Romanus arces ureret,
Intactus aut Britannus ut descenderet
 Sacrâ catenatus viâ;
Sed ut, secundum vota Parthorum, suâ
 Urbs hæc periret dexterâ.

At at quò pergitis, scelerati? cur gladios stringitis, qui erant in vaginas abditi? Non satis videlicet Latini cruoris hausere tot prælia mari terrisque commissa? idque, non ut superbam Carthaginem, Romanæ potentiæ ac virtutis æmulam, Romani, facibus injectis, exscinderènt; aut ut imponerent ignotum adhuc Britannis jugum, eosque vinctos per Sacram viam in Capitolium ducerent: sed, ut civitas rerum domina suis ipsa manibus, quo nihil accidere gratius Parthis poterat, miserrimè corrueret. Neque lupi, neque leones ita sævire consueverunt.

1. *Quò, etc.* Anno urbis 716. bellum civile conflatum est inter Sextum Pompeium, Magni filium, et Octavium: sexto post anno exarsit inter eumdem Octavium et Antonium. Lege Horatii vitam.

7. *Britannus intactus.* Britannos, quos modo Anglos dicimus, tentaverat quidem C. Jul. Cæsar; sed eos nemo ante Claudium, Imperatorem à Jul. Cæsare quintum, penitus domuit. Pacem ab Augusto exoraverant.

Descenderet. Sacræ viæ initium et caput, erat editius; ita ut euntibus aliquantisper descendendum foret: assurgebat deinde in montem Tarpeium, ubi Capitolium.

Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus,
Nunquam, nisi in dispar, feris.
Furorne cœcus, an rapit vis acrior?
An culpa? responsum date.
Tacent, et ora pallor albus inficit,
Mentesque perculsæ stupent.
Sic est: acerba fata Romanos agunt,
Scelusque fraternæ necis;
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

qui nunquam feri crudelesque sunt, nisi in dispar genus, et animal naturæ à suâ diversæ. Num vos agit in bellum præcipites demens furor? an fatalis quædam et divinitus imposita necessitas? an scelerum conscientia? Dicite. Silent, expallescunt, hærent attoniti ac stupore defixi. Ah causam istius vesaniæ intelligo! pœnas à Romanis Fata, et irati Superi, ob fratrem à Romulo per dirum scelus et injuriam interfectum repetere non cessant ab eo tempore, quo imbuta est humus Remi sanguine, qui posteris omnibus exitialis ac funestus fuit.

11. *Nec fuit*, *etc.* Non fuit unquam nisi in dispar, subaudi, genus, iste mos, sæviendi videlicet, leonibus feris et immanibus.

18. *Fraternæ.* Remus à Romulo fuit interfectus. Vide Florum. L. I. c. 1. In ejus cædem rejicit Vates causam bellorum civilium.

Ode VIII.

Augusti victoriam ad Actium celebrat.

Quando repostum Cæcubum ad festas dapes,
Victore lætus Cæsare,
Tecum sub altâ, sic Jovi gratum, domo,

Quandonam, Mæcenas illustrissime, vinum Cæcubum, quod habes domi sepositum ad celebranda festis diebus convivia, tecum in superbis ædibus tuis potabo? quid enim

3. *Jovi gratum.* Auctori nimirum hujus victoriæ.

Beate Mæcenas, bibam,
Sonante mistum tibiis carmen lyrâ,
Hâc Dorium, illis Barbarum?
Ut nuper, actus cùm freto Neptunius
Dux fugit, ustis navibus,
Minatus Urbi vincla, quæ detraxerat
Servis amicus perfidis.
Romanus, eheu! posteri negabitis,
Emancipatus fœminæ,

gratius facere Jovi possum? personantibus hinc ad numeros Phrygios tibiis; inde ad Dorios concinente Lyrâ. Quemadmodum tecum haud ita pridem sum epulatus, cùm dux ille, qui se Neptuni filium prædicabat, pulsus toto mari, victâ et incensâ classe, fugam arripuit; demens! qui minitatus erat se Romam conjecturum in ea vincula, quibus servos, heris infideles, amicos suos, levaverat. Credetis hoc aliquando posteri, militem

6. *Hâc.* Lyra scilicet; *Illis*, tibiis. Dorium carmen, seu modus et numerus Dorius, *le ton, le mode, l'air Dorien*, à Doribus, Græciæ populo, inventus aut frequentatus, erat certa ratio canendi, gravior et sedatior. Phrygius modus erat paulo acutior et concitatior. Utebantur verò Græci plurimùm lyrâ: Phryges tibiâ, quæ ab illis inventa; et ejus quidem foramina erant arctiora, unde sonus acutior.

Dorium. Ut tria præcipua Græcorum fuere genera, Dores, Æoles, Iones, ita tres apud illos præcipuè erant harmoniæ, seu tria musicæ genera, Doricum, Æolium et Ionicum. Peregrina verò sive externa, duo item præcipua, Phrygium et Lydium.

Barbarum. Phrygia, pars minoris Asiæ, Barbaria dicebatur à Græcis, proprio quodam nomine ac peculiari.

7. *Ut nuper, etc.* Ante annos 5. Victus enim Pompeius filius anno U. C. 718. Antonius ad Actium, anno 723. est profligatus.

Freto. Siculo: in eo quippe superatus navali pugnâ est ab Augusti classe Sextus Pompeius, Magni Pompeii filius, qui se Neptunium, seu Neptuni filium, gaudebat appellari, quia præliis aliquot maritimis secundis usus erat, vel quod ipsius pater olim imperium maris tenuerat.

10. *Servis.* Exercitus Sexti Pompeii è mancipiis, magnam partem, constabat.

12. *Emancipatus.* Vox, mancipium, sive mancupium, apud Latinos propriè significat id quod vulgò dicimus dominium rei alicujus et propriam possessionem; quia cùm rem vendicabant sibi, hoc est, suam dicebant esse, illam aut ejus partem manu capiebant. Hinc

Fert vallum, et arma miles, et spadonibus
Servire rugosis potest?
Interque signa turpe militaria
Sol aspicit conopeum?
Ad hunc frementes verterunt bis mille equos
Galli canentes Cæsarem;

Romanum mulieri addictum, vallos et arma gestavisse? eunuchis sordidissimis obsequi potuisse? et inter vexilla, proh pudor! conspectum fuisse conopeum? Ad hunc perfidum militem expugnandum duo Gallorum equitum millia impetum fecerunt, nomen Cæsaris, cui se dediderant, iterantes; quin ipsorum

mancipare, sive aliquid alicui dare mancipio, idem est atque in ejus manum et potestatem tradere.

Fœminæ. Cleopatræ.

13. *Spadonibus.* Qui erant in comitatu Cleopatræ.

Vallum. Vallus, est palus sive stipes, quo muniuntur castra, seu oppida: vallum est ipsa munitio ex ejusmodi palis et stipitibus confertis, consertisque facta.

Conopeum. Κώνωψ, Græcis est *culex*: *κωνωπεῖον*, velum præpansum lectulo ad culices per noctem arcendos, à mulieribus Ægyptiis adhiberi vulgò solitum, quia regio hæc tota, ob limosam Nili alveum, et maris viciniam, culicibus est infesta: eodem verò uti erat turpe viris militaribus; et fortasse tentorii loco adhibitum fuerat ab Antonio. Porro in dictione, *Conopeum*, penultimam Horatius metri causâ corripit, quæ, si vocem Græcam, unde est nata, spectes, produci debet.

17. *Ad hunc.* Contra hunc; nempe Antonium, seu Romanum militem Cleopatræ mancipatum. Equos adversus illum verterunt. Sanè vocabulum, *adversus*, quod est, contrariùs et infensus, ex præpositione *ad* et *vertendo* factum est, ut notat Lambinus. Et præpositio *ad* interdum usurpatur pro *contra*. Sic Virgil. II. Æneid. *Clypeos ad tela sinistris protecti objiciunt.* Sunt qui legant. *At huc, etc.* nempe, ad Cæsaris partes et exercitum nostrum, equos suos Galli ab Antonio converterunt.

Verterunt. In hoc vocabulo penultima corripitur: sic Virgilius dixit *steterunt*: Horatius ipse, *dederunt.*

Equos. Præter classes Augusti et Antonii, erant utriusque copiæ terrestres in adverso littore. Duo igitur millia equitum è Galatiâ, seu Gallo-græciâ, quæ est regio minoris Asiæ, desciverunt ab Antonio, et ad Cæsaris castra transfugerunt, quæ res victoriam Augusto maximè peperit.

18. *Galli.* Galatæ, seu Gallo-græci, ut dixi: imò Gal-

Hostiliumque navium in portu latent
Puppes sinistrorsum citæ.
Io Triumphe! tu moraris aureos
Currus, et intactas boves?
Io Triumphe! nec Jugurthino parem
Bello reportasti ducem;
Neque Africanum, cui super Carthaginem
Virtus sepulcrum condidit.

hostium naves quædam in portu clam fuerunt ita depositæ, ut sinistram, et Ægyptum spectarent, ad fugam citius captandam. Propera, ô Triumphe, quin expedis aureos currus, et juvencas immolandas profers? Io Triumphe, numquam similem huic imperatori ducem Romam revexisti, aut bello Jugurthino, aut Africano, in quo Scipioni tumulum ipsa virtus super eversæ Carthaginis ruinas extruxit. Nuper victi hostes terrestribus e

t

los atque Hispanos equites, belli Parthici reliquias habuisse tunc Antonium Dio et Plutarchus asserunt.

Canentes Cæsarem. Solent milites eorum, quibus militant, nomina magnâ voce in acie inclamare.

19. *Hostiliumque, etc.* Antequam Antonius pugnam ad Actium cum Augusto committeret, Cleopatra sibi consulens, sexaginta naves leves, et ad fugam expeditas, locaverat post navigia bellica majoris molis, easque ita constituerat ut Ægyptum spectarent, quæ est ad sinistrum ab Actio solventibus, cùm Italia sit ad dexteram. Huc adde quòd istas naves, post sinistrum navalis exercitus cornu fuisse à Cleopatrâ occultatas docent historici.

20. *Citæ.* Ad fugam paratæ et expeditæ, vel, simpliciter, celeres. Hanc lectionem habent omnes libri manuscripti, Lambino teste. Nonnulli tamen *sitæ* legunt; id est, positæ ita et collocatæ, ut sinistram portus partem, Ægyptumque spectarent.

21. *Io Triumphe.* Triumphum, quasi personam, alloquitur, utque acceleret, rogat. Triumphantes vehebantur curru; victimas in Capitolio immolabant, etc.

22. *Intactas.* Nondum aratro subditas: nondum jugo tactas.

24. *Ducem.* Marium, qui Jugurtham vicit, cepitque.

Cui super, etc. Ita orationem construe: Neque Augusto par erat ille dux, quem Africano bello reportasti: cui Virtus, etc. De Scipione Africano minore loquitur, qui Æmilianus est dictus à quo excisa et eversa Carthago: quæ ipsi loco pulcherrimi et amplissimi sepulcri fuit: in quâ scilicet æternum suæ virtutis monumentum reliquit. Torrentius de Africano majore inter-

Terrâ, marique victus hostis, Punico
Lugubre mutavit sagum :
Aut ille centum nobilem Cretam urbibus,
Ventis iturus non suis,
Exercitatas aut petit Syrtes Noto,
Aut fertur incerto mari.
Capaciores affer huc, puer, scyphos,
Et Chia vina, aut Lesbia;
Vel, quod fluentem nauseam coërceat,
Metire nobis Cæcubum.
Curam, metumque Cæsaris rerum juvat
Dulci Lyæo solvere.

maritimis prœliis, purpereas vestes nigris mutavere : capessuntque fugam, adversis ventis, aut in Cretam centum oppidis inclytam, aut in Syrtes et Libycum littus procellis infestum; aut errabundi et quò fugiant incerti, varias æquoris partes lustrant. Adesdum, puer, ampliores mihi pateras cedo, vina ex insulâ Chio aut Lesbo misce, aut plenis scyphis infunde nobis Cæcubum, ad nauseam comprimendam idoneum. Libet curam ac sollicitudinem, de Cæsaris periculo et salute susceptam, dulci vino diluere.

pretatur, qui cùm Annibalem ex Italiâ retraxisset, Carthaginemque multasset tributo, Româ discedens in exilium voluntarium, inglorius obiit Linterni; et sepulcro suo inscribi jussit; *Ingrata patria ne ossa quidem mea habes.* Ait igitur Horatius cum super Carthaginem invenisse monumentum, quo in patriâ caruit.

27. *Punico.* Puniceus, sive punicus color, est color ruber, sive purpureus, φοινίκεος. Sagum verò, chlamis, seu vestis militum propria, *une saie.* Est autem hîc Hypallage, sive transmutatio : dicendum enim foret: mutavit punicum sagum lugubri, et pullo.

29. *Cretam.* Insulam è regione Græciæ ad meridiem, *Candie.*

33. *Capaciores, etc.* Hæc dicit quasi jam domi Mœcenatis esset, simulque lætitiam gestientem, et impatientem more significat.

35. *Nauseam.* Cùm paulò intemperantius epulari cogitaret, nausea erat metuenda, cui malo Cæcubum vinum medebatur.

Ode IX.

Mævio tempestatem ac naufragium imprecatur.

Mala soluta navis exit alite,
Ferens olentem Mævium.
Ut horridis utrumque verberes latus,
Auster, memento fluctibus.
Niger rudentes Eurus, inverso mari,
Fractosque remos differat.
Insurgat Aquilo, quantus altis montibus
Frangit trementes ilicet.
Nec sidus atrâ nocte amicum appareat,
Quà tristis Orion cadit.
Quietiore nec feratur æquore,
Quàm Graïa victorum manus,

Infaustis ominibus solvit è portu navis fœtenti onusta Mævio. Memineris, oro te Auster, illius navigii ambo latera validis fluctibus non leniter tundere. Eurus ater evertat mare ab imo fundo, et funes nauticos remosque alios aliò spargat. Ingruat Aquilo impetu non minore, quàm cùm in montium jugis validas quercus perfringit. Certa et optata nautis sidera lateant per tenebras opacæ noctis, in quâ devexus et cadens Orion procellas immanes concitabit. Neque mitiori ac pacatiori vehatur

1. *Malâ alite.* Infelicibus auspiciis: ea quippe sumebant ex avium volatu, pastu, cantu.

2. *Mævium.* Poëtam insulsum et ineptum. Is Græciam petebat, quo multi studiorum causâ tunc ibant.

10. *Orion.* Sidus procellosum.

12. *Graïa manus.* Cùm Græci victores, incensâ Trojâ, patriam repeterent, fregere naves ad Caphareum Eubœæ insulæ, quæ sita est è regione Atticæ, scopulum seu promontorium. Factum id Nauplii Eubœæ regis dolo, cujus filius Palamedes, proditionis falsò accusatus, et supplicio affectus ab iis fuerat. Nauplius enim ut filii necem injustam ulcisceretur, Græcis redeuntibus obscuram per noctem, ac tempestate deprehensis, faces ostendit è Caphareo, quasi portum indicans: illi fraudis ignari, ad scopulos allisi sunt. In iis Ajax cùm, fractâ rate, in cautem evasisset, cum Pallas fulmine dejectum undis .

Cùm Pallas usto vertit iram ab Ilio
        In impiam Ajacis ratem.
O quantus instat navitis sudor tuis,
        Tibique pallor luteus,
Et illa non virilis ejulatio,
        Preces et aversum ad Jovem,
Ionius udo cùm remugiens sinus
        Noto carinam ruperit!
Opima quòd si præda curvo littore
        Porrecta mergos juveris;
Libidinosus immolabitur caper,
        Et agna Tempestatibus.

pelago, quàm Græcorum post victam excisamque Trojam redeuntium classis, quando Pallas, post satiatam incendio Trojæ iracundiam, ad sumendas de impii Ajacis navi pœnas se convertit. Vah! ut expallesces, miser! ut nautæ sudabunt tui! audire jam videor tristissimos illos, quos muliebriter fundes, ejulatus, et preces quibus Jovem tibi infensum placare frustra conaberis; cùm trabem ratis tuæ primariam Notus, in Ionio mari diro fragore sæviens, fregerit. Sin autem accidat ut naufragio pereas, ac tuum cadaver in littore jacens mergis et piscibus luculentam escam præbeat; ego caprum at agnam Tempestatibus immolabo.

mersit, illi merito insensa, quòd Cassandræ in suo templo, dum Troja caperetur, vim attulisset : imo Græcorum cladem hanc uni Ajacis impietati, et iræ Palladis videtur hîc Horatius ascribere. Virgilium lege Lib. I. Æneid. ver. 44. Lib. II. versu 81. Lib. XI. ver. 260.

14. *Ajacis.* Duo fuerunt Ajaces; alter filius Telamonis, qui de armis Achillis cum Ulysse contendit, ac repulsæ dolore in furorem actus suo se gladio confecit : alter Oïlei filius, Locrensium rex, et ipse vir fortissimus, de quo hîc loquitur Horatius.

16. *Luteus.* Flavus, flavos efficiens, et subalbidos.

19. *Ionius sinus.* Mare Ionium, est ea pars maris Mediterranei, quæ alluit Macedoniæ oram ab occasu : tum in Epirum ac Peloponnesum delabens, ad Cretam usque porrigitur.

22. *Mergos.* Sunt mergi, aves marinæ : *des plongeons.*

Juveris. Paveris, saginaveris. Legitur etiam *juverit.*

23. *Caper.* Animal fœtens et olidum, ut Mævius.

24. *Agna.* Hæc nigra vulgò erat, cum faciebant tempestati, aut Hyemi.

Ode X.

Amicos hortatur ut per hyemem genio indulgeant.

Horrida tempestas Cœlum contraxit, et imbres
Nivesque deducunt Jovem;
Nunc mare, nunc sylüæ
Threïcio Aquilone sonant: rapiamus, amice,
Occasionem de die,
Dumque virent genua,
Et decet obductâ solvatur fronte senectus.

Hyems deformis Cœlum totum in nubes coëgit, ac veluti constrinxit : pluviæ nivesque Jovem in terras deferunt. Nunc pontus, nunc sylvæ perstrepunt ventis frigidis. O amici, oblatam opportunitatem hoc ipso, quo datur, die arripiamus : dumque vires suppetunt, ac viget ætas, dum id à nobis fieri decenter et honestè potest, explicemus frontem, tristitiam, quæ

1. *Contraxit.* Frigus omnia velut contrahit ac densat : calor solvit ac relaxat. Virgil. *In nubem cogitur aër.* V. Æn. ver. 20. Concrescunt primo nubes, quibus solutis decidunt imbres, nivesque.

2. *Jovem.* Aërem. Putabant ethnici Jovem aëri prosidere, imò illum in terras descendere iratum quoties gravior aliqua tempestas ingrueret, perinde ac si homines impios cominus ferire vellet : beneficum verò et propitium, quando imber lenior decideret. Virg. Ecl. VII. *Jupiter et lento descendit plurimus imbri.* Horatius Lib. I. Od. 1. ver. 25. *Manet sub Jove frigido venator.* Pluviæ et nives, aliud nihil sunt quàm aër concretus, seu vapores aërei, qui decidunt soluti : cùm pluit; astricti, cùm ningit.

3. *Sylüæ.* Trisyllabum est hoc vocabulum, metri causa.

4. *Threïcio.* Thracio, è Thraciâ flante, quæ est ad Septentrionem Italiæ.

5. *Occasionem.* Ludendi, potandi, genium curandi.

De die. Ipso medio die, non expectantes vesperam, quâ vulgò cœnare mos erat.

6. *Virent genua.* Virere dicuntur omnia quæ integra, robusta et valida sunt. Fit autem hìc præcipuè genuum mentio, quia genua ægrotis senibusque prima tremunt ac labant : stant, vigentque sanis ac valentibus.

7. *Obductâ.* Rugosâ, contractâ, tectâ.

Solvatur. Removeatur à fron-

Tu vina Torquato move
Consule pressa meo.
Cætera mitte loqui : Deus hæc fortasse benignâ
Reducet in sedem vice.
Nunc et Achæmeniâ
Perfundi nardo juvat, et fide Cylleneâ
Levare diris pectora
Sollicitudinibus.
Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno :
Invicte mortalis, Deâ
Nate puer Thetide,

vultus atrâ nube tegit, procul amandemus. Tu deprome amphoram vini, Torquato Consule, quo sum natus, conditi: molestos de rebus cæteris sermones omitte. Hunc rerum infelicem statum Superi fortasse in melius referent. Unum id satagamus modò, ut nardo Persica delibuti, curas ferales dulcibus lyræ, quam invenit Mercurius, modulis leniemus. Ita olim sapiens ille Centaurus illustrem alumnum admonebat : ô hominum invictissime, fili Thetidis, expectat te Phrygia, ubi

te obductâ : vel, senectus, quæ est fronte obductâ, quæ frontem obtectam et nubilam habet, amandetur : vel, vultum explicet atque exporrigat.

Senectus. Interdum vox ea sumitur pro mœrore et inamœnitate quâdam morum, sermonis, etc. Sic Horatius Lib. I. Epist. 18. *Inhumanæ senium depone Camœnæ.* Tullius pro Milone, *tota civitas confecta senio est.*

8. *Tu*, etc. Alloquitur unum ex amicis, aut mancipiis.

9. *Torquato Consule meo.* Diximus Horatium natum esse Consulibus Lucio Manlio Torquato, et L. Aurelio Cottâ, anno U. C. 689.

Move. Res sacræ, Divorum simulacra, etc. moveri dicebantur, cùm efferebantur è loco suo, ad supplicationem, etc.

9. *Pressa.* Expressa è racemis, fusa in lagenas.

10. *Cætera.* Quæ ad hilaritatem et genium non pertinent.

Hæc. Innuit rem aliquam minus prosperè gestam, domi, aut militiæ, cujus tunc recens, ut apparet, calebat fama.

11. *In sedem.* In pristinum statum. *Vice.* Mutatione, vicissitudine. *Achæmeniâ.* Persica.

Cylleneâ. Cillene mons Arcadiæ in Græciâ, ubi natus Mercurius, lyræ inventor.

16. *Centaurus.* Chiron, Philyræ filius, insigni probitatis, sapientiæ, et equitatis laude nobilis, datus Achilli à Peleo et Thetide, moderator teneræ ætatis, ac magister. In Cœlum à poëtis translatus est, et Sagittarius, sive Arciteneus, ab Astronomis appellatur.

Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina,
Lubricus et Simoïs:
Unde tibi reditum curto subtemine Parcæ
Rupere, nec mater domum
Cærula te revehet.
Illic omne malum vino, cantuque levato,
Deformis ægrimoniæ, ac
Dulcibus alloquiis.

Assaracus regnavit, quam alluunt Scamander exilis et rapidus Simoïs: ex quâ regredi te fila Parcarum tristia vetuerunt: nec tua parens, Dea maris, te sospitem è bello reducet in patriam. Illic igitur belli ærumnas vino et cantu absterge; quæ duo certissima sunt ac suavissima sollicitudinum omnium solatia, ac remedia.

19. *Te manet.* Tibi reservatur vincenda; deberis illi, eam adibis.

Assaraci tellus. Nimirum Troas, regio minoris Asiæ, seu Phrygia, in quâ regnavit Assaracus, Troïs alter filius, avus Anchisæ. Alter autem Troïs filius fuit Ilus, à quo Trojani reges propagati, Laomedon, Priamus.

20. *Scamandri, Simoïs.* Fluvii Troadis. Uterque ab Idâ monte oritur, et devolvitur in Hellespontum. Scamandrum ait Homerus à Diis vocari Xantum. Accipit Simoenta, et cum eo in mare confluit.

22. *Subtemine.* Cùm tela texitur, statuuntur in longitudinem fila quædam recta quibus hinc inde alia obliquè implicantur. Fila recta flamina vocantur; obliqua et transversa dicuntur subtemina, *la trame.* Hoc in loco subtemen aliud nihil significat, quàm filum quod è colu trahere Parcæ fingebantur.

27. *Alloquiis.* In auferendi casu est ea dictio, per figuram quæ appositio dicitur. Cantu et vino, quæ sunt alloquia ægrimoniæ. Alloquium, allocutio, sunt voces è Græco sermone expressæ, in quo *παραμυθία, παρηγορία*, significant consolationem. Hinc alloqui *παραμυθεῖσθαι*, est *consolari*, etiam apud scriptores Latinos, id quod pluribus exemplis constat.

Ode XI.

Romam bellis civilibus æstuantem deserendam suadet.

Altera jam teritur bellis civilibus ætas,
Suis et ipsa Roma viribus ruit.
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Etrusca Porsenæ manus,
Æmula nec virtus Capuæ, nec Spartacus acer,
Novisque rebus infidelis Allobrox;

Abiit altera jam propemodum ætas, ex quo Roma bellis civilibus miserè conflictatur, et suas ipsa vires in exitium suum vertit. Quam urbem videlicet neque conjurati cum sociis Marsi exscindere valuerunt, neque Tyrrenorum feroces copiæ, duce Porsena; neque Capuanorum invidia et æmulatio; nec Spar-

1. *Altera ætas.* Ætas vulgò annos triginta complectitur: interdum plures. Duas in ætates bella civilia distinxisse Horatius videtur. Prima est quæ Gracchorum, Saturnini, Syllæ, Marii, Catilinæ, etc. factiones ac seditiones vidit, ab anno U. C. 620. ad 700. Altera est quæ incohatur à nece Caii Jul. Cæsaris, et bella continet, quæ Octavius cum Bruto et Cassio, cum Pompeii filiis, et Antonio gessit: quæ tunc ætas, cùm Horatius hæc scriberet, agebatur.

3. *Marsi.* Italiæ populi, qui principes fuere belli socialis conflandi.

4. *Porsenæ.* Prosena, rex Etruscorum in Italiâ, Tarquinium Superbum, regem septimum Romanorum ejectum urbe, restituere conabatur admoto ad mœnia exercitu. At civium fortitudine, imprimis verò Mutii Scævolæ audaciâ deterritus, incœpto destitit. Florus L. I. c. 10.

5. *Capuæ.* Urbis amplissimæ, in Campaniâ Italâ, quæ cum ipsâ Româ diu de orbis imperio ac Italiæ principatu, quem ipsi Annibal promiserat certavit. *Capone.*

Spartacus. Gladiator celebris, belli servilis auctor.

6. *Allobrox.* Allobroges, populi Galliæ antiquæ, nunc Sabaudi ac Delphinates. Catilinæ studebant, ac res novas moliebantur, id est, reipublicæ statum convellere tentabant. Domiti sunt primùm à Caio Pomptinio, ut docet Tullius in oratione de Provinciis Consularibus. Detecta illorum subinde consilia fuerunt vigilantiâ ejusdem Ciceronis, tum Consulis, cui conjurationem, om-

Nec fera cæruleâ domuit Germania pube,
Parentibusque abominatus Annibal,
Impia perdemus devoti sanguinis ætas;
Ferisque rursus occupabitur solum.
Barbarus, heu! cineres insistet victor, et urbem
Eques sonante verberabit ungulâ?
Quæque carent ventis, et solibus, ossa Quirini,
Nefas videre, dissipabit insolens?
Forte, quid expediat, communiter, aut melior pars,
Malis carere quæritis laboribus.

taci furor, aut Allobrogum perfidia et in rebus novandis levitas; non Germanorum juventus horrida, non Annibal parentibus detestatus: eam evertemus, inquam, urbem nos impii et ferali seculo nati, quorum capita suppliciis omnibus in scelerum pœnam videntur esse devota meritò et addicta. Rursum hæc humus, ut olim ante Romam conditam, feris latibula et spelæa præbebit. Barbari victores, eheu! suorum equorum ungulis urbem in cineres redactam proculcabunt; eruent ac scrutabuntur mortuorum sepulcra, et ossa Romuli, quæ in tenebris et arcano sepulcro abdita latent, quæque in apertum proferri, sine infando sacrilegio nequeunt, per militarem insolentiam dispergent. Fortè quæritis simul omnes, aut pars vestrûm major et sanior, quid facto sit opus ut hæc mala, quæ nos premunt,

nem denique aperuerunt, cùm à Catilinâ descivissent. Hinc *infideles novis rebus*, id est, conjurationi et partibus Catilinæ, dicuntur, quia fidem illi datam fregerunt. Vel, simpliciter explica, *infideles novis rebus*, id est, in rebus novis, ubi aliquis tumultus et reipublicæ conversio existeret fidem datam servare non soliti; res novas molientibus favere amantes.

7. *Germania.* Gravia sæpè cum Romanis bella Germani gesserunt, præsertim Cimbri et Teutones, quos Marius profligavit anno U. C. 652. cæsis eorum amplius trecentis millibus.

Pube. Juventute: militibus valentissimis. Cæruleos appellat hîc Germanos, quia oculos fere cæsios habebant.

8. *Abominatus.* Patiendi significationem ista vox habet hoc in loco. Detestabantur Annibalem parentes, quorum filios tam multos interemerat. Vel, *parentibus*, interpretare, nostris majoribus.

14. *Nefas videre.* Scelus erat ossa mortuorum refodere, scrutari tumulos, etc. Præcipuè autem Romuli occultabantur ossa, ut facilius credulæ plebi persuaderetur, eum terris ereptum, et Superis ascriptum esse.

16. *Carere.* Cave jungas hanc vocem cum *quæritis*,

Nulla sit hac potior sententia: Phocæorum
Velut profugit execrata civitas
Agros, atque Lares patrios habitandaque fana
Apris reliquit et rapacibus lupis:
Ire, pedes quocunque ferent, quocunque per undas
Notus vocabit, aut protervus Africus.
Sic placet? an melius quis habet suadere? secundâ
Ratem occupare quid moramur alite?
Sed juremus in hæc: simul imis saxa renarint
Vadis levata, ne redire sit nefas;

fugiamus. Mihi verò videtur nihil fieri posse consultius, quàm si Phocæos imitemur, qui suam urbem detestati, domos pariter et arva cum ipsis templis deseruere, ac lupis aprisque incolenda permiserunt; auctor, inquam, sum ut arripiamus iter sive terrâ, quocumque fors tulerit, sive mari quocumque venti ac tempestates nos deportarint. Num et vobis arridet sententia? Num quis potiorem habet quàm dicat? Quid cunctamur? Quid impedit quominus faustis ominibus navem conscendamus? Sed nos hoc sacramento priùs ipsimet obstringamus, ut tum demum liceat cuilibet huc redire, cùm saxa quæ sunt in imo mari, ex eo emerserint sponte sua: ut patriam conversis velis repetere libeat,

quasi sententia esset, quæritis carere: est autem hic ordo, ut interpretatus sum; quæritis quid expediat, carere, id est, quo facto sit opus ut careatis; estque locutio plane Græci sermonis, qui Latinam particulam *ut* cum subjunctivo modo positam effert per infinitivum, addendo, vel subaudiendo ὥστε.

17. *Phocæorum.* Phocæi, incolæ fuerunt et cives Phocææ, quæ Ioniæ, in Asiâ minori, urbs erat, ita dicta à multitudine phocarum, sive vitulorum marinorum qui urbem condentibus circa hoc littus apparuerunt. Phocæi assiduis Persarum bellis vexati, patriam communi consensu reliquerunt, dirisque execrationibus se devoverunt, si quando eòdem redirent. Variâ deinde fortunâ usi, tandem in Galliam delati sunt, ubi Massiliam condidere.

23. *Secundâ alite.* Secundæ res dicuntur fortunatæ, faustæ; à verbo, sequor, quia nobis velut obsequuntur, non provehunt: adversæ obsistunt et occurrunt.

25. *In hæc.* Subaudi, verba. *Simul.* Simul atque.

26. *Vadis.* Aquis.

Levata saxa. Simile quidpiam factum est à Phocensibus: illi enim massam plumbeam in mare projecerunt, se non ante redituros Phoceam contestâti, quàm plumbum è maris fundo sponte suâ emersisset: id est, nunquam redituros.

Neu conversa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Matina laverit cacumina;
In mare seu celsus procurrerit Apenninus,
Novâque monstra junxerit libidine
Mirus amor; juvet ut tigres subsidere cervis,
Adulteretur et columba milvio;
Credula nec ravos timeant armenta leones,
Ametque salsa lævis hircus æquora.
Hæc, et quæ poterunt reditus abscindere dulces,
Eamus omnis execrata civitas,
Aut pars indocili melior grege: mollis, et exspes
Inominata perprimat cubilia.
Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,
Etrusca præter et volate littora.

cùm Padus supra montem Matinum se sustulerit, aut Apenninus in mare prosiluerit; cùm amor portentosus tigres cervis junxerit, et columbas milviis, cùm ea gregum erit confidentia ut leones minimè pertimescant, et in eorum fidem ac patrocinium se conferant; cùm hircus, qui modo villosus est totus, fiet depilis; et qui summis in montibus pascitur, salso mari gaudebit innatare. Agè igitur, postquam adhibuerimus istas jurandi et reditum execrandi formulas, aliasque consimiles, profugiamus cives ad unum omnes, aut pars civitatis certè sapientior vili plebeculâ, quæ instar stupidi gregis duci ratione non potest, ac spe vitæ fortunæque melioris non tangitur. Maneat illa sanè, et infelicibus affixa lectulis hæreat. Vos, ô quicumque viri estis, omittite planctus fœmineos, et ab Tyrrheno longe littore velis remisque fugite. Petendus nobis Oceanus est, qui terras

28. *Padus.* Fluvius Italiæ, Pedemontium, Ducatum Mediolanensem et Mantuanum, intersecans, et in sinum Adriaticum paulò intra Venetam ditionem se effundens; *le Pô.* Aliter vocatur Eridanus. Matinus est mons, sed mons, seu ager, ejusdem Italiæ, sed ultimæ, distans à Pado leucis admodum ducentis.

29. *Apenninus.* Mons Italiam mediam à Septentrione in Meridiem, quam longa est secans; atque adeo hinc inde à mari disjunctissimus.

32. *Milvio.* Veteres libri scribunt ferè *milno*, ut ita, trisyllabum sit.

38. *Inominata.* Mali ominis.

Perprimat. Assiduè premat. Sic dicimus pernoctare, perferre, etc.

40. *Etrusca*, sive *Hetrusca.* Hetruria regio est Italiæ, Tyrrheno mari, quod Galliam respicit, incumbens inter Liguriam, et Latium. Aliter dicta

Nos manet Oceanus circumvagus : arva, beata
Petamus arva, divites et Insulas,
Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis,
Et imputata floret usque vinea ;
Germinat et nunquam fallentis termes olivæ,
Suamque pulla ficus ornat arborem :
Mella cavâ manant ex ilice, montibus altis
Levis crepante lympha desilit pede.
Illic injussæ veniunt ad mulctra capellæ,
Refertque tenta grex amicus ubera ;
Nec vespertinus circumgemit ursus ovile,
Nec intumescit alta viperis humus :
Pluraque felices mirabimur; ut neque largis

ambit, adeundi felices agri et Insulæ fortunatæ, ubi commissas segetes humus, licet aratro non culta, magno non fœnore singulis annis restituit; ubi vites, licet non putentur, semper læto pubescunt fœtu; ubi rami olivarum in gemmas et flores ita se induunt, ut coloni spem et vota nunquam decipiant; ubi ficus absque insitionis aut artis illius beneficio natæ, maternæ arbori ornamento sunt; ubi cavis è quercubus deffluunt mella, rivuli summis è montibus leniter desiliunt. Illic ultro capellæ ad mulctram veniunt, et vaccæ pingues plena lacte ubera vespere domum ex agris reportent : ibi non exaudiuntur diri ursorum sub noctem fremitus ovilia oberrantium, nec terra viperas insidiosis delitescentes in latebris occultat. Hæc et alia id genus multò plura beatæ regionis miracula, cùm iis frui

Tuscia, *la Toscane.* Ejus incolæ, Hetrusci, sive Tusci, et Tyrrheni, sunt appellati.

41. *Oceanus.* Major pars maris est, Europam, Asiam, Africam et Americam cingens. Quæ pars enim inter illas fluit mare Mediterraneum vocatur in quo est Italia.

42. *Divites insulas.* Fortunatas vulgò vocant. Sunt autem hujus nominis insulæ in mari Athlantico, non procul ab Hispaniâ; amœnissimæ ac frugum omnium ditissimæ, nunc vocantur *les Canaries.*

44. *Floret usque.* Jungendum hoc cum voce *imputata :* floret semper quamvis non putetur; mox ubi floruit, suos fructus effert.

46. *Pulla.* Nigricans. Ficus maturescentes nigrescunt.

49. *Mulctra.* Ponitur hìc generis neutrius : usurpatur etiam in fœminco apud Virgilium, Ecl. III. Vas est, quo lac uberibus vaccarum expressum excipitur.

Aquosus

Aquosus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec siccis urantur semina glebis,
Utrumque rege temperante cœlitûm.
Non huc Argoo contendit remige pinus,
Neque impudica Colchis intulit pedem:
Non huc Sidonii torserunt cornua nautæ,
Laboriosa nec cohors Ulyssei.
Nulla nocent pecori contagia, nullius astri
Grægem æstuosa torret impotentia.
Jupiter illa piæ secrevit littora genti,
Ut inquinavit ære tempus aureum,

contigerit, deprehendemus: obstupescemus quemadmodum Eurus nimbis tristibus, et imbre largiori arva non mergat; quemadmodum semina læta et feracia, in sulcis arentibus calor æstivus non torreat, Jove nimirum aquas et siccitatem certis et æquis legibus dispensante. Nunquam ad fortunatas istas insulas navim appulerunt Argonautæ, non huc improba Medea unquam accessit: non eò cursum intenderunt Sidonii navitæ, aut Ulyssis socii. Nulla illic pestilentia contagem diram spargit in pecudes; nullius sideris maligna vis armenta immodico vexat æstu ac peredit. Hæc arva singulari Numinis consilio et providentiâ piis hominibus ac probis fuere destinata, ex quo aurum primæ ætatis corrumpi admixto sequentis ætatis ære cœptum est mox æream ætatem excepit ferrea, et omnia malæ in orbem invexit, quæ quidem effugere licebit piis, si me

54. *Radat.* Nimbi, et largiores pluviæ terram radunt et verrunt; non rigant, ac insinuant se, ac blandè influunt.

57. *Argoo.* Argous remex, Argous vector; qui navim Argo conscendit.

Pinus. Arbor, ex quâ vulgò naves fabricantur.

58. *Colchis.* Medea, cujus pater Æta rex Colchidis fuit. Est ea regio Asiæ prope Pontum et Iberiam, ad Euxinum mare.

59. *Sidonii.* Sidon, urbs Phœniciæ ad mare sita; emporium celeberrimum; nunc vocatur *Scyde.* Significat Fortunatas insulas carere hominibus avaris et injustis, quales fermè sunt nautæ ac mercatores; item libidinosis et voluptati deditis, quales Ulyssis socii fuere. Cadmus è Phœniciâ cum sociis venit in Græciam. Sidonii et Lydii Phœniciibus vicini, artem nauticam imprimis callebant.

Cornua. Extremas hinc inde partes antennarum: quæ sunt ingentes perticæ transversæ, de quibus suspensa sunt vela.

Ærea dehinc ferro duravit secula; quorum
Piis secunda, vate me, datur fuga.

vatem ac Deorum interpretem, bene monentem audiant et sequantur.

Ode XII.

Veniam à Canidiâ petit, cujus artem contempserat.

Jam jam efficaci do manus scientiæ
Supplex, et oro regna per Proserpinæ,
Per et Dianæ non movenda numina,
Per atque libros carminum valentium
Refixa cœlo revocare sidera,
Canidia, parce vocibus tandem sacris,
Citumque retro solve, solve turbinem.
Movit nepotem Telephus Nereïum,

Nunc tandem agnosco vim artis magicæ, et me victum fateor: oro te atque obtestor, Canidia, per Proserpinæ regna, per Dianæ numen, quod impunè irritari non solet, per illas incantationes sacris mandatas libris, quarum ea potestas est ut astra detrahere polo valeant; omitte, obsecro, diras illas, quibus me insectaris ac perdis, voces, et rhombum, quem summâ ce-

1. *Do manus.* Dare manus, est cedere, et fateri se inferiorem esse. Victi, supplices manus protendunt.

3. *Dianæ.* Hæc non solùm pestilentiam et morbos hominibus credebatur immittere, sed etiam furorem et amentiam: et qui ab eâ percussi erant σεληνιακοὶ, *lunatici*, vocabantur.

7. *Turbinem.* Erat ille turbo magicus, instar fusi, quem obvolutum intortis filis ac tæniis circum agebant dextrorsum aut sinistrorsum in orbem. Ut esset irrita incantatio, motum ejus inhibebant; ut incantatio eadem in contrariam partem valeret, turbinem retrò convertebant solutis teniolis; si, verbi gratiâ, impulsus fuisset dextrorsum, sinistrorsum volvebant.

8. *Telephus.* Mysiæ rex, quæ regio est minoris Asiæ ad Hellespontum: cùm Græcos ad Trojanam expeditionem proficiscentes impedire conaretur, ne per Mysiam iter facerent ab Achille vulneratus est. Cui plagæ cùm remedium nullum

In quem superbus ordinarat agmina
Mysorum, et in quem tela acuta torserat.
Luxere matres Iliæ addictum feris
Alitibus, atque canibus homicidam Hectorem;
Postquam relictis mœnibus rex procidit
Heu! pervicacis ad pedes Achillei.
Setosa duris exuere pellibus
Laboriosi remiges Ulyssei,
Volente Circe, membra; tunc mens et sonus
Relatus, atque notus in vultus honor.
Dedi satis superque pœnarum tibi,
Amata nautis multum et institoribus.
Fugit juventas, et verecundus color

leritate contorsisti, quæso, in contrariam partem volve. Quanquam Telephus Mysorum cohortes in Achillem instruxisset, eumque sagittis antea petiisset, ejus animum tamen misericordia commovit: matronæ Trojanæ cadaver Hectoris, à quo tam multi Græci fuerant cæsi, delibutum unguentis tumulo intulerunt, licèt illud Achilles vulturibus et canibus devorandum jam destinasset; sed victus est lacrymis Priami, qui Trojâ egressus, et ad obstinati victoris pedes heu! provolutus jacuit. Socii Ulyssis, cujus patientiam et labores ætas omnis prædicabit, porcorum, in quos fuerant mutati, setas et cutem hispidam deposuerunt, Circe id Ulyssis precibus dante, simulque ratio et mens pristina, cùm humanâ formâ, fuerunt ipsis restitutæ. Plus satis me punita es, quòd contemnere sim ausus te, quam

satis idoneum reperiretur, Oraculo responsum est, fore ut eàdem hastâ, quâ fuerat vulneratus, sanaretur. Adiit igitur Achillem supplex, et ab eo impetravit, ut ex hastæ, quâ ictus erat, rubigine, malagma conficeret, ac vulneri suo imponeret: quo facto statim sanitatem est consecutus.

Nereïum Nepotem. Achillem, qui Genitus Thetide, filiâ Nerei.

11. *Iliæ.* Troja Ilium est appellata ab Ilo Trois filio.

Rex. Priamus, qui, duce Mercurio noctu, tentorium Achillis adiit, et corpus Hectoris ab eo postulavit, exoravitque.

14. *Heu.* Miserum est enim regem ad hostis superbi genua provolutum cadere.

15. *Setosa.* Villosa, et setis porcinis aspera. Socios Ulyssis, quos Horatius remiges hìc vocat, à Circe mutatos in sues fuisse nemo nescit.

18. *Honor.* Majestas humanæ formæ.

21. *Verecundus color.* Rubicundus. Nam rubor est vere-

Reliquit ossa pelle amicta luridâ;
Tuis capillus albus est odoribus.
Nullum à labore me reclinat otium:
Urget diem nox, et dies noctem; neque est
Levare tenta spiritu præcordia.
Ergo negatum vincor ut credam miser,
Sabella pectus increpare carmina,
Caputque Marsâ dissilire næniâ.
Quid amplius vis? ô mare, et terra, ardeo,
Quantum neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore, nec Sicanâ fervidâ
Furens in Ætnâ flamma: tu, donec cinis

nautæ omnes et mercatores depereunt. En vide, ut juvenilis ille meus vigor penitus defloruerit, ut palleat macilentum os, et arida cutis vix ossa livida vestiat. Mei capilli canescunt à tuis Pharmacis et venenis et immissam ante tempus senectutem præ se ferunt: nulla mihi per te quies concedetur: diem laboris et molestiæ plenum excipit laboriosa gravisque nox: luce noctem, nocte lucem requiro; nec licet spiritum ducere, et fessos distentosque pulmones liberiori anhelitu relaxare. Itaque experientiâ meâ victus, fateri cogor quod antea negaveram, carminibus magicis hominum animos perturbari, eorum capita Sagarum incantationibus diffindi. Quid ultra tendis? ô mare, ô terra! æstuo, et gravioribus flammis uror, quàm olim Hercules cùm pallam Nessi sanguine imbutam induit; quàm Ætna, Siciliæ

cundiæ et pudoris veluti color.

24. *Reclinat.* Solvit, liberat. Quiescere solemus reclinati et jacentes.

28. *Sabella.* In Sabinorum regione multi venefici. Sunt qui Sabellos à Sabinis distinguant, licèt ab illis oriundos fateantur.

29. *Marsâ.* Marsi etiam veneficis infames erant.

Sicana. Sicula. Quantum nec Sicana flamma virens in fervidâ Ætnâ. Virens flamma, est, perennis, vivax, valida: virere quippe dicuntur ea omnia quæ vegeta sunt ac vivida: sic viridis senectus dicitur, genua virentia, etc. Quid quod *florem ignis*, Homerus dixit, πυρὸς ἄνθος, et alio quodam in loco, φλὸξ ἐμαράνθη, *flamma defloruit.* Lucretius florem etiam dat flammæ Lib. 1: et Martialis Lib. II. Quibus auctoribus adducor ut legendum hic omnino putem *virens.* Legunt nonnulli tamen *furens* Ætna, mons notus, flammas eructans, ut pulchrè Virgilius describit Lib. III. Æneidos, ver. 571.

Injuriosis aridus ventis ferar,
Cales venenis officina Colchicis.
Quæ finis? aut quod me manet stipendium?
Effare, jussas cum fide pœnas luam:
Paratus expiare, seu poposceris
Centum juvencos; sive mendaci lyrâ
Voles sonari, tu pudica, tu proba,
Perambulabis astra sidus aureum.
Infamis Helenæ Castor offensus vicem,
Fraterque magni Castoris, victi prece,
Adempta vati reddidere lumina.
Et tu, potes nam, solve me dementiâ,

mons, quæ semper novis et reparatis ignibus incenditur: tu interim ex officinâ tuâ depromere non cessas magica pharmaca, quibus tandiu deflagrem dum in cineres denique totus dilabar. Quem pœnis tandem meis finem statuis ac modum? quo me perire supplicio jubes! eloquere: quascumque jusseris pœnas dependam, ac subibo fideliter, ut scelus meum deleam: sive te centum boum sacrificio, placari velis; sive tuas laudes falsis carminibus et adulatoriis hymnis cani; fiet. Prædicabo te probam esse ac pudicam, sideribus te primis comparabo, et cœlo inseram. Castor, ejusque frater Pollux, indignè ferentes ignominiam inustam Helenæ sorori suæ, quàm poëta malus infamem reddiderat; ejusdem tamen poëtæ precibus evecti, oculorum usum, quibus eum orbaverant ipsi reddiderunt. Tu quoque, potes enim, oro te, mentem mihi sanam redde, ô mea Canidia, cujus parentes fuere honestissimi: quæ pauperum sepulcra

35. *Cales, etc.* Similis es officinæ, in quâ igne multo conficiuntur venena: vel, quæ abundat venis urendi vim habentibus.

36. *Stipendium.* Propriè est pecunia militibus in diem dari solita, stips, quæ illis penditur. Pro quolibet præmio et mercede usurpatur: præmium autem dicitur etiam de pœnâ et supplicio. Quam pœnam vis me luere? vel, Quid vis tibi mercedis à me dari, ut liberer?

39. *Centum juvencos.* Sacrificium centum boum, vocabatur Hecatombe. Hoc sacrificio placari solebat Proserpina, seu Hecate.

42. *Infamis, etc.* Stesichorus Poëta carmen de Helenâ scripserat, in quo eam facem Trojani belli dicebat extitisse, oculis subinde captus recantavit quæ cecinerat, hanc pœnam sibi à Castore et Polluce divinitus immissam existimans: aiuntque usuram oculorum ipsi fuisse restitutam.

O nec paternis obsoleta sordibus,
Nec in sepulcris pauperum prudens anus
Novendiales dissipare pulveres.
Tibi hospitale pectus, et puræ manus.

refodere non calles, ut Sagæ illæ vetulæ factitant; eorumque cineres non dispergis; cujus benignus animus, manus flagitio nullo inquinatæ.

46. *Obsoleta.* Obsoletum idem est, ac vetus, sordidum. Natales Canidiæ obscuros et fortasse spurios innuit. Totus hic locus ironicus est.

47. *Sepulcris pauperum.* Sepulcra divitum et busta erant fere septa et inclusa; itaque illorum ossa erui à veneficis facilè non poterant, et cineres dissipari.

48. *Novendiales.* Composita vox, à novem, et dies: novendiale, quod novem continuis diebus durat; vel quod nonâ die fit. Novendiale sacrificium fiebat mortuis nonâ die ab obitu. Cineres à novem diebus combusti; reliquiæ cadaverum, nondum in urnas abditæ, aut humo infossæ. Nonâ enim die cadaver sepultum et humatum fuisse testatur Servius: licèt falsò videatur affimare per septem dies servatum domui fuisse, octavo die combustum. Virgilius certè conditos cineres et ossa lecta testatur tertio post cadavera cremata die. Lib. XI. Æn. ver. 212. Et Acron tres tantum dies mortuos domi servatos fuisse docet.

ODE XIII.

Respondet Horatio Canidia, se nunquam illi placatum fore.

QUID obseratis auribus fundis preces?
Non saxa nudis surdiora navitis
Neptunus alto tundit hybernus salo.
Inultus ut tu riseris Cotyttia
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis?
Et Esquilini Pontifex venefici,
Impune ut urbem nomine impleris meo?
Quid proderit ditasse Pelignas anus,

QUid me precibus tuis incassum obtundis? Scopuli quos hyberni fluctus medio in mari verberant; non magis auriti sunt ad excipienda nautarum naufragorum vota, quàm ego ad tua audienda. Tune sic deriseris impunè sacra quæ Cotyttoni fiunt, in quibus sua datur Cupidini licentia? Tu ea palam impunè divulgaveris? Tu perinde quasi esses summus Pontifex, ad quem sacrificiorum cognitio pertineret, scrutari sis ausus magica sacra, quæ à veneficis in Esquilino colle fiunt. Tu

1. *Obseratis.* Obstructis, quasi cerâ clausis.

2. *Nudis.* Qui omnia, facto naufragio, perdidere.

3. *Salo.* Mari. σάλος Græcis est ipse maris æstus, ac perturbatio.

4. *Cotyttia.* Subaudi mysteria sacrificia. Cotys, seu Cotytto, Dea quædam fuit à Thracibus et Græcis culta, præses impudicitiæ. In veteribus libris legitur *Cotytia*, id est, tartarea, avernalia: quod non omnino improbat Torrentius, explicatque has voces *Sacrum liberi Cupidinis*, magica sacra, quibus aliquis amore malo obstrictus liberatur.

5. *Sacrum, etc.* Appositio est; Quæ mysteria sunt sacrum, seu sacra, in quibus liberè et impunè Cupido bacchatur, et per omne libidinis genus vagatur.

6. *Esquilini.* Ad portam esquilinam erant multa pauperum sepulcra, et cadavera facinorosorum supplicio affectorum. Itaque huc frequentes Veneficæ conveniebant ad legenda ossa.

Pontifex. Cura sacrorum, veneficiorum, etc. pertinebat ad Pontificem Maximum.

8. *Ditasse.* Magnis mune-

Velociusve miscuisse toxicum,
Si tardiora fata te votis manent?
Ingrata misero vita ducenda est, in hoc,
Novis ut usque suppetas doloribus.
Optat quietem Pelopis infidus pater,
Egens benignæ Tantalus semper dapis;
Optat Prometheus obligatus aliti;
Optat supremo collocare Sisyphus
In monte saxum: sed vetant leges Jovis.
Voles modò altis desilire turribus,
Modò ense pectus Norico recludere;
Frusraque vincla gutturi nectes tuo,
Fastidiosâ tristis ægrimoniâ.
Vectabor humeris tunc ego inimicis eques;
Meæque terra cedet insolentiæ.

meum nomen inustum infamiæ urbe totâ cantaveris, et inultum id feras? Nihil tibi proderit magnam auri vim in veneficias pelignas erogasse, ut earum ope conficeres pharmacum aliquod ad mortem tibi accelerandam; tardiùs omnino, quàm velles, morieris. Tibi vita insuavis et acerba prorogabitur eam ob rem, ut in nova semper supplicia recens integerque sufficias. Perfidus Tantalus ærumnarum finem flagitat ac famis, quâ medios inter cibos undique affluentes torquetur. Flagitat quietem Prometheus, infelix victima diro vulturi addicta et devota. Unum id Sisyphus postulat, ut lapidem in montis culmine stabilem ac firmum aliquando constituat: sed obstant fata et leges à Jove sancitæ. Similiter tu optabis, at frustra, modò dare te summâ è turri præcipitem, modò in viscera gladium adigere. Nequicquam mœrore ac tædio vitæ confectus laqueum collo inseres. Tunc insultabo tibi; tunc exiliam, et humum libero pede perpri-

ribus datis locupletasse.

Pelignas anus. Sagas vetulas, et veneficias, quæ frequentes erant in regione Pelignorum. Peligni, Italiæ populi Marsis et Sabellis vicini.

13. *Pelopis* Infidum dicit Tantalum, quia cùm interesset conviviis Jovis, et versaretur unà familiariter, multa perperam effutierit, quæ tacenda erant.

Obligatus aliti. Illi quasi obstrictus et alligatus, ita ut ab eâ non discedat.

22. *Vectabor, etc.* Qui insultant alicui, eum si possunt, pedibus premere gaudent, ut eques equi fatigat armos calcaribus: ut lecticariorum humeris gestabantur divites, ostentandi se causâ.

23. *Terra cedet, etc.* Qui terram pedibus calcant vehe-

An quæ movere cereas imagines,
Ut ipse nosti curiosus, et polo
Deripere Lunam vocibus possum meis;
Possum crematos excitare mortuos,
Desiderîque temperare poculum,
Plorem artis in te nil valentis exitum?

mam. Egone, quæ hanc vim et potestatem habeo, ut cereas hominum effigies agitem ac torqueam quo libuerit, nam id ipse non ignoras, qui hæc nostra mysteria nimium curiosis oculis indagasti; ut Lunam è Cœlo meis carminibus imperiisque devocem; ut mortuis jam combustis vitam reddere possim; ut idoneas excitando amori potiones conficiam, ego, inquam, artem meam nihil valere adversum te, nihil posse, patiar et inulta gemam?

mentiùs et insolentiùs, eam cedentem ac subsidentem sentiunt. Ita, inquit Canidia, calcabo te, Horati, ac proteram.

24. *Cereas imagines.* Utuntur venefici quibusdam imaginibus cereis, quæ locum ac vicem gerant earum personarum quibus nocere volunt. Eas movent, feriunt, torquent, in iisque experiuntur omnia quæ facerent ipsis hominibus si adessent, ac revera ipsos, quorum eæ sunt imagines, eadem sentire aiunt et pati.

29. *Nil valentis.* Nihil efficere valentis contra te. Legitur in quibusdam codicibus *nihil habentis exitus.* Id est, nullum exitum, nempe felicem et optatum, habentis. Sic dicimus nihil gratiæ habere alicui, pro nullam gratiam: nihil commodi ferre, etc.

Exitum. Videlicet sinistrum, et votis non respondentem. De illo enim agi tota loci sententia satis innuit.

Ode XIV.

Carmen Seculare.

Phoebe, sylvarumque potens Diana,
Lucidum cœli decus, ô colendi
Semper, et culti, date, quæ precamur
Tempore sacro,
Quo Sibyllini monuere versus
Virgines lectas, puerosque castos,

O Phœbe, tuque ô Diana nemorum præses, ambo clarissimum cœli ornamentum, quos et coluimus semper, hactenus et colere inposterum meritò debemus, annuite precibus quas hoc sacro tempore fundimus, quo, sicut Sibyllinis carminibus præscriptum accepimus, delectæ omni ex urbe virgines ac pueri

Carmen seculare. Ita dictum est quod vertente seculo caneretur. Romani post exactum seculum quodlibet ab Urbe conditâ, dies festos, ludosque celeberrimos agebant, certasque preces et hymnos Diis Imperii præsidibus, Apollini præsertim, Dianæ, ac Parcis concinebant. Jussus est Horatius ab Augusto Oden istam eâ de causâ scribere; anno U. C. 737. ut in ejus vitâ dixi.

5. *Sibyllini versus.* Sibyllæ, virgines quædam erant afflatæ divino spiritu, quæ multa posteris temporibus eventura prædixere. Decem vulgò numerantur. In Italiâ insignis fuit ea, quæ ab urbe Cumis, ubi degebat, Cumana nuncupatur., de quâ Virgilius agit Lib. VI. Æn. Hæc libros quosdam carminum sacrorum plenos obtulit Tarquinio Superbo Romanorum regi, qui eos inter Imperii Rom. sacra haberi voluit, præpositis viris à quibus in Capitolini Jovis sacrario servarentur, et, cùm esset opus, consulerentur. Illi viri primùm duo, deinde decem, postea quindecim creati sunt. Porro libros Sibyllinos, cùm exustum Syllæ tempore fuisset Capitolium, deperditos reparavit Augustus, conquisitis undique Sibyllarum versibus, eosque in arculis aureis duabus sub statuâ Palatini Apollinis collocavit.

6. *Virgines lectas.* Deligebantur ad hoc seculare carmen

Dis, quibus septem placuere colles,
Dicere carmen.
Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis, et celas, aliusque et idem
Nasceris, possis nihil urbe Româ
Visere majus.
Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres;
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu Genitalis:
Diva, producas sobolem; Patrumque
Prosperes decreta super jugandis

hymnum solemnem Diis Romæ præsidibus custodibusque concinunt. O Sol, qui alis omnia et foves, qui lucido curru diem profers et condis, qui quotidie tanquam alius quidam nasceris, licèt unus semper idemque sis; utinam, dum orbem universum lustras, nullam urbem aspicias Româ pulchriorem et majorem! O Ilithyia, quæ fœminis parientibus singulari benignitate fers opem, ut fœtus tempestivos in lucem edant; serva matres ac tutare; sive gratius tibi nomen est Lucinæ, sive Genitalis; rogamus, Diva, et petimus, ut urbem sobôle augeas, et fortunatá esse velis Senatus decreta de fœminis in matrimonio rite

concinendum ex urbe totâ nobiles pueri septem et viginti, ac totidem puellæ; quorum patres matresque forent superstites. Ex iis conficiebantur duo chori, qui alternis canerent.

7. *Septem colles.* Aventinus, Capitolinus, Cælius, Esquilinus, Palatinus, Quirinalis et Viminalis.

10. *Alius.* Quia dies hodiernus alius est ab hesterno; et alio Sol quotidie oritur loco sæpè et alio vultu.

14. *Ilithyia.* Nomen est Dianæ, sive Junonis, et Græca vox Ειλειθυια, à verbo ἐλεύθω, *venio, orior*, Quod nascentibus faveret.

Lenis aperire. Græca item locutio; id est, quæ leniter aperis et edis in lucem fœtus tempestivos.

15. *Sive tu, etc.* Erat hæc apud illos religio, ut Deos appellare laborarent eo nomine quod putarent ipsis esse gratissimum: quod nomen cùm ignorarent, plurima congerebant.

Lucina. Aliud Dianæ nomen, quod à parentibus etiam solebat iterari. Lucina porrò dicebatur à luce, in quam ut feliciter ederentur infantes, toga-

Fœminis, prolisque novæ feraci
Lege maritâ.
Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos,
Ter die claro, totiesque gratâ
Nocte frequentes.
Vosque veraces cecinisse, Parcæ,
Quod semel dictum est, stabilisque rerum
Terminus servat, bona jam peractis
Jungite fata.
Fertilis frugum, pecorisque tellus

collocandis, ac de lege maritali, quæ, si vim obtinebit suam, numerosâ prole familias beabit: ut certum temporis spatium, tanquam in orbem per annos decies undecim recurrens, cantus ludosque istos reducat, quos triduo toto frequentamus, ac die noctuque celebramus. Vosque, ô Parcæ, quæ vera semper canitis, adeo ut non sit revocabile, neque aliter fieri possit quicquid semel à vobis dictum constitutumque est, sed ad eum semper, quem rebus ipsis præstituistis, finem terminumque

batur. Dicebatur etiam *Genitalis*, à gignendo.

18. *Jugandis.* Matrimonium jugum dicitur, unde conjugium. Leges eâ tempestate nonnullas tulerat Senatus, quibus conjugiorum honori consuleretur et sanctitati, pœnæ in adulteros erant constitutæ, etc. Imprimis verò legem *Juliam de maritandis ordinibus.* Augustus paulo ante hoc Horatii carmen sanxerat, quâ decernebantur iis præmia qui liberos è legitimo matrimonio suscepissent, etc. quam legem *maritam* seu maritalem, Vates appellat, et fœcundam liberorum, quia plurimùm erat ad augendam sobolem valitura.

21. *Undenos decies annos.* Ludi seculares, non post centesimum quemque annum, sed post centesimum decimum celebrabantur. Primi enim editi sunt anno U. C. 298. Secundi, 408. Tertii, 517. Quarti, 626. Isti demum, 737.

27. *Servat.* Plerique codices habent *servet:* quasi vox ea precantis sit. Utinam perpetuum sit Romanum Imperium, uti cecinistis, ô Parcæ, et constans ad extremum usque terminum et mundi finem felicitas eundem Imperii cursum ac statum conservet. Potest etiam ea vox *terminus* explicari de Deo quodam qui *Terminus* vocabatur, cujus effigies in Capitolii fundamentis reperta, loco moveri non potuit, unde perpetuitatem et æternitatem Romani Imperii

Spiceâ donet Cererem coronâ :
Nutriant fœtus et aquæ salubres,
Et Jovis auræ.
Condito mitis, placidusque telo
Supplices audi pueros, Apollo.
Siderum regina bicornis audi
Luna, puellas.
Roma si vestrum est opus, Iliæque
Littus Etruscum tenuere turmæ,
Jussa pars mutare Lares, et urbem
Sospite cursu;
Cui per ardentem sine fraude Trojam
Castus Æneas patriæ superstes,
Liberum munivit iter, daturus

perveniat; præteritæ felicitati futuram, et prosperis fatis, quæ hactenus largitæ estis huic Imperio, similia inposterum addite. Abundet tellus frugibus et pecore; abundet messibus, unde Cererem coronâ è spicis confecta muneremur. Pecudum alumnos alat, iisque incolumitatem præstet aquarum cœlique salubritas. O Apollo, puerorum qui tibi supplicant precibus aurem accommoda, et sagittas tuas letiferas bonus ac placatus preme. Tu Luna, quæ minorum astrorum principatum obtines, puellas precantes ne respue. Si vos auctores verè parentesque suos agnoscit Roma, si Trojanæ cohortes ad mare Tyrrhenum appulerunt vobis auspicibus et cursum feliciter regentibus, cùm à vobis jussæ sunt domos patriamque relinquere, Æneâ duce;

Vates augurati erant, quam fortè ob causam appellatur hic ab Horatio *stabilis rerum Terminus:* qui nempe res Imperii Romani stabiles facit.

30. *Spiceâ.* Peracta messe spicas in coronæ formam collectas Cereri offerebant agricolæ.

33. *Condito telo.* Sol radiis suis, quasi telis ac spiculis, in terras conjectis, hoc est, nimio æstu, pestem et morbos importat.

35. *Bicornis.* Crescente Lunâ celebrabantur isti ludi.

38. *Etruscum.* Æneas ad eam Italiæ partem est appulsus, quæ à mari Tyrrheno alluitur.

39. *Jussa pars, etc.* Appositio est, quæ turmæ, pars quædam erant urbis Trojanæ, oraculis Deorum jussa patriam deserere. Virgil. Lib. III. Æn. ver. 5.

40. *Sospite cursu.* Felici navigatione. Fraude, Damno.

Plura relictis :
Dî probos mores docili juventæ,
Dî senectuti placidæ quietem,
Romulæ genti date, remque, prolemque,
Et decus omne.
Quique vos bobus veneratur albis
Clarus Anchisæ, Venerisque sanguis,
Imperet bellante prior, jacentem
Lenis in hostem.
Jam mari, terrâque manus potentes
Medus, Albanasque timet secures;
Jam Scythæ responsa petunt, superbi
Nuper, et Indi.
Jam fides, et pax, et honor, pudorque
Priscus, et neglecta redire virtus

qui tristes istas Danaûm reliquias per media Trojæ deflagrantis incendia incolumis, et è patriæ quodam quasi busto redivivus, tuto itinere huc perduxit, imperium habituras ac regionem eâ quam deserebant ampliorem multò et meliorem. Date, ô Superi, juvenibus docilitatem, castimoniam et pudorem; date senibus otium et quietem, Romanis denique universis opes, liberos, gloriam ac dignitatem. Facite imprimis ut egregius princeps, ab Anchisâ et Venere oriundus, qui vobis boves candidas immolat, ita orbis imperium pergat obtinere; ut superior sit hostibus ipsi bellum inferentibus, et in eosdem victos ac veniam orantes clementiam et benignitatem adhibeat. Jam ejus victrices manus, et potentiam securesque Romanorum, Medi terrâ marique reformidant : jam Scythæ et Indi non ita pridem feroces et protervi, Romam, quasi ad oraculum, accedunt, et inde belli pacisque leges petunt. Jam Fides, Pax, Honor, et

49. *Quique, etc.* Augustus ab Æneâ, Anchisæ Venerisque filio, ducens originem.

54. *Albanas.* Alba, urbs Italiæ, et Romæ quasi parens; in eâ quippe regnavit Ascanius Æneæ filius, et multi secundùm illum Reges, à quibus fasces, secures, et alia dignitatis ac potestatis insignia Romani sumpsere. Florus Lib. I. Virg. Lib. I. versu 275. item Lib. VII. vers. 601.

55. *Responsa.* Sic appellantur propriè oracula, et alia, quæcunque sacerdotes aut ipsi Dii interrogantibus respondent.

56. *Indi.* Asiæ populi, prope Sinas.

Audet; apparetque beata pleno
Copia cornu.
Augur et fulgente decorus arcu
Phœbus, acceptusque novem Camœnis,
Qui salutari levat arte fessos
Corporis artus:
Si Palatinas videt æquus arces,
Remque Romanam, Latiumque felix,
Alterum in lustrum, meliusque semper
Proroget ævum.
Quæque Aventinum tenet, Algidumque,
Quindecim Diana preces Virorum
Curet, et votis puerorum amicas
Applicet aures.
Hæc Jovem sentire, Deosque cunctos,

antiquus Pudor, Virtusque antehac despecta, referre pedem audent, ac inter homines versari: jam Copia pleno cornu suas in nos profundere opes gestit. Si Phœbus, qui Auguriis præsidet, qui aureum semper gestat arcum, et Musis novem acceptissimus est, qui arte saluberrimâ morbos ægris corporibus depellit, si Phœbus, inquam, Ædem in Palatino monte sibi dedicatam probat, nomen Romanum ac florentis Imperii statum non modò conservet in alterum usque seculum, verùm etiam ornet in dies magis ac augeat. Diana, quæ in Aventino et Algido colitur, patiatur exorari se precibus quindecim virorum, et benignis auribus pueros supplicantes audiat. Nos, pueri ac puellæ, qui hunc hymnum in Phœbi et Dianæ honorem canere instituti sumus, redimus domum cum bonâ spe,

65. *Palatinas.* In monte Palatino positas. In eo monte Palatium Augusti erat, ac templum Apollinis.

Æquus. Propitius.

67. *In lustrum.* Lustrum erat spatium annorum quinque, quo exacto lustrabatur civitas à Censoribus. Inter lustra porro celeberrimum erat tertium et vigesimum, quo ineunte, seculum novum ducebatur. De hoc lustro loquitur Horatius.

69. *Aventinum.* Erat ille mons in ipsâ Româ, Dianæ templo celebris. Algidus mons non procul Româ.

73. *Hæc Jovem.* Hanc strophen uterque chorus junctis vocibus recitabat: cæteras fere omnes canebat alternis, ut dixi.

Spem bonam, certamque domum reporto,
Doctus, et Phœbi chorus, et Dianæ
Dicere laudes.

ac Jovem Superosque omnes nostris precibus et votis assentiri omnino confidimus.

FINIS LYRICORUM.

INDEX ODARUM.

Primus numerus Librum indicat; alter Oden; tertius paginam.

DE ARTE POETICA
LIBER,
SEU EPISTOLA
AD PISONES PATREM ET FILIOS.

ARGUMENTUM ET SYNOPSIS LIBRI.

I. MATERIAM et partes poëmatis universè sumptas, earumque cum opere toto necessariam consensionem explicat à versu 1 ad 46. II. Elocutionem, seu verborum versuumque rationem expendit à versu 46 ad 119. III. Agit de personis quæ inducuntur loquentes in carmine Dramatico : illæ vel notæ sunt : vel novæ et ignotæ : quid in utrisque sit observandum præcipit à 119 ad 136. IV. Quædam subjicit de partibus poëmatis sigillatim sumtis, initio, medio, extremo, à 136 ad 153. V. De moribus ætati cuilibet ac personæ aptandis fusiùs disserit à 153 ad 189. VI. De Tragœdia et Comœdia seorsum disputat : de numero actuum, de officio chori, de musica quæ inter actus interjicitur, et Satiricis fabulis : de versu iambico : de auctoribus et inventoribus Tragœdiæ, et veteris Comœdiæ : ait utramque à Græcis inventam, tentatam feliciter à Latinis, et ab iisdem feliciùs tractandam fuisse, nisi eos deterreret bene scribendi labor et mora, quæ duo plus juvant ad poëseos laudem assequendam, quàm solitudo, et negligentia in cultu corporis, quâ se vulgò tum poëtæ commendabant, à versu 189 ad 309. VII. Congerit præcepta quædam communia : nempe sapientiam, seu philosophiam, præsertim moralem, esse principium ac fontem bene scribendi; hanc à teneris discendam; quomodo delectare possint poëtæ ac docere; picturæ similem poësim esse; nullam, nisi optimam probari; mediocribus tamen poëtarum delictis dari veniam oportere. Ad poëtam formandum et alendum valere imprimis naturam, artem, laborem, et accurati censoris judicium, à 309 ad finem.

ARS POETICA.

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere si velit, et varias inducere plumas,
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa supernè,
Spectatum admissi risum teneatis amici?
Credite, Pisones, isti tabulæ fore librum
Persimilem, cujus, velut ægri somnia, vanæ
Fingentur species, ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ. Pictoribus, atque poëtis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.
Scimus, et hanc veniam petimusque, damusque vicissim.
Sed non ut placidis coëant immitia, non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.

Inceptis gravibus plerumque, et magna professis
Purpureus, latè qui splendeat, unus, et alter
Assuitur pannus; quum lucus, et ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus.
Sed nunc non erat his locus; et fortasse cupressum
Scis simulare. Quid hoc? si fractis enatat exspes

6. *Pisones.* Lucius Piso, ejus Pisonis filius, in quem Cicero gravissimâ oratione invectus est, duos habuit liberos amantes litterarum, et poëticæ studiosos: illis hanc epistolam, sive librum mittit Horatius.

16. *Ara Dianæ.* Erat Lucus Dianæ sacer, et ara, prope Ariciam. Huic aræ præpositus sacerdos, Rex nemorum dicebatur. Altera fuit Dianæ ara celebris in Taurica Chersoneso.

18. *Rhenum.* Rhenus, ingens fluvius, Gallias à Germaniâ separans: *le Rhin.*

Pluvius. Qui pluviam denuuciat, Iris fit in nube roscida et stillante.

19. *Cupressum.* Arbor est funesta, et in funeribus tantùm adhiberi solitâ: minus igitur hìc idonea, siquidem enatat naufragus, et vivit. Pictores imperiti libenter arbores ubilibet depingunt, maximè cupressos, quæ facilè pinguntur.

20. *Simulare.* Pingere. Picturæ laus quippe prima est, ut res pingendas assimilet veris. Neque aliud poëtæ, itidem ut pictores, sunt, quàm imitatores

ARS POETICA.

QUis vestrûm, amici Pisones, à risu temperaret, si fortè vobis tabella proponeretur spectanda, in qua pictor humanum caput imposuisset collo equi, tum corrogata et in unum collecta è variis animalibus membra componens, ea sic plumis versicoloribus indueret, ut superior hujus monstri pars formosam exhiberet mulierem, posterior deformem horridumque piscem? sic habetote, Pisones, simillimum huic picturæ librum fore, cujus partes inconditæ et incompositæ, tanquam illæ species quæ somniantibus ægrotis objiciuntur, erunt ita perturbatæ et dispares, ut nec prima nec postrema pars ad unam et eamdem formam ac figuram efficiendam, in unum quoddam totum conspiret. Pictores, inquiet aliquis, et poëtæ parem habent quidvis fingendi facultatem. Equidem non diffiteor, utque hanc potestatem et copiam ultro invicem concedimus, ita vicissim alteri ab alteris postulamus. Non eâ tamen lege ut simul jungantur animalia mitia et mansueta cum feris et immanibus; ut angues cum volucribus, agni cum tigribus, componantur.

Sæpe initium poëmatis est splendidum, et ejusmodi, ut magnum aliquid polliceri videatur: sed huic initio gravi et decoro descriptiones quædam, verbi gratiâ, nemoris et altaris Dianæ, rivuli per virentes campos fugientis, Rheni, aut Iridis, attexuntur, et tanquam ignobiliori panno frustra purpurea, quæ splendoris plurimum habeant, assuuntur: mendosè; quia hæc prorsus aliena sunt ab instituto, et nequaquam in loco posita. Similis es pictoribus imperitis, qui cupressos, aliasque id genus arbores non inscitè

rerum quæ sunt, aut esse possunt: itaque veritatem aut similitudinem veri sectari debent in omnibus. Id enim duntaxat est imitabile, quod est revera, aut esse potest.

Si fractis, etc. Solebant naufragi pictam circumferre tabu-

Navibus, ære dato qui pingitur? amphora cœpit
Institui, currente rotâ cur urceus exit?
Denique sit quodvis, simplex duntaxat, et unum.
Maxima pars vatum, pater, et juvenes patre digni,
Decipimur specie recti. Brevis esse laboro,
Obscurus fio; sectantem lenia, nervi
Deficiunt animique. Professus grandia, turget:
Serpit humi tutus nimiùm, timidusque procellæ.
Qui variare cupit rem prodigaliter unam,
Delphinum sylvis appingit, fluctibus aprum.
In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.
Æmilium circa ludum faber unus et ungues
Exprimet, et molles imitabitur ære capillos;
Infelix operis summâ, quia ponere totum
Nesciet. Hunc ego me, si quid componere curem,
Non magis esse velim, quàm pravo vivere naso,
Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.

Sumite materiem vestris, qui scribitis, æquam
Viribus et versate diu, quid ferre recusent;
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
Nec faeundia deseret hunc, nec lucidus ordo.
Ordinis hæc virtus erit, et Venus, aut ego fallor,

lam, in qua naufragii luctuosa imago cernebatur, ut eâ specie hominum commiserationem et nummos elicerint

21. *Amphora.* Mensura liquidorum, continens duas urnas, sextarios octo et quadraginta: *vingt-sept ou vingt-huit pintes.*

22. *Rotâ.* Utuntur figuli rotâ, in fictilibus tornandis.

Urceus. Vasculum fictile.

25. *Brevis, etc.* Brevitas, concinnitas, etc. sunt dotes boni carminis: sed eas dum sectantur plerique, decipiuntur specie recti, et in vitium excidunt, in obscuritatem, humilitatem, etc.

32. *Æmilium ludum.* Intelligit ludum gladiatorium: *une salle d'armes*, ubi Æmilius Lentulus, lanista, gladiatores docebat artem armorum tractandorum: *un maître d'escrime.* Æmilium autem ludum dixit, pro, Æmilianum, usus nomine proprio, pro possessivo.

34. *Operis summâ.* Absolutione, perfectione. In opere perficiendo parum felix et peritus.

37. *Nigris oculis.* Oculi nigri, et crines apud Romanos in pretio erant.

40. *Potenter.* Pro potentia et viribus, *selon ses forces.*

42. *Venus.* Gratia, pulchritudo.

pingunt; sed quid hoc ad rem pertinet, cùm idcirco pecunia illis data fuerit ut naufragium pingerent, nudum, rebus omnibus spoliatum, et vix ab iratis fluctibus emersum? Vas aliquod magnum ex argilla veluti fingere cœperas, cur in urceolum desinis? Huc igitur primum artis poëticæ præceptum recidit, ut quodlibet poëma unum quiddam sit, ita suis partibus unam in formam coalescentibus constans, ut ne sit multiplex corpus, sed unicum et simplex. Præterea plerique omnes poëtæ, ô pater, et filii parente digni, in errorem et vitium inducimur specie ac larva recti verique. Est qui brevitatem consectatur, sed obscurè ac perplexè scribit: alius politâ et tersâ oratione concinnus, et comptus esse gaudet, sed nervis caret ac robore: hic grandi et cothurnato utitur stylo, verùm plus æquo assurgens, inflatus ac tumidus est: ille minus cautus dum altum, tempestatis metu, fugit, hæret in littore ac repit humi: alius dum mirâ quâdam et inauditâ rerum varietate lectores oblectare studet, tam absurda sæpe comminiscitur, quàm si delphinos in sylvis ludentes, faceret, aut apros in mari. Omnino nisi arte utimur et prudentiâ, in gravissima peccata delabimur, dum ipsa peccata summoperè fugimus. Inter statuarios, quorum tabernæ sunt circa Æmilianum ludum, videre est unum quempiam cujus officina extremam circi partem spectat, non rudem in excudendis molliter et concinnè unguibus et capillis: verùm, quod caput est, integram statuam suis pro rata portione membris constantem, et omnibus numeris absolutam efficere non potest. Huic ego similis esse, si quid scribam, haud magis velim, quàm turpi deformis esse naso, ceteroquin ob nigros oculos crinesque formosus.

Quicumque poëma meditamini, argumentum deligite vestris ingeniis et eruditioni accomodatum, ac vobiscum diu considerate, cui pares oneri sitis, cuinam impares. Qui materiam scribendi non majorem suis viribus delegerit, is et eam exprimet cum

Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici
Pleraque differat, et præsens in tempus omittat.

In verbis etiam tenuis, cautusque serendis,
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.
Dixeris egregiè, notum si callida verbum
Reddiderit junctura novum. Si fortè necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabiturque licentia sumta pudenter.
Et nova, factaque nuper habebunt verba fidem, si
Græco fonte cadent, parcè detorta. Quid autem
Cæcilio, Plautoque dabit Romanus ademtum
Virgilio, Varioque? Ego, cur acquirere pauca
Si possum, invideor, quum lingua Catonis, et Enni
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
Nomina protulerit? Licuit, semperque licebit,
Signatum præsente notâ procudere nummum.

45. *Serendis.* Faciendis et novandis. Translatio est ab arboribus. Novari verba dicuntur, cùm veluti gignuntur: id quod fieri dupliciter potest, vel juncturâ, seu conjunctione, ut docet Tullius III. de Oratore. Juncturâ quidem, cùm è duobus vocabulis junctis tertium existit. v. g. ex *velum*, et *volvo*, velivolus; ex *fœdus* et *frango*, fœdifragus: ex *post* et *limen*, postliminium. Ita novum: seu novatum verbum, redditur notum propter notas, è quibus junctis constat, voces. Sine conjunctione verò novantur, et fabricantur verba, cùm simpliciter et integrè fiunt: sic vox ista *gemma* usurpata est à Latinis, cùm propriam haberent nullam ad significandum id quod vernaculè in vitibus et arboribus appellatur *un bourgeon*: sic vocabulum Græcum περισκελὶς, *periscelis*, Latinitate donatum fuit ad significandam tæniam, quâ crus cingitur.

49. *Indiciis.* Vocibus, quæ sunt signa rerum.

Abdita rerum. Res abditas et latentes, nondum suis nominibus donatas.

50. *Cinctutis.* Vox vetus, quam de industria hîc usurpat Horatius, pro, cinctis, accinctis, strenuis, et expeditis. Cincto opponitur discinctus. Cingi, propriè est ad militiam et ad pugnam armari. Appellabatur etiam cinctutus, qui utebatur cinctu: erat autem cinctus, ratio quædam et forma vestis, usitata Romanis veteribus, maximè consulibus, in certis ceremoniis,

dignitate,

dignitate, et in ordinem facilè disponet, unde operi lux affulgebit. In eo porro consistit vis ordinis et gratia, nisi fallor, ut quædam, quæ dicenda modò sunt, dicantur; quædam rejiciantur in aliud tempus, et in præsentia taceantur: ut expectati poëmatis conditor nonnulla tractet accuratè; quædam repudiet.

Jam quod ipsa verba spectat, parcum esse oportet ac prudentem in iis fingendis et procudendis. Rectè fueris locutus, si duæ voces alioqui notæ, ingenioso vinculo inter se junctæ, novum vocabulum efficient. Quod si fortè opus erit recens aliquod verbum procreare, ad rem aliquam reconditam indicandam, licebit voces fabricari, quas antiqui illi et strenui Cethegi non audierint, et ea potestas concedetur, modò id verecundè, ac moderatè fiat. In iis autem verbis quæ novata et recèns erunt facta, plurimum illa fidei et auctoritatis obtinebunt, quæ Græcam habebunt originem, à qua modicè derivata proferantur. Quid esse porro causæ potest, cur aliquid Cæcilio et Plauto licuisse in hac parte Romani patiantur, quod Virgilio et Vario concessum esse nolint? Cur invidi molestè ferant à me augeri Latinum sermonem et ditari paucis vocibus, cùm Cato et Ennius patriam linguam locupletaverint, et novis rerum vocabulis inventis auctiorem eam uberioremque reddiderint? Fas fuit, eritque semper, procudere vocem novam, dummodo, tanquam nummus probatus, notam usitatam præ se ferat. Ut in sylvis, vergente in hyemem anno, ea folia labuntur prima, quæ priore loco sunt nata: sic vetustæ voces tanquam senio effœtæ, occidunt; interim dum verba, non ita pridem in lucem edita, instar juvenum vi-

cùm togæ lacinia rejecta in humerum sinistrum, inde ad imum pectus infra brachium dextrum revocabatur, et instar cinguli convolvebatur circa partem summam lintei cujusdam sive subligaculi, quod à lumbis ad femora promissum, illis erat instar tunicæ.

59. *Signatum*, etc. ***Marqué** au coin qui est en usage, au coin public*; Quænam autem est

Ut sylvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt; ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque:
Debemur morti nos, nostraque, sive receptus
Terrâ Neptunus classes Aquilonibus arcet,
Regis opus; sterilisve diu palus, aptaque remis,
Vicinas urbes alit, et grave sentit aratrum:
Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius. Mortalia facta peribunt;
Nedum sermonum stet honos, et gratia vivax.
Multa renascentur quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, et jus, et norma loquendi.

Res gestæ Regumque, ducumque, et tristia bella,
Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.

Versibus impariter junctis querimonia primum
Post etiam inclusa est voti sententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant, et adhuc sub judice lis est.

illa usitata nota et forma, quâ voces, ut nummi, signantur et valent? Est v. g. analogia, proportio, et similitudo, cum vocibus aliis usitatis: est doctorum consensus: est popularis consuetudo, et præsentis ævi usus, etc.

63. *Receptus, etc.* Sinus Puteolanus est in Italia, non procul Neapoli. Prope hunc sinum erat Lucrinus lacus. Is à mari vicino disjungebatur angustâ terræ parte, quâ perfossâ Augustus mare in Lucrinum lacum immisit, effecitque portum, qui Julius Portus est appellatus.

65. *Regis opus.* Id est, regale, Regem enim Augustum Horatius, invidioso tunc nomine, non appellasset.

Palus. Pomptina, sive Pontina, palus est in Italia, in Latio, inter fluvios Asturam et Amasenum, non procul ab foro Appii. Eam olim exsiccaverat Cornelius Cethegus consul. Verùm, cùm subinde esset aquis oppleta, et vicinus ager sterilis jaceret, Augustus iterum eam siccavit.

67. *Seu cursum, etc.* Cùm exundaret Tiberis, coactus est partim extructis Augusti jussu molibus, partim aquis in alium alveum derivatis, parcere agris ac temperare.

69. *Nedum, etc.* Regum opera non sunt sempiterna, quantò minùs verba? Mortalium omnium opera concidunt, quantò magis ipsæ voces dilabentur et senescent?

73. *Res gestæ, etc.* Non satis

gent ac virent. Nimirum non modò nos addicti et devoti morti omnes sumus, verùm etiam nostra omnia: sive immissum in terras mare portum efficit, ac naves tutas à procellis præstat; quod opus regifico sumptu et magnificentiâ perfectum ab Augusto admiramur: sive ager olim sterilis ob stagnantem paludem cymbis perviam, nunc desiccatus, colitur et fruges effert nutriendis oppidis in vicinia positis idoneas: sive fluvius antea exundans, et sata evertens, oppositis aggeribus prohibitus fuit ne noceret, cursumque commodiorem tenere jussus. Hæc, inquam, et cætera mortalium opera evertentur et interibunt: atque adeo multò minus postulandum est, ut perpetua verbis ac sermoni venustas et quasi vita constet. Multæ voces quæ obliteratæ et antiquatæ jam sunt, reviviscent ac iterum florebunt: multæ quæ jam florent et vigent, oblivione deterentur et extinguentur, si Usui visum erit, qui jura sermoni et leges pro imperio arbitrioque ponit.

Docuit Homerus quo scribenda versu forent egregia regum et imperatorum facinora, tristesque bellorum casus.

Adhibiti sunt versus impares et inæquales, alternis juncti, ad exprimendos hominum de adversa fortuna querentium luctus, mox etiam ad canendas res prosperas, quæ nos votorum compotes faciunt. Quis artifex tamen elegiæ fuerit, adhuc altercantur inter se grammatici, necdum ista lis composita est.

est voces idoneas deligere; adhibendum etiam carminis genus argumento congruens. Ea de re nunc agit.

74. *Quo scribi versu.* Heroïco scilicet, qui sonorus in primis, et numerosus est. Non omnis versus hexameter, heroïcus itidem est. Isti versus quibus utitur modò Horatius, hexametri sunt, heroïci non sunt.

75. *Impariter junctis.* Altero longiori sive hexametro; altero breviori, seu pentametro, qui propriè versus elegiacus est.

76. *Sententia voti compos.* Oratio significans lætitiam de re bene ac feliciter gesta.

77. *Exiguos elegos.* Vel, quia elegia constat alternis versibus brevioribus: vel, quia exiguum et tenuem stylum postulat.

Archilochum proprio rabies armavit iambo.
Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni,
Alternis aptum sermonibus, et populares
Vincentem strepitus, et natum rebus agendis.

Musa dedit fidibus Divos, puerosque Deorum,
Et pugilem victorem, et equum certamine primum,
Et juvenum curas, et libera vina referre.

Descriptas servare vices, operumque colores,
Cur ego, si nequeo, ignoroque, poëta salutor?
Cur nescire, pudens pravè, quàm discere malo?

Versibus exponi tragicis res comica non vult;
Indignatur item privatis ac prope socco
Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ.
Singula quæque locum teneant sortita decentem.
Interdum tamen et vocem Comœdia tollit,
Iratusque Chremes tumido dilitigat ore;

Proprio. Non quòd anteà inventus, opinor, non esset iambicus pes et versus : sed quia nemo illum tam opportunè hactenus et splendidè, quam Archilocus, adhibuerat : ideo illius parens et inventor est appellatus.

80. *Socci.* Soccus, humilior calceus, quo utebantur actores comœdiarum, *la chaussure des comédiens.* Cothurnus, calceus altior, et ornatior, quem tragœdiæ actores induebant : *la chaussure de la tragédie.*

82. *Natum rebus agendis.* Quia est celer, et suâ sponte se offerens, *propre pour l'action; pour exprimer les actions des hommes.* Nihil aliud sunt comœdia et tragœdia, quàm imitationes actionum humanarum, hæc illustrium, illa plebeiarum et domesticarum, ut sæpè monuimus. Est idem versus alternis aptus colloquiis, quia minus artis operæque postulat; utpote nativo et quotidiano sermoni propior.

83. *Divos, etc.* Divorum laudes, et dies festi; heroum egregia facinora, ludorum hilaritas et conviviorum; aliaque id genus cantu maximè gaudent, ac celebrantur : est autem lyricum carmen præ cæteris idoneum cantui et symphoniæ, ut patet.

Pueros Deorum. Filios Deorum, ut Herculem, Orpheum, etc.

86. *Descriptas vices.* Assignatum et attributum à magistris artis et proceribus unicuique poëmati hoc illudve carminis genus : certam orationis formam et characterem.

Colores. Ut enim picturadis-

Invenit Archilocus iambicum carmen, quo ad explendam suam in socerum iracundium est usus. Hunc versum sumpsere tragœdiarum pariter et comœdiarum scriptores, quia mutuis colloquiis idoneus est, et gravitatem quandam spirat, propter quam fit ut facilè inter spectantis populi tumultuantisque strepitus audiri possit; demum quia sermoni quotidiano similis, et ad actiones hominum quæ in theatro repræsentatur exprimendas, ab ipsa natura est comparatus.

Placuit Musis ut lyrico versu Divorum laudes, heroum res gestæ, athletarum certamina, velocitas equorum et palmæ, juveniles nugæ, liberiores inter pocula joci, canerentur.

Cur præclarum poëtæ nomen mihi defertur, si carminum hanc varietatem aliorum alii argumento congruentium, aut nescio, aut usurpare non possum, et istis quasi coloribus adumbrare diversa poëmata? cur vitioso pudore ductus meam inscitiam foveo potius ac celo, quàm eamdem et fateor, et emendo, discendo quod nesciebam?

Neque tamen iambici versus qui tragœdiæ conveniunt, iidem comœdiæ sunt appositi. Argumentum, enim tragicum, qualis est illa feralis cœna, in qua Thyestes suos ipse filios devoravit, respuit iambicos versus humili ac plebeio sermone perscriptos, quales in comœdiis adhibentur. Decet igitur rebus et argumentis aptare carmina, ut suum singula locum obtineant. Fieri tamen aliquando potest, ut comœdia grandiori stylo, versibusque sonantioribus uta-

tingui debet ornarique suo quæque pigmento et colore, tristis et luctuosa, obscuro; læta et hilaris, lucido et amœno, etc. sic poëma triste, exempli causâ, exprimendum est elegiaco versu; heroïco, grave ac nobile, etc.

87. *Poëta salutor.* Acron refert poëtas olim magno cum honore solitos appellari, et poëtæ nomine tanquam dignitatis pleno, salutari.

89. *Tragicis.* Ampullatis, sonantioribus.

94. *Chremes.* Senex, apud Terentium. Is in Heautontimorumeno filium graviter, et tragicum in morem, objurgat.

Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri.
Telephus, et Peleus, quum pauper et exul uterque,
Projicit ampullas, et sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse querelâ.
Non satis est pulchra esse poëmata, dulcia sunto;
Et quocunque volent, animum auditoris agunto.
Ut ridentibus arrident, ita flentibus adflent
Humani vultus. Si vis me flere, dolendum est
Primùm ipsi tibi, tunc tua me infortunia lædent.
Telephe, vel Peleu, malè si mandata loqueris,
Aut dormitabo, aut ridebo. Tristia mœstum
Vultum verba decent; iratum, plena minarum;
Ludentem, lasciva; severum, seria dictu.
Format enim Natura priùs nos intus ad omnem
Fortunarum habitum; juvat, aut impellit ad iram;
Aut ad humum mœrore gravi deducit, et angit;
Post effert animi motus interprete linguâ.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollent equites, peditesque cachinnum.
Intererit multùm divusne loquatur, an heros:
Maturusne senex, an adhuc florente juventâ

96. *Peleus.* Achillis pater, ab Æaco parente suo propter interfectum fratrem, exulare jussus.

97. *Ampullas. L'enflure, une grandeur affectée, outrée: des mots, des sentimens ampoulés.* Metaphora ducitur ab ampullis, quas Græci λημύθας vocant: quæ vascula erant ore angusto, turgido ventre.

Sesquipedalia verba. Longiora; quæ Græcis, utpote aliâs voces aliis jungere et consuere solitis, erant frequentiora: *des mots d'un pied et demi.*

101. *Adstent.* Docet Horatius quo pacto motus in aliorum animis excitari possint, nempe si ipsi moveamur, et efficiamur tales, quales alios effici volumus: si vultum illum assumamus et animum, quem in alios transferre conamur.

104. *Telephe.* Actorem alloquitur, qui Telephi partes agat.

107. *Lasciva.* Plena joci et hilaritatis: *enjoués, badins: un style riant et agréable.*

109. *Juvat.* Oblectat, gaudio afficit. Opponitur enim ea vox iræ et tristitiæ, de quibus mox agit: ita quatuor præcipuos affectus expressit, gaudium, tristitiam, metum et iram.

114. *Intererit, etc.* Nempe ad hoc, ut verba et affectus unicuique personæ accommodati tribuantur.

tur; et Chremes, comica illa persona, cùm iracundiâ effertur, vocem attollit ac more tragico debacchatur : contrà verò actor tragicus dolorem suum humili sermone, et versibus negligenter fusis, ac propè repentibus exprimit : nihilque Telepho et Peleo, cùm ad extremam inopiam redacti, exules, ærumnosi, suam deplorant calamitatem, faciendum est diligentiùs, quàm ut abjiciant omittantque verba inflata, et turgida, si spectatorum animos ad commiserationem inflectere laborant. Quæ hactenus diximus suam poëmati pulchritudinem et formam conciliant : sed hoc non est satis; oportet accedat suavitas quædam et jucunditas, quæ in eo maximè posita est, ut ad quemcumque libuerit affectum audientes impellantur : Id porro ut efficiat poëta, dabit operam ut quem in aliis motum ciere cupit, eumdem in se ipse exprimat. Ita enim sunt homines comparati, ut vultum suum componant ad alterius vultûs similitudinem, ut arrideant ridentibus, adfleant flentibus. Movere me ad dolorem studes? fac ipse prior dolorem præ te feras, Telephi vicem ac Pelei dolebo, cùm eos mœstos, flentes, dejectos, intuebor. Quod si partes sibi demandatas perperam impleant, si læto, aut alieno vultu dicant tristia, risui me aut somno dedam. Jam ipsi vultui verba sint accomodanda, mœsta tristi, irato minacia, jocosa ludenti, austero gravia et severa. Atque hoc natura satis ipsa docet, quæ motus affectusque similes sorti ac fortunæ nostræ voluptatem, iracundiam, aut tristitiam et sollicitudinem, ingenerat primùm animis nostris : deinde ad eosdem motus foras quasi promendos linguam interpretem adhibet. Itaque si oratio parum accomodata erit ejus qui dicit statui et conditioni, explodetur actor, et Romanæ plebis

Divus. Videtur enim hic agere Horatius de tragœdia, in qua Davo locus non est, esse Divis locus potest. Quidam legunt *Davus.* Persona Comica et nomen servi.

Fervidus, an matrona potes, an sedula nutrix :
Mercatorne vagus, cultorve virentis agelli :
Colchus, an Assyrius : Thebis nutritus, an Argis.

Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge,
Scriptor. Honoratum si fortè reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, invictaque; flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.

Si quid inexpertum scenæ committis, et audes
Personam formare novam, servetur ad imum
Qualis ab incepto processerit, et sibi constet.
Difficile est propriè communia dicere, tuque
Rectiùs Iliacum carmen deducis in actus,
Quàm si proferres ignota, indictaque primus.
Publica materies privati juris erit, si

116. *Nutrix.* Fœminis principibus addere solent Græci suis in tragœdiis, nutrices, hoc est, custodes quasdam et moderatrices : *des suivantes, des confidentes.*

118. *Colchus.* Colchi, utpote Scythis vicini, feroces erant et barbari; Assyrii, molles et luxu perditi, Thebani, pingues et tardi; Argivi, exculti bonis artibus, honoris appetentes, etc.

119. *Sibi convenientia.* Ita ut v. g. rex regio semper loquatur et agat more : furiosus nihil placidum et humanum spiret : fœmina non induatur instar Nestoris cordata et sapiens, etc. : *des caractères convenables, conformes à l'idée que l'on en a; qui s'accordent avec eux-mêmes.*

Ino. Cadmi filia, Athamantis uxor fuit. Athamas in furorem versus cùm eam insequeretur, ipsa se præcipitem in mare dedit, cum filio Melicerta. Dea subinde facta, et Leucothea nuncupata, opem navigantibus ferre credebatur.

124. *Ixion.* Thessaliæ rex, Dejoneum socerum, ad epulas invitatum, dolo interemit. Hinc perfidus vocatur.

Io. Inachi, primi Argivorum regis, filia, quam Jupiter in vaccam mutasse fertur. Eadem œstro ab Junone immisso agitata, multas orbis regiones peragravit, ac tandem venit in Ægyptum, ubi, reddita humanæ formæ, culta est pro Dea et Isis vocata.

Orestes. Tristis dicitur, quia furiis agitatus, interfectæ matris umbram feralem oculis observari semper credebat.

126. *Personam novam.* Indictam, incognitam : *faire un caractère nouveau, inventer un nouveau personnage.*

128. *Communia.* Omnibus ex-

ac procerum cachinnis excipietur. Ad eam rem plurimum intererit videre quis loquatur, Deus an vir aliquis princeps, senex an adolescens, nutrix an matrona, mercator an agricola; in Assyria natus aut Colchide, Thebis, an Argis.

In personarum porro, quæ inducuntur, moribus describendis, si notæ sunt, par est illas tales exhibere, quales fuisse fama prædicat; si sunt ignotæ et novæ, curandum, ut iidem semper ipsis mores, eadem indoles affingantur, et quidem ejusmodi, quæ ipsorum quasi characteri et formæ conveniat. Si Achillem toties cum honore decantatum, et in scenam productum, iterum exhibes, pinges illum strenuum, pronum ad iram, exorari nescium, audacem: dicat se legibus ceterorum hominum solutum esse, omnia se consequi per vim et arma posse putet. Medeam describes ferocem, et indomitam; Ino calamitosam et luctu perditam; Ixionem perfidum; Io errantem; Orestem mœstum.

Quòd si novam et inventam à te primùm personam inducis in theatrum, vide ut usque ad finem poëmatis, talis perseveret, qualis ab initio est visa, neque à se ipsa dissideat. Res prorsus ardua est, argumentum aliquod à nullo adhuc sumtum et occupatum propriâ quâdam ac novâ ratione tractare. Itaque præstat, meo quidem judicio, locum aliquem Homericæ Iliados in scenam proferre, quàm incognitam et à nemine anteà tractatam historiam exhibere. Porro publicum ejusmodi et notum argumentum, tuum quodammodo et proprium efficies, si non sequaris ordinem et seriem rerum, quales ab historicis vulgò narrantur: si non exscribas ad verbum

posita, et, ut aiunt, primi occupantis: quæ nemo adhuc attigit. Ilias, v. g. non est commune argumentum, sed ab Homero jam occupatum, et illius proprium. Est autem difficile tractare et ornare communia ejus modi et intacta argumenta, quia patent omnium censuræ, quia neminem habet poëta, quem sequatur; quia omnia de integro sunt coagmentanda et invenienda, etc.

131. *Publica materies.* Tales sunt Ilias, Odyssea, Thebaïs, etc.

Nec circa vilem, patulumque moraberis orbem;
Nec verbum verbo curabis reddere, fidus
Interpres; nec desilies imitator in arctum,
Unde pedem referre pudor vetet, aut operis lex.

Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo, et nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.
Quantò rectiùs hic, qui nil molitur ineptè.
Dic mihi, musa, virum, captæ post tempora Trojæ
Qui mores hominum multorum vidit, et urbes.
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphatem, Scyllamque, et cùm Cyclope
Charybdin.

ab omnibus enim sumi possunt argumenta tragœdiarum ex iis poëmatibus ducta. Potest etiam intelligi publica materia, quam communem anteà dixit: nempe argumentum à nemine occupatum.

132. *Orbem.* Aristoteles tertio Rhetoricorum docet fuisse librum quemdam Græcè scriptum, qui ἐπικὸς κύκλος, id est, *Orbis Epicus*, diceretur, sive *Circulus Poëticus*, varia carminum argumenta, historias veteres plurimas ac fabularum poëticarum compendium quoddam complectens. Monet igitur Horatius non esse argumenta ex Orbe illo sumenda eodem planè modo quo in eo scripta forent; sed immutanda et ornanda esse, etc. *Vilem et patulum orbem* appellat: vilis est, quia nihil in eo eluceț ingenii, et artis: patulus, quia latè ac sine delectu funditur.

136. *Scriptor cyclicus.* Qui sui carminis argumentum è libro illo sumsisset, quem *Epicum orbem* sive *Cyclum* fuisse appellatum dixi: vel circumforaneus poëta, dignus qui circulatores inter et præstigiatores numeraretur, qui sua carmina in circulis plebeculæ recitaret; κύκλος, *circulus, corona, multitudo.* Vel denique Epicus poëta, qui vulgaria et trita episodia sectaretur, et illustri exordio centones sordidos assueret. Nam poëtas Epicos, eò quòd episodia frequenter adhiberint, Cyclicos fuisse nuncupatos ostendit Heinsius; ex quo etiam discimus Mævium, ineptum poëtam, quem in Eclogis carpit Maro, poëma de Trojano bello scripsisse, in quo totam persequebatur historiam Priami, ab ejus ortu ad obitum usque: et illius poëmatis hoc fuisse principium: *Fortunam Priami cantabo, et nobile bellum.*

139. *Parturient montes.* Nota

singulas scriptoris, quem tibi delegeris imitandum, sententias, perinde quasi fidelis interpres, non poëta, fores: si, dum illum scriptorem æmularis, unde sumis argumentum scribendi, non patiaris deduci te in aliquem angustum ac difficilem locum, unde te expedire sine pudore nequeas, et unde regredi nisi perruptis violatisque poëseos, et carminis à te suscepti legibus, non possis.

Neque verò ita inchoabis carmen, ut poëta quidam circumforaneus, Fortunam Priami cantabo, et nobile bellum. *Magnificum utique exordium, quod mira quædam et ingentia polliceri videatur! Sed fallet expectationem scriptor imperitus: Mons parturiens, ut in fabulis est, horrificos edet sonitus, ac denique murem exiguum, non sine hominum risu, producet. Quantò prudentiùs facit ille emunctæ naris poëta, et egregiè cordatus, qui sic Odysseam inchoat:* Dic mihi, Musa, virum, captæ post tempora Trojæ. Qui mores hominum multorum vidit et urbes. *Non ignem splendidum initio excitat, qui desinat in caliginem et fumum; sed obscuro et quasi fumoso exordio subtexit illustria plurima, et portenti similia, quæ perstringant oculos et feriant multâ luce; profert Antiphaten, Scyllam, Charybdim, Polyphe-*

Æsopi fabella. Mons, quasi parturiens, horrificos edebat sonitus. Expectabant populi quorsum evasuri essent tanti fragores, et regioni suæ metuebant: ecce tibi mus è montis radice prodiit, ac metus omnis in risum est solutus.

140. *Hic.* Homerus, qui sic Odysseam orditur: Ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα, etc. *Dic mihi, Musa, virum, etc.*

145. *Antiphatem.* Antiphates, rex Læstrigonum, homines devorare solitus. Eam Italiæ oram incoluit, ubi Formiæ conditæ, in ejus littora cùm ejectus tempestate Ulysses fuisset, tres è suis sociis qui regionem explorarent, dimisit. Antiphates unum ex iis correptum, ore crudo laniavit: ceteri vix fugâ sunt elapsi, quos Antiphates cum magna suorum manu insecutus, naves Ulyssis omnes, conjectis in eas saxis ac trabibus, demersit, unâ tantummodo exceptâ, quâ Ulysses ipse vehebatur, qui præcisis navigii funibus effugit. Hom. Odyss. X.

Scyllam, Charybdin. Scylla et Charybdis, duæ sunt voragi-

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.
Semper ad eventum festinat, et in medias res,
Non secus ac notas, auditorem rapit; et quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit;
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Tu, quid ego, et populus mecum desideret, audi.
Si plausoris eges aulæa manentis, et usque
Sessuri, donec cantor, Vos plaudite, dicat:
Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor, maturis dandus et annis.
Reddere qui voces jam scit puer, et pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, et iram

nes in freto Siculo, altera alteri opposita. Scyllam Phorci filiam fuisse fabulis proditum est, quæ à Circe mutata sit in monstrum canibus succinctum. Charybdin verò narrant mulierum extitisse rapacissimam, quæ icta fulmine, quòd Herculis boves surripuisset, in monstrum, seu voraginem est conversa.

Cyclope. Polyphemo, qui tres Ulyssis socios devorasse narratur ab Homero.

146. *Reditum.* In Ætoliam, Græciæ regionem, reversus est Diomedes post Trojæ excidium.

Diomedis. Diomedes filius Tidei fuit; Tideus, frater Meleagri. Meleager Oeneo Calydoniæ rege, et Altheâ natus est. Cùm recens editus fuisset in lucem, vidit Althea tres Parcas igni assidentes, et manu stipitem tenentes, quo exusto moriendum Meleagro foret. Recedentibus Parcis extinxit Althea titionem. Progressus ætate posteà Meleager ferocem aprum irâ Dianæ ab Oeneo contemtæ immissum, et omnia vastantem interfecit, ejusque caput Atalantæ, Iasii Argivorum regis filiæ, quæ aprum prima vulneraverat, dedit. Prælatam sibi Atalantam molestè tulerunt Meleagri avunculi, Althææ fratres, qui rem ipsi quoque in apro interficiendo strenuè gesserant: à Meleagro, coortâ rixâ, perempti sunt. Quod ubi rescivit Althæa, doloris impotens, titionem fatalem igni admovit, quo exusto, Meleager lentâ febri consumtus periit.

147. *Ab ovo.* Fingunt poëtæ Clytemnestram et Helenam, quæ causa belli Trojani fuit, ex ovo, uno fuisse prognatas.

148. *Ad eventum.* Quam catastrophen vocant, et nodi tragici solutionem: *le dénouement de la pièce, la catastrophe.* Sic Virgilius, Homeri exemplo, incipit suam Æneidem ab ultimo

mum, et alia id genus monstra. Idem regressum Diomedis in patriam non inchoat à Meleagri obitu; nec belli Trojani exordium repetit ab duobus illis ovis, è quorum altero natam Helenam ferunt: ad exitum totius poëmatis semper ita properat, ut finem instare putes, et in mediam narrationem tanquam si de rebus jam cognitis ageret, auditores mirâ celeritate deducit, eaque omittit ac silet, quæ non sperat ornari dicendo posse, ac tractando poliri. Sic ingeniosè fingit, sic lucida mendacia rebus veris permiscet, ut media primis, mediis extrema consentiant congruantque.

Si spectatorem quæris benevolum, qui tragœdias tuas secundo plausu prosequatur, ac tandiu sedeat dum siparium attollatur, et actor aliquis solenni voculâ, Plaudite, *spectantem populum dimittat; danda tibi opera diligenter est, ut mores unicuique accommodatos ætati accuratè depingas, ut indolem ac varia hominum studia, quæ prout anni decedunt acceduntque, commutantur, decenter exprimas. Puero, qui jam repetere auditas voces potest, ac firma cœpit humi ponere vestigia, gratius nihil accidit, quàm indulgere ludo cum æqualibus; nihil frequentius, quàm leviter et sine certa causa irasci*

è septem, quibus Æneas erravit, anno, quo delatus est in Libyam, ubi narrat Didoni ea quæ sex annis prioribus pertulerat. Homerus initio Odysseæ proponit consilium Deorum, et decretum ut Ulysses in patriam revocetur: adeo ut nihil videatur superesse narrandum.

In medias res, etc. Omissis illis rebus quæ præcesserunt actionem primariam, quam sibi narrandam proponit, illam ipsam in se ipsa spectatam statim ingreditur, et illi proxima quæque persequens, ea quæ sunt remota, et aliena, negligit, differt, aut leviter attingit.

151. *Mentitur.* Tota structura poëmatis non veritate, sed verisimilitudine nititur: neque quid factum fuerit, sed quid fieri verè potuerit ac rectè debuerit, poëtæ spectant.

Manentis. Expectantis. Tandiu sedentis, dum siparium attollatur, et finis fabulæ imponatur.

155. *Cantor.* Præco, actor è choro aliquis.

157. *Decor.* Decorum τὸ πρέπον. Quod decet, convenit.

Colligit, ac ponit temerè, et mutatur in horas.
Imberbis juvenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibusque et aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper;
Utilium tardus provisor, prodigus æris;
Sublimis, cupidusque, et amata relinquere pernix.
Conversis studiis, ætas animusque virilis
Quærit opes, et amicitias, inservit honori:
Commisisse cavet quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda, vel quòd
Quærit, et inventis miser abstinet, ac timet uti;
Vel quòd res omnes timidè, gelidèque ministrat,
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor, castigatorque minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt. Ne fortè seniles
Mandentur juveni partes, pueroque viriles,
Semper in adjunctis ævoque morabimur aptis.

Aut agitur res in scenis, aut acta refertur.
Segniùs irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus, et quæ
Ipse sibi tradit spectator. Non tamen intus
Digna geri promes in scenam; multaque tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præsens.
Nec pueros coram populo Medea trucidet,

172. *Spe longus.* Quidam exponunt, tardus ad bene sperandum δύσελπις, ut ait Aristoteles. Hoc eò fit, quòd senes timidi naturâ sint: nimirum usu ipso didicerunt res è sententiâ difficilè confici: multa nobis præter spem et votum evenire. Iidem tamen aluntur spe, spem vitæ longam habent, neque est ullus tam senex, inquit, credo, Tullius, qui non speret se annum adhuc posse vivere. Quò vitam sibi citiùs ereptum iri vident; eò pertinaciùs eamdem conantur avidiusque retinere.

181. *Fidelibus.* Qui rem fideliter exhibent.

185. *Medea.* Jasonem secuta, cùm ab eo se videret sperni, Creontisque filiam sibi anteferri, liberos tres, quos ex eo susceperat, interemit, spectante Jasone.

ac placari. Adolescens, cui nondum prima barbæ lanugo succrevit, moderatore suo liberatus, equis delectatur et canibus; decurrere per apricum et patentem campum amat; instar ceræ mollis fingitur ad omne vitium, ac ducitur; ægrè fert si quis monet, ac bene ipsi consulit; tardè prospicit quæ in rem sunt; in sumptum est profusus, animosus, elatus, obsequens cupiditatibus, demum facilè ac citò fastidiens quæ vehementer adamavit. Virilis ætas mutato animo, et ab nugis ad graviora traducto, in colligendas divitias, in parandos amicos, incumbit; rationem honoris præcipuam habet; cavet ne quid faciat quod infectum post paulò et mutatum velit. Senex plurimis laborat ac velut obsidetur incommodis: seu quia totus est in congerendis opibus, quas ubi partas habet, iisdem miserè abstinet, ac tanquam sacris, parcit: seu quod in gerendis negotiis friget, cunctaque pertimescit: procrastinator, ignavè omnia tractans et remissè; spem semel conceptam diu fovens, retinensque pertinaciter; rerum futurarum ac longioris vitæ desiderio flagrans, morosus, querulus, laudans ea tempora quæ ipse, cùm esset puer, vidit; juniorum objurgator asper et severus. Ætas accrescens multa nobis affert commoda; multa decrescens aufert. Ne igitur juveni affingantur mores et studia senis; aut viri, puero; ea unicuique ætati assignare oportebit, quæ cum illa sunt conjuncta, aut quæ illi maximè apposita videntur esse.

Quædam actiones in theatro exhibentur, quædam narrantur ab aliquo actore. Multò leviùs animos spectantium movent, quæ auribus accipiuntur, quàm quæ per oculos, quorum est fides et auctoritas longè certissima, hauriuntur. Hæc enim ipse spectator sumit per sese, non ab alio mutuatur. Cavebis tamen ne in theatrum ea proferas, quæ post scenam geri debent, et ab oculis plurima removebis, quæ pòst paulò auribus tradantur, ab actore præ-

Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi.

Neve minor, neu sit quinto productior actu
Fabula, quæ posci vult, et spectata reponi.
Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit; nec quarta loqui persona laboret.

Actoris partes chorus officiumque virile
Defendat, neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat, et hæreat aptè,
Ille bonis faveatque, et consilietur amicis:
Et regat iratos, et amet pacare tumentes:
Ille dapes laudet mensæ brevis, ille salubrem
Justitiam, legesque, et apertis otia portis:
Ille tegat commissa, Deosque precetur, et oret
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.

Tibia non, ut nunc, orichalco juncta, tubæque
Æmula, sed tenuis, simplexque, foramine pauco
Aspirare, et adesse choris erat utilis, atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu;

187. *Cadmus*. Agenoris, Phœniciæ in Asia regis, filius, qui Thebas in Bœotia condidit, ac senio confectus, in serpentem mutatus canitur ab Ovidio III. Metam.

191. *Vindice*. Qui fabulam quasi perituram, et exitum non habituram servet, ac restituat. Qui eam asserat in libertatem, cùm ejus nodos poëta dissolvere non possit.

192. *Nec quarta, etc.* Si quarta persona intercedat, vel tacita audiat, vel secum, et, ut aiunt, *à part*, non cum aliis, loquatur.

193. *Actoris, etc.* Chorus debet rei, quæ geritur, in scena, pars esse, illam promovere, συναγωνίζεσθαι, ut loquitur Aristoteles, et actoris locum obtinere, *Jouer le rôle d'un acteur; faire les fonctions d'un seul personnage*. Ita ut illa multitudo ex qua constat chorus, quasi vir unus sit.

Chorus. Hominum cœtus, virorum aut mulierum, quem verisimile erat interfuisse negotiis in scena exhibitis, quique eadem consilio, precibus ad Superos fusis adjuvabat. Si res ageretur in aula regia, ex aulicis conflatus erat chorus; si in platea, in atrio, ubi populus vulgò frequens adstat, chorus è populo constabat.

sente scilicet, eadem graviter et ornatè narrante. Ne Medea filios spectante populo jugulet; aut humana membra in omnium conspectu sceleratus Atreus coquat; aut Progne in volucrem mutetur, Cadmus in serpentem. Quæcumque hunc in modum exhibes aversor, et iis fidem abrogo.

Si tragœdiam vel comœdiam placere spectatoribus, ac sæpius in scenam revocari cupis, fac ne pauciores habeat actus quàm quinque, nec plures. Neque Deus quispiam interponatur et è cœlo devocetur, nisi tam difficilis nodus, actio tam implicata sit, ut solvi ab alio, præterquam à numine, non possit. Ne quatuor personæ in eadem scena loquentes facilè inducantur.

Chorus adjuvet actores pro virili, et unius actoris partes ac locum obtineat. Nihil canat inter ipsos actus, quod alienum sit ab argumento fabulæ, eique non conveniat. Ille probos laudibus ac favore prosequatur, amicos juvet consilio, æstuantes iracundiâ moderetur et compescat, foveat confirmetque insontes ac probos. Idem laudet frugalitatem, æquitatem, leges, tranquillitatem et otia quæ securos patentibus urbium portis cives præstant. Idem celet arcana sibi credita, Deos obtestetur ut ærumnosos revisat Fortuna felix, superbos deserat.

Non erat olim tibia, ut nunc est, ornata orichalco, et tubæ par: sed exigua, inornata, paucis prædita foraminibus: itaque choris adjuvandis erat idonea, et audiri facilè poterat in concessu spectatorum, nondum ita numeroso: quippe tunc modica populi multitudo spectatum confluebat, eademque

202. *Tibia, etc.* Tria chori officia fuisse dixit: primum ut actoris locum et partes obtineret; alterum, ut aliquid inter actus recitaret; tertium ut cantu et musicâ fessas carminibus aures mulceret. De duobus primis muneribus hactenus dixit: agit nunc de tertio.

Orichalco. Orichalcum, *du leiton*, metalli et æris quoddam genus est, in montibus effodi solitum: ὄρος, *mons*, χαλκὸς, *æs.*

Quò sanè populus numerabilis, utpote parvus,
Et frugi castusque, verecundusque coïbat.
Postquam cœpit agros extendere victor, et urbem
Latior amplecti murus, vinoque diurno
Placari Genius festis impunè diebus,
Accessit numerisque, modisque licentia major.
Indoctus quid enim saperet, liberque laborum,
Rusticus, urbano confusus, turpis honesto?
Sic priscæ motumque, et luxuriem addidit arti
Tibicen, traxitque vagus per pulpita vestem :
Sic etiam fidibus voces crevere severis,
Et tulit eloquium insolitum facundia præceps;
Utiliumque sagax rerum, et divina futuri
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agrestes Satiros nudavit, et asper

209. *Diurno.* Ne diebus quidem festis licebat apud veteres Romanos comessari de die : sed sub vesperam duntaxat.

211. *Numeris.* Numeri pertinent ad pedes versuum : modi ad inflectiones varias vocis, quæ modò attollitur, modò deprimitur : nunc producta vibratur, nunc accisa contrahitur. Digitis numeri expenduntur, auribus modi.

215. *Pulpita.* Pulpitum, hîc locus est editior in theatro, in quo ferè mimi et histriones sedebant.

Vestem. Hanc vulgò vocant syrma, *σύρμα*, à *σύρω*, *traho.*

216. *Voces crevere.* Aucti sunt nervi et chordæ quæ vocum discrimina faciunt in citharis. Quatuor fuere initio chordæ in Lyra; mox septem; postmodum plures.

Divina. Præsaga. Futura prædicens.

219. *Sortilegis.* Ubi oracula eduntur eductis sorte chartis, aut tabellis, in quibus Apollinis responsa continebantur. Hinc factum ut oracula ipsa sortes appellarentur.

Delphis. Delphi, urbs Græciæ, in finibus Bœotiæ et Phocidis, prope Parnassum : in qua templum Apollinis celeberrimum, à Gallis, Brenno duce, direptum. Nunc vicus est, *Delfo.*

220. *Ob hircum.* Post vindemiam incondita quædam carmina recitabantur in honorem Bacchi, à rusticis. Ex iis qui suas partes optimè omnium egisset, is hirco donabatur. Est enim hircus Bacchi hostis, quia vites arrodit, eique immolari solebat. Hinc etiam natum Tragœdiæ nomen, à *τράγος*, *hircus*, et *ᾠδή*, *cantus, carmen, cantilena.*

constabat ex hominibus probis, pudicis ac verecundis. At postquam populus devictis hostibus fines imperii protulit, postquam Urbs majore cincta muro est, ac per festos dies palam, et de die, citra legum ac pœnæ metum, potari atque epulis in honorem Genii cæptum est indulgeri, tunc poësis et musica solutiores ac liberiores evasere. Quem enim tenere modum posset rusticus imperitus, et impurus, agresti perfunctus opere, mixtus cum cive liberaliter et honestè instituto? Itaque tibicines ad antiquam artem et simplicem, adjunxerunt inconditas saltationes, sumtum fecerunt in ornatum elegantiorem, ac per theatrum longo induti syrmate spatiati sunt. Ad eumdem modum citharis, antea graviter et summissè canentibus, additæ sunt novæ chordæ. Ipsi actores veterem loquendi formam ac simplicitatem perosi, incitatam ac volubilem eloquentiam in theatrum attulerunt, et eorum sermo antea comparatus ad homines utiliter ac solerter monendos, ad denuncianda quæ imminerent illis pericula, simillimus Delphicis oraculis, propter obscuritatem et ambages, evasit.

Tragœdiarum scriptores, qui olim inter se certabant, hirco, in præmium illi qui omnium optimè scripsisset, proposito, non ita multò pòst induxerunt in scenam Satiros agrestes et nudos. Sic asperitatem severi ac serii carminis exhilarare conati

221. *Satiros.* Post serium poëma, in quo fere Bacchi laudes canebantur, inductum est alterum jocosum in eamdem scenam, ad animos exhilarandos. In eo Satiri, Silenus, et alii quidam Bacchi comites exhibebantur. Imo illud ipsum carmen dicebatur Satiros, aut Satiri. Et longo post tragœdiam exultam tempore permansit non solùm apud Græcos, verùm etiam apud Romanos, apud quos ejusmodi fabulæ vocabantur Atellanæ, ab Atella, Oscorum urbe, in qua primùm editæ. Porro in Satiricis illis fabulis ita chorus constabat è Satiris, ut heroas ac Divos etiam reliqua fabula non respueret. Ita in Cyclope Euripideo Ulysses primas partes agit.

Asper. Fortasse, ob sales, et amaros, quibus scatebant isti Satiri, jocos.

Incolumi gravitate jocum tentavit; eò quòd
Illecebris erat, et gratâ novitate morandus
Spectator, functusque sacris, et potus, et exlex.
Verùm ita risores, ita commendare dicaces
Conveniet Satiros, ita vertere seria ludo,
Ne, quicunque Deus, quicunque adhibebitur heros,
Regali conspectus in auro nuper et ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas;
Aut, dum vitat humum, nubes et inania captet.
Effutire leves indigna Tragœdia versus,
Ut festis matrona moveri jussa diebus,
Intererit Satiris paulùm pudibunda protervis.

Non ego inornata et dominantia nomina solum,
Verbaque, Pisones, Satirorum scriptor amabo;
Nec sic enitar tragico differre colore,
Ut nihil intersit Davusne loquatur, et audax
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum;
An custos famulusque Dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis
Speret idem; sudet multùm, frustraque laboret
Ausus idem: tantum series, juncturaque pollet;
Tantum de medio sumtis accedit honoris.

224. *Exlex.* Sine lege. Id est, paratus leges omnes abrumpere, suadente scilicet crapulâ.

229. *Tabernas.* Respicit Horatius genus quoddam fabularum comicarum, quas *Tabernarias* appellabant, quia spectabantur in ipso theatro tabernæ et cauponæ. In iis partes agebant personæ humiles, stylus è trivio sumptus erat, itaque multò Atellanis ipsis deteriores et ignobiliores habebantur.

232. *Jussa.* Vulgò puellæ in religiosa festorum dierum hilaritate saltare jubebantur; interdum matronæ, per pontifices delectæ, ut in festis Cybeles.

234. *Dominantia.* Ducta vox à Græca voce κύριος, *proprius*, *dominus*, *dominans*. Propria rerum nomina sic vocantur, à quibus temperandum, si obscœna sint, utendumque metaphorâ, aut periphrasi.

238. *Pythias.* Ancilla quædam comica.

Emuncto. Emungere aliquem argento, locutio est apud comœdos usitata: *escroquer de l'argent à quelqu'un.*

Simone. Sene bono, à quo ancilla nummos expiscata erat.

sunt jocis intermixtis, ita tamen ut sua maneret incolumis et sarta tragœdiæ gravitas. Scilicet spectatores peractis sacrificiis, saturati, et metu legum soluti, tenendi erant aliquâ voluptatis illecebrâ, et novitate spectaculi pariter ac suavitate pascendi. Verùm eâ tantùm lege istas ridiculas personas, et Satiros cum suis salibus et asperioribus conviciis, laudare atque adhibere oportebit, ita serio carmini ludicrum subtexere fas erit, ut, ne, postquam fuerit heros quilibet vel Deus in scena paulò antè conspectus, cum illis suis regiis ex auro et purpura vestibus, idem statim misceatur tabernariis opificibus, et eorum orationem obsoletam ac proletariam imitetur: aut dum sermonis humilitatem fugere studet, attollat se plus justo, et pompam inanem ampullasque consectetur. Tragœdia, cujus dignitas et majestas à versibus abjectis levibusque abhorret, inter Satiros petulantes non sine verecundia versabitur, matronæ instar, quæ diebus festis jubetur saltare.

Ego certè, si Satiros componam, non ita sectabor et usurpabo incultas plebeïasque voces, et eas quæ res proprio suo nomine appellant, ut aliis ornatioribus ac modestioribus abstineam, nec tamen tragicum stylum ita religiosè fugiam et vitabo, ut nullum discrimen ponam inter sermonem quo utatur Davus, aut Pythias, cùm talentum à Simone per dolum extorsit; et quo utatur Silenus, Bacchi custos et altor. In componendis porro argumentis ejusmodi fabularum id maximè sequar ac spectabò, ut ea quæ fingam, accedant proximè ad similitudinem rerum vulgò notarum, et in usu communi vitaque positarum; adeo ut quilibet contendat se in illo negotio ita scribere potuisse; sed tamen, si experiri velit, laborem gravissimum et inanem sumat. Tantum

239. *Silenus.* Altor Bacchi et comes, Satirorum veterrimus. Satiros agrestis ferusque sermo decet, Silenum tamen gravior et honestior, quàm servuli, aut ancillæ.

Sylvis deducti caveant, me judice, Fauni,
Ne, velut innati triviis, ac penè forenses,
Aut nimium teneris juvenentur versibus unquam,
Aut immunda crepent, ignominiosaque dicta.
Offenduntur enim quibus est equus, et pater, et res:
Nec, si quid fricti ciceris probat et nucis emptor,
Æquis accipiunt animis, donantve corona.

Syllaba longa brevi subjecta, vocatur Iambus,
Pes citus; undè etiam trimetris accrescere jussit
Nomen Iambeis, quum senos redderet ictus.
Primus ad extremum similis sibi. Non ita pridem,
Tardior ut paulò, graviorque veniret ad aures,
Spondeos stabiles in jura paterna recepit
Commodus, et patiens; non ut de sede secunda
Cederet, aut quarta socialiter. Hic et in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus, et Enni.
In scenam missos magno cum pondere versus,
Aut operæ nimiùm celeris, curâque carentis
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.

245. *Forenses.* In foro versari : *dans la place Romaine.*

248. *Pater.* Clarus scilicet ac nobilis.

249. *Ciceris.* Cicer, pisi genus, quod frigebatur et plebeculæ vendebatur.

252. *Trimetris.* Versus trimeter is dicitur, qui tres mensuras habet : hexameter, qui sex mensuras : pes iambus non facit unam mensuram, seu metrum, ut alii pedes; sed duo pedes iambi pro una tantum mensura numerantur.

253. *Senos ictus.* Singuli pedes singulis quasi ictibus aurem feriunt.

256. *Stabiles.* Quasi stantes firmiùs : quia duplici longâ syllabâ nituntur. Iambus autem veluti claudus est, et imparibus longâ scilicet ac brevi syllabis fulcitur.

258. *Acci.* Suprà Lib. II, Epist. I. p. 136. n. *Accius.*

259. *Enni.* Lib. IV. Od. VII. 264. n. 20.

260. *In scenam missos, etc.* Ita passim legitur, et exponi rectè potest de pede, seu versu iambico accurato illo et exacto, qui rarior est in Ennio, quique illius versus missos in scenam, sive in theatro recitatos, tardes videlicet ac spondeis abundantes, premit, id est, accusat crimine nimiæ in scribendo festinationis, et negligentiæ, aut inscitiæ, hoc est, ostendit fuisse

vim habet apta coagmentatio singularum fabulæ partium, et ordo rerum ingeniosus, ac series; tanta dignitas potest argumento etiam vulgari et trito.

Cùm Fauni producuntur velut è sylvis in theatrum, providendum est, meâ quidem sententiâ, ne tanquam si media essent in urbe nati, atque in triviis, et platea versati, aut politulo carmine garriant juveniliter, aut obscœnas voces et contumeliosas ore putido malè ructent. Ægrè hæc audiuntur ab equitibus, ac cæteris qui splendore generis opibusve præstant civibus; nec si quid laudatur à plebeculâ, fricto cicere, nucibusque vesci solita, hoc idem illi comprobant, et præmio dignum censent.

Longa syllaba postposita brevi, dicitur Iambus, qui pes admodum est celer, quæ causa est, cur versus iambici, licèt constent sex pedibus, atque adeo sexies aurem velut feriant, nihilominus trimetri nominentur. Porro versus iambicus, à primo pede usque ad ultimum, totus olim ex meris Iambis erat compositus, et partes omnes similes habebat: ante paucos annos, benignè passus est induci spondeos lentiores, in aliquot ex iis sedibus, quas omnes unus hereditario quodam jure obtinebat, eosque socios adscivit, ut majori cum pondere ad aures, et tardiùs allaberetur: neque tamen ita cum iis societatem iniit, ut de secundo et quarto loco decederet. Ejusmodi versus iambicus in senariis carminibus Accii rarior est, ac meritò condemnat, arguitque ut vitiosos illos Ennii versus iambicos, qui frequentioribùs referti spondeis, et idcirco lentiores justò gravioresque, in theatrum producuntur; simulque ostendit illorum auctorem aut nimiùm properasse, ac parum accuratè scripsisse; aut artem boni versus

compositos negligenter ac præproperè. Videtur quibusdam fore sententia clarior, si legatur *missus*, pro *missos*; hoc sensu: versus iambicus spondeis abundans, et in scenam missus, sive productus, arguit poëtam incuriæ aut ignorantiæ.

Non quivis videt immodulata poëmata judex;
Et data Romanis venia est indigna poëtis.
Idcircone vager, scribamque licenter? an omnes
Visuros peccata putem mea, tutus, et intra
Spem veniæ cautus? vitavi denique culpam,
Non laudem merui. Vos exemplaria Græca
Nocturnâ versate manu, versate diurnâ.
At vestri proavi Plautinos et numeros, et
Laudavere sales, nimium patienter utrosque
Non dicam stultè, mirati; si modò ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus, et aure.

Ignotum tragicæ genus invenisse Camœnæ
Dicitur, et plaustris vexisse poëmata Thespis,
Qui canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.
Post hunc personæ, pallæque repertor honestæ
Æschylus, et modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.
Successit vetus his Comœdia non sine multa

263. *Immodulata poëmata.* Suis modis ac numeris carentia : *sans nombre et sans cadence.* Nam certi numeri ac modi, certis poëmatis conveniunt, non item aliis : si, v. g. festinatione sit opus, dactyli crebri erunt adhibendi : si tarditate, spondei, etc.

264. *Venia indigna.* Quâ digni non erant.

265. *Vager.* An utar promiscuis pedibus, nunc iambis, nunc trochæis, etc. ut libitum erit, huc illuc temerè aberrans?

267. *Cautus, etc.* Ait Horatius paucos esse qui bona carmina internoscant à pravis; tum subdit : An, quia pauci sunt idonei carminum judices, ero negligentior in scribendo? aut, quamvis errata mea sciam ab omnibus cognoscenda, nihilominus audacter, et securè peccabo, spe veniæ obtinendæ? neutrum faciam : negligentiam in scribendo, et culpam omnem effugere conabor. Neque tamen, idcirco magnam laudem promerebor.

276. *Thespis.* Poëta Græcus, qui rusticis post vindemiam peractam Bacchi laudes canentibus addidit actorem unum, qui graviorem aliquam historiam recitaret : et omnes imposuit plaustro. Ita vini fæce obliti pagos obibant, magno plausu. Hæc tragœdiæ incunabula fuerunt.

278. *Personæ.* Oris tegmen

condendi

condendi turpiter ignorasse. Non omnes internoscunt ac dijudicant poëmata suis propriis versibus et modulis carentia, et indulgentiùs profectò cum Latinis poëtis actum est. An verò propterea nullâ certâ lege, quocumque libuerit modo scribam? An potius ita mecum reputabo perspectum fore omnibus, si quid in scribendo peccaverim, nec aliter posse me tutum esse à publica censura, quam si præcisâ omni spe veniæ diligenter et cautè scribam. Quod si fecero, tametsi laudem optimi carminis non continuò promerear, id assequar nihilominus ut culpam effugiam. Vos verò quicumque ad artis poëticæ perfectionem contenditis, Græcorum volumina diu noctuque perlegite. At vestri majores versus et jocos Plauti laudibus indignis extulerunt, ac nimis clementer, ne dicam stolidè, utrosque admirati sunt: si modò ego et vos, ô Pisones, novimus quid sit discriminis inter scurriles facetias, et lepidos urbanosque jocos; si boni carminis sonum ac numerum deprehendere callemus, tum ejus pedes digitis numerando, tum ipsis auribus modulos expendendo.

Thepsis fertur tragicum poëma, prius incognitum excogitasse, ac pro theatro adhibuisse plaustrum, in quo actores, vultum vini fæce habentes oblitum, per pagos circumvehebantur, ac voce gestibusque tragœdiam exhibebant. Post Thespidem Æschilus larvam vestesque honestas invenit, ac stratis in editiore loco tabulis angustum theatrum extruxit. Idem grandiorem actoribus sermonem, et calceos altiores, dedit. Subinde nata est comœdia vetus; ac primò quidem excepta fuit hominum in-

ea vox in hoc loco significat, *un masque.*

Pallæ. Palla, vestis honestior, ampla et ad pedes promissa, *une robe traînante.*

279. *Æschylus.* Duos actores ab Æschylo in scenam inductos fuisse Aristoteles docet.

281. *Vetus comœdia.* Hæc viguit belli Peloponnesiaci tempore, comœdia verò, quæ dicitur nova, sub Philippo Alexandri

Laude, sed in vitium libertas excidit, et vim
Dignam lege regi. Lex est accepta, chorusque
Turpiter obticuit, sublato jure nocendi.
Nil intentatum nostri liquere poëtæ;
Nec minimum meruere decus, vestigia Græca
Ausi deserere, et celebrare domestica facta,
Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret, clarisve potentius armis,
Quàm linguâ, latium, si non offenderet unumquemque poëtarum limæ labor, et mora. Vos, ô
Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies, et multa litura coërcuit, atque
Præsectum decies non castigavit ad unguem.
Ingenium miserâ quia fortunatius arte
Credit, et excludit sanos Helicone poëtas,
Democritus, bona pars non ungues ponere curat,
Non barbam; secreta petit loca, balnea vitat.
Nanciscetur enim pretium, nomenque poëtæ,
Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam

patre, exorta est. Porro comœdiæ nomen factum est è duabus vocibus Græcis κωμὴ, *pagus*, *vicus*, et ᾠδὴ, *cantilena*: antequam enim Athenæ essent conditæ, Attica pagis tota constabat, per quos istæ cantilenæ circumferebantur.

282. *Sed in vitium.* In veteri comœdia describebantur homines propriis nominibus appellatis; in eoque præsertim chorus se jactabat: vetitum subinde fuit ne nomina ipsa ederentur; tamen fictis nominibus ipsæ personæ ita notabantur, ut eas quivis facilè agnosceret: eaque media comœdia dicta est: ad extremum parcitum est omnino personis; et in argumentis, nominibusque fictis, actiones vitæ communis et vitia in theatro sunt exhibita, quæ comœdia nova nuncupata fuit.

288. *Prætextas.* Prætexta puerorum ingenuorum et nobilium vestis erat, item magistratuum. Hinc illæ fabulæ, quarum personæ nobiliores erant, et argumenta illustriora, prætextæ sunt appellatæ: aliæ in quibus agebant personæ inferioris ordinis, togatæ dicebantur, quia populus Romanus togâ plurimùm utebatur.

Docuere. Sic Latini loquuntur Græco more: docere fabulam, pro, agere, exhibere.

292. *Pompilius.* Numa Pompilius rex Rom. secundus. Hujus filius Calpus, à quo Calpurnii Pisones.

294. *Præsectum... ad unguem.* Propriè enim dicimus

genti plausu : sed post paulo in vitiosam licentiam degeneravit, quæ cùm nullum teneret in vituperandis palam et nominatim hominibus modum, legibus meritò fuit coërcenda : latâ igitur et sancitâ lege, chorus silere cum ignominia jussus est, ademptâ maledicendi facultate, et alienæ famæ nocendi. In his omnibus poëmatibus versati sunt poëtæ nostri, nec laudem exiguam fuere promeriti, cùm præsertim imitari Græcos, et eorum vestigiis velut inhærere desierunt; cùm in domesticis et patriis argumentis tractandis ausi sunt experiri quid possent, sive facta heroum repræsentarent in iis fabulis, quæ prætextæ dicuntur; sive privatorum hominum actiones, in iis, quæ vocantur togatæ. Neque verò majorem ab re bellica, quàm à litteris et facundia gloriam Romani colligerent; nisi poëtas plerosque omnes deterreret labor limandi et perpoliendi carminis. At vos, ô Pisones, qui originem à Numa Pompilio ducitis, poëma condemnate, quod longo temporis intervallo, et crebris lituris, emendatum non fuerit, ac decies ita correctum, nihil ut in illo acerrimi censoris trutinam et criticen effugerit. Quia Democritus poëtas ingenio magis fieri quàm arte et labore censet, nec Parnassum iis patere posse putat, qui non aliquantisper insaniant, hinc fit ut magna pars vatum ungues et barbam succrescere præter modum patiatur, in abdita loca se recipiat, balnea et cœtus hominum fugiat. Nimirum ineptus scriptor nomen ac dotes egregii poëtæ consequetur, si suum caput, nullo satis purgandum elleboro, nunquam præbeat Licino attondendum. Næ ego sum parum prudens, qui appe-

præsecare ungues : quod faciunt viri elegantes et compti, qui diligenter cavent ne ungues longiùs excrescant.

295. *Miserâ.* Anxia, laboriosa.

296. *Sanos.* Non furentes, non afflatos entheo quodam spiritu.

298. *Balnea vitat.* Vel ne sordes illuviemque deponat : vel, quia in balnea solent homines undique convenire.

300. *Antyciris.* Anticyræ, sunt insulæ maris Ægæi, abundantes helleboro, quo curantur insani et furiosi. Duæ vulgò, po-

Tonsori Licino commiserit. O ego lævus,
Qui purgor bilem verni sub temporis horam!
Non alius faceret meliora poëmata. Verum
Nil tanti est. Ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi.
Munus et officium, nil scribens ipse, docebo;
Unde parentur opes, quid alat, formetque poëtam:
Quid deceat, quid non; quò virtus, quò ferat error.
Scribendi rectè, sapere est et principium, et fons.
Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ,
Verbaque provisam rem non invita sequentur.
Qui didicit, patriæ quid debeat, et quid amicis;
Quo sit amore parens, quo frater amandus, et hospes,
Quod sit conscripti, quod judicis officium; quæ
Partes in bellum missi ducis; ille profectò
Reddere personæ scit convenientia cuique.
Respicere exemplar vitæ, morumque jubebo
Doctum imitatorem, et vivas hinc ducere voces.
Interdum speciosa locis, morataque rectè
Fabula, nullius Veneris, sine pondere, et arte,
Valdius oblectat populum, meliusque moratur,
Quàm versus inopes rerum, nugæque canoræ.
Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui, præter laudem nullius avaris.
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere. Dicat
Filius Albini, si de quincunce remota est

nuntur à Geographis: itaque *tribus Antyciris* cùm Horatius dicit, hoc sibi vult, tres totas Anticyras, si tres essent, non satis hellebori habituras ad persanandum illius poëtæ vesani caput.

301. *Licino.* Licinus tonsor adeo carus Augusto fuit, ut in senatum ab eo sit cooptatus.

314. *Conscripti.* Primi Senatores à Romulo creati sunt centum, et Patres appellati, vel ab ætate, vel ab officio, et paternâ civium, quam gerere debebant, curâ. Illis alios centum Tarquinius adjecit. Brutus, primus consul, adjecit alios centum, et Conscriptos Patres appellavit, quæ appellatio toti postcà senatui tributa est.

327. *Quincunce.* Quincunx, unciæ sunt quinque.

tente vere bilem medicamentis expurgem : id facere si omitterem, nemo alius præstantior me poëta foret. Quamquam tanti non facio ejusmodi gloriam et poëtæ nomen, ut illud emtum valetudinis meæ detrimento velim. Itaque munus cotis obibo, quæ licèt hanc vim non habeat, ut quidpiam possit scindere, ferrum tamen, quo cetera secantur, acuit: quamvis ipse scriptor et poëta non sim, ceteris tamen indicabo, quænam sint boni poëtæ partes, quo ex thesauro depromantur opes et supellex idonea carmini : quid efficiat poëtas, quid eosdem perficiat: quid in carmine deceat, necne; quid rectum, quid vitiosum sit. Poëmatis bene conscribendi caput est mens sana et sapiens. Rerum copiam è Socratis scriptis haurire poteris, ibi sapientiæ effata, morumque leges omnes deprehendes, quas cùm accuratè provideris, et ex iis argumentum scribendi informaveris, verba ipsa ultro se offerent et ad exprimenda animi sensa facilè succurrent. Nunquam laborabit in tribuendis accommodatis unicuique personæ moribus et coloribus, qui callet quid patriæ suæ, quid amicis debeat; quis amor parenti, quis fratri, quis hospiti sit tribuendus; quod officium sit senatoris, quod judicis, quod ducis cui mandata fuerit belli cura. Præcipio illud in primis, ut poëta, cujus ars et industria in eo præcipuè posita est, ut actiones humanas imitetur et exhibeat vitam hominum quotidianam, et mores, quasi exemplar, consideret; ex ea nativas et genuinas locutiones quibus pingat ipsas actiones, hauriat. Contingit aliquando ut fabula, in qua communes quidam de vitiis ac virtutibus loci cum dignitate inserantur, et mores hominum bellè pingantur, licèt invenustè ac sine ullo artificio composita sit, licèt versus habeat gravitatis ac ponderis expertes, plus tamen afferat spectanti populo voluptatis, eumque attentiorem teneat, quàm canori sonantesque versus, sed referti nugis, rerumque ac sententiarum vacui. Ingenium ac sermonis numerosi et volubilis elegan-

Uncia, quid superet? Poterat dixisse, triens. Eu !
Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid fit ?
Semis. An, hæc animos ærugo, et cura peculî
Quum semel imbuerit, speremus carmina fingi
Posse linenda cedro, et levi servanda cupressu ?

Aut prodesse volunt, aut delectare poëtæ,
Aut simul et jucunda, et idonea dicere vitæ.
Quidquid præcipies, esto brevis, ut citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.
Omne supervacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis causâ, sint proxima veris,
Ne quodcunque volet, poscat sibi fabula credi ;
Neu pransæ Lamiæ vivum puerum extrahat alvo.
Centuriæ seniorum agitant expertia frugis,
Celsi prætereunt austera poëmata Rhamnes :

328. *Triens.* Quatuor unciæ, tertia pars assis. Aliæ partes ejusdem sunt istæ : sextans, duæ unciæ : quadrans, tres unciæ : semissis, sex unciæ : septunx, septem : bes, seu bessis, octo : dodrans, novem : dextans, decem : deunx, undecim.

Eu. Græca vocula, εὖ *bene, commodè.*

330. *Semis.* Sive semissis : sex unciæ, dimidia pars assis.

Ærugo. Vitium et tabes æris ; ut ferrugo, seu rubigo, ferri : hic pro avaritia ponitur.

Peculî. Pro *peculii.* Peculium propriè est pecunia quædam peculiaris, proprio alicujus labore parta, præsertim à servo, aut filio familias : quam servus domini permissu ; v. g. separatim à domini rationibus comparabat, aut ad redimendam libertatem, aut alios in usus.

332. *Cedro.* Succus cedri arboris dicitur cariem arcere. Ipsa cedrus, uti et cupressus, blattas ac tineas, aliasque ligni pestes, nescit.

340. *Lamiæ.* Ut Lamus, rex Læstrigonum in Italia, fingebatur homines devorare, sic in Africa regina quædam Damia iisdem vesci dicta est. Ejusmodi lamias, id est, monstra muliebri specie, oberrare noctu, et pueros vorare vulgus credebat, eoque metu objecto pueros malè querulos nutrices compescebant. Lamia, *un loup garou.*

341. *Centuriæ.* Servius Tullius anno Urbis 185, dum censum instituit, populum omnem distribuit in sex classes, pro ratione fortunarum; ita ut qui ditissimi essent in prima classe censerentur; alii, quorum res familiaris angustior, in aliis classibus reponerentur, certo quodam ordine servato, donec ad tenuioris fortunæ cives deveniretur; qui sextam conficiebant

tiam Musæ annuerunt Græcis; nec miror, cùm nullius rei prætèrquam gloriæ cupidi extiterint. At Romani pueri in eo curam omnem ætatemque consumunt, ut discant longis computationibus assem dividere in centum partes. Age, respondeat Albini filius, si tollatur uncia è quincunce, quid restat? Responde, puer, quid moraris? dictum jam oportuit: restat triens. Dicis præclarè! Euge rem familiarem poteris tueri. Addatur uncia quincunci, quid existet? Sex unciæ. Hæc lucri vitiosa cupiditas, cùm nostras mentes infecerit, quæ tandem spes est condi à nobis versus posse oleo cedrino ad cariem arcendam oblinendos, et in cupressinis scriniis conservandos?

Id spectant poëtæ, ut vel utilia, vel jucunda scribant; aut delectationi pariter et utilitati serviant. Si quid præcipientis in morem componis, brevitatis potissimùm habeto rationem, ut brevia præcepta facilè influant in attentos animos, et altiùs in iisdem defixa hæreant. Res inutiles et supervacaneæ statim è memoria, ut lymphæ pleno è vase, dilàbuntur. Quòd si quid delectationis causâ fingis, illud simillimum veri esse debet, neque id tibi arrogabis, ut fidem adhiberi jubeas omnibus quæcumque in scenam à te inducta fuerint: quamlibet incredibilia videantur: si, verbi gratiâ, narres puerum ab aliqua Lamia devoratum, ab ejusdem ventre vivum ac spirantem extractum esse. Senes improbant carmina quæ nihil habent utilitatis: at juvenes polituli et elegantes ea fastidiunt, quæ nihil habent voluptatis.

classem. Singulæ classes multas complectebantur centurias: prima, v. g. classis centurias numerabat octoginta, etc. Centurariarum pars una senes complectebatur, altera juvenes. Centuriæ seniorum: *les Centuries, les bandes des vieillards.*

342. *Rhamnes.* Romulus populum Romanum tres in partes divisit, quas vocavit Tribus. Qui erant in prima vocabantur Rhamnes; qui in secunda, Tatienses; Luceres, qui in tertia: nimirum à nominibus Romuli, et Tatii regis Sabinorum, ac Luceri Ar-

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo.
Hic meret æra liber Sosiis; hic et mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat ævum.
Sunt delicta tamen quibus ignovisse velimus;
Nam neque chorda sonum reddit quem vult manus et mens:
Poscentique gravem persæpe remittit acutum;
Nec semper feriet quodcunque minabitur arcus.
Verùm, ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura. Quid ergo est?
Ut scriptor si peccat idem librarius usque,
Quamvis est monitus, veniâ caret; et citharœdus
Ridetur, chordâ qui semper oberrat eâdem:
Sic mihi, qui multùm cessat, fit Chœrilus ille,
Quem bis terve bonum, cum risu miror; et idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum operi longo fas est obrepere somnum.

Ut pictura, poësis: erit quæ, si propiùs stes,
Te capiat magis, et quædam, si longiùs abstes,
Hæc amat obscurum, volet hæc sub luce videri,
Judicis argutum quæ non formidat acumen.
Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit.
O májor juvenum, quamvis et voce paternâ
Fingeris ad rectum, et per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor: certis medium, et tolerabile rebus
Rectè concedi. Consultus juris, et actor

deatis, seu Lucumonis Etrusci regis, cum quibus fœdus à Romulo ictum erat. Numerus tribuum excrevit postea ad triginta quinque.

357. *Chœrilus.* Acron ita convenisse inter Alexandrum et Chœrilum scribit, ut quoties hic bonum ederet versum, nummum philippum acciperet; quoties malum, colaphum. Chœrilus tot malos edidit versus, ut colaphis enectus tandem perierit.

361. *Ut pictura, etc.* Poësis est loquens pictura, ut aiunt; pictura verò, tacita poësis.

Omnium suffragiis ille poëta probabitur, qui voluptatem utilitati adjunxerit, qui lectorem oblectaverit ac docuerit. Ejusmodi liber socios bibliopolas locupletat, ille in transmarinas regiones deportatur; ille celebrat auctoris sui nomen et immortalitati consecrat. Sunt nihilominus quædam vatum errata, quæ meritò sunt illis condonanda: neque enim chorda lyræ semper eum refert sonum, quem tangentis manus animusque postulat, et sæpe jussa reddere gravem, acutum reponit: neque arcus semper signum, in quod sagitta dirigitur, tangit. Verùm si plures loci sunt in poëmate præclari et illustres, ignoscam paucis nævis, qui per negligentiam irrepserint, aut, ut est naturæ humanæ fragilitas, exciderint. At quemadmodum non ignoscitur librario, qui manu volumina describit, si, licèt sæpe admonitus, in eumdem semper errorem prolabitur; quemadmodum citharædum deridemus, qui semper in eadem chorda perperam tangenda peccat: sic poëtam, qui sæpius delirat, ac negligenter scribit, comparo illi Chærilo, quem admiror, et rideo si quid bis terve commodè scriptitat: contra verò non possum non ægrè ferre, cùm Homerum cerno scribentem aliquando negligentiùs ac velut obdormiscentem: quanquam danda certè venia si quis paululùm dormitaverit in prolixo poëmate: nec omnes loci debent in carmine bono esse æquè, ac eodem modo elaborati.

Simillima enim picturæ poësis est: quædam cominus placet, quædam eminus: hæc in obscura luce spectari amat; illa in aperta et meridiana, censorumque eruditos oculos non extimescit: hæc semel arrisit: illa decies spectata nunquam non arridebit. O Pisonum natu major, quamvis te pater ad perfectam poëticæ laudem satis erudiat, ac per te ipse quid sit rectum videas, tene memoriâ id quod sum dicturus; in certis quibusdam artibus mediocritatem tolerari. Jurisconsultus non optimus et patronus ab eloquentia Messalæ longo intervallo distat, et ab Auli Cas-

Causarum mediocris, abest virtute diserti
Messalæ, nec scit quantum Cascellius Aulus;
Sed tamen in pretio est. Mediocribus esse poëtis
Non homines, non Dî, non concessere columnæ.
Ut gratas inter mensas symphonia discors,
Et crassum unguentum, et Sardo cum melle papaver,
Offendunt, poterat duci quia cœna sine istis:
Sic animis natum, inventumque poëma juvandis,
Si paulum summo decessit, vergit ad imum.
Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis;
Indoctusque pilæ, discive, trochive, quiescit,
Ne spissæ risum tollant impunè coronæ:
Qui nescit, versus tamen audet fingere: quidni?
Liber, et ingenuus, præsertim census equestrem
Summam nummorum, vitioque remotus ab omni.
Tu nihil invitâ facies dicesve Minervâ:
Id tibi judicium est, ea mens. Si quid tamen olim
Scripseris, in Metii descendat judicis aures,
Et patris, et nostras; nonumque prematur in annum.
Membranis intus positis, delere licebit
Quod non edideris: nescit vox missa reverti.

Silvestres homines sacer interpresque Deorum

370. *Diserti.* Disertus est, qui aptè et concinnè dicit, disseritque; eloquens, qui movet, delectat, docet.

371. *Cascellius Aulus.* Celebris tunc Jurisconsultus.

373. *Dî.* Apollo, Musæ, etc.

Columnæ. Postes tabernarum, in quibus librorum nomina erant proscripta. Quas alibi pilas vocat. *Les piliers des boutiques des Libraires.* Vel columnæ majorum et publicorum ædificiorum, quorum in atriis erant multæ bibliopolarum officinæ. Porrò bibliopolæ poëtas mediocres molestè ferunt, quia nullus ex iis quæstus est.

374. *Symphonia.* Concentus: cùm voces multæ conspirant.

375. *Crassum unguentum.* In conviviis unguento perfundebant caput. *Un parfum grossier et désagréable.*

Sardo. In Sardinia, *la Sardaigne*, herbæ sunt amarissimæ, unde mel ingratum. Papaveris semen, tostum, cum melle in secunda mensa apud antiquos ponebatur. Plin. L. XIX. c. 8.

cellii eruditione; sed laudem aliquam tamen habet: ac poëtas esse mediocres, non superi, non homines, non ipsi bibliopolæ patiuntur. Quemadmodum in lauto convivio tædium ac molestiam parit musica incomposita, unguentum pingue odorisque gravioris, et papaver Sardoo admixtum melli; quia grata esse poterat ac produci bellè cœna, quamvis hæc abessent: ita carmen, idcircò factum et comparatum ut animos oblectet ac doceat, si perfectum numeris omnibus non est, continuò est deterrimum. Qui exercitationes in campo Martio usurpari solitas, non potest cum dignitate obire, iis abstinet; qui ludere pilâ, disco, trocho, nescit, eos omittit ludos, ne à frequenti hominum astantium cœtu explodatur: at quicumque condendi poëmatis imperitus est, poëma tamen moliri non dubitat. Cur tamen scribere illum vetas? inquiet aliquis, cùm sit ingenuus, liber, et constet esse illi census equestrem, demum integer vitæ, scelerisque sit purus. Esto, ita sentiant alii: tu Piso, hoc satis esse ne crede, opus est præterea Genio, faveat oportet Minerva, quâ invitâ et repugnante nihil unquam aggrediaris moneo. Atque ita te sentire confido, quæ tua prudentia est. Si quid aliquando tamen composueris, illud Metio recita, et examinandum permitte, itemque parenti tuo, et nobis. Tum etiam per novem ipsos annos domi clausum et conditum poëma servabis. Dum latebit abditum in museo; poteris, uti videbitur, illud emendare; at cùm semel editum fuerit, retexere quod malè scripseris fas non erit.

Orpheus Deorum sacerdos et interpres abduxit

378. *Vergit ad imum.* Si non est excellens et sublime, sordet ac repit.

383. *Census.* Est hîc participium vocis et significationis patientis. Recensitus in censorum albo inter illos, qui habent summam necessariam annui proventûs, ut inter equites numerentur. Erat illa sestertiorum quadringentorum : *quarante mille francs.* Qui dum censetur, repertus est habere in bonis quadringenta millia æris.

387. *Metii.* Metius Tarpa, criticus præstantissimus.

Cædibus, et victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosque leones.
Dictus et Amphion, Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere sono testudinis, et prece blandâ
Ducere quò vellet. Fuit hæc sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis;
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis;
Oppida moliri, leges incidere ligno.
Sic honor, et nomen divinis vatibus, atque
Carminibus venit. Post hos insignis Homerus,
Tyrtæusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit. Dictæ per carmina sortes;
Et vitæ monstrata via est; et gratia regum
Pieriis tentata modis; ludusque repertus,
Et longorum operum finis; ne fortè pudori
Sit tibi Musa lyræ solers, et cantor Apollo.

Naturâ fieret laudabile carmen, an arte
Quæsitum est: ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid possit video ingenium. Alterius sic
Altera poscit opem res, et conjurat amicè.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, sudavit, et alsit;
Abstinuit Venere et vino. Qui Pythia cantat

394. *Amphion*. Cadmus Thebas condiderat: eas muris et arce munivit Amphion, et ad id operis cives, agrestesque in vicinia positos excivit eloquentiâ suâ aut musicâ quam egregiè callebat. Eam ob rem dictus est Thebanos muros lyrâ condidisse, saxis suâ sponte se componentibus, et in mœnia surgentibus.

402. *Tyrtæus*. Lacedemonii bellum grave contra Messenios gerebant. Oraculo jussi sunt ducem ab Atheniensibus petere: à quibus Tyrtæum vatem, seu ludi magistellum claudum, distortum, luscum, acceperunt. Ille præliis aliquot initio minùs prosperè factis, tandem versus composuit, et prima in acie consistens, militibus recitavit. Iis ita sunt incensi Lacedemonii, ut insignem de Messeniis victoriam retulerint, eorumque opes omnino fregerint.

414. *Pythia*. Ita vocabant ludos in Græcia celeberrimos, celebrari solitos in honorem Apollinis Pythii, sic dicti quòd serpentem Pythonem interfecisset. In iis tibicines artem suam ostentabant. Præterea in choris co-

homines, qui olim degebant in sylvis, à mutua internecione, et ferino victu : quapropter litteris proditum est eùm tigres leonesque cicurasse. Eamdem ob causam narrant Amphionem, qui Thebas condidit, lapides lyrâ dulci et blandis cantibus traxisse, et ad eum, quò libuisset, locum transtulisse. Sanè in eo consistebat prisca omnis philosophia, ut doceret quomodo publicum bonum à privatorum commodis esset distinguendum, quodnam esset inter res sacras profanasque discrimen, ut homines à promiscua libidine adulterisque deterreret, tori legitimi leges conjugibus ediceret, urbes conderet, legibus in tabulam ligneam incisis et publicè propositis civitates temperaret. Quocirca vates, qui hæc, veluti divinitus accepta, tradebant hominibus, summum sunt honorem, et eorum pariter versus, consecuti. Nec ita multò post Homerus floruit, ac Tyrtæus qui ambo heroum animos ad bellum strenuè gerendum suis carminibus incenderunt. Oracula subinde versibus edita, iisdem conscripta moralis philosophiæ præcepta; et regum favor quæsitus; iidem ad ludos scenicos adhibiti, relaxandis animis, aliquo labore graviori negotioque perfunctis. Quæ si perpendes, nihil te profectò pudebit, colere Musas et Apollinem, atque in poëticam sedulò incumbere. Agitata fuit hæc inter viros eruditos controversia, num ad egregium poëma scribendum natura plus afferet adjumenti, quàm ars. Ego non video quid possit efficere artis industria, sine felici natura, et ingenio; aut ingenium et beata indoles, si arte destituta et labore sit. Sic artis subsidium natura, naturæ opes ars postulat; sic utraque ad poëtam eximium effingendum suavissimè conspirat. Qui ad

mœdiarum canebantur quædam cantica, quæ Pythia vocabantur, quia illis erant similia quæ canebantur in honorem Apollinis Pythii, Post illa cantica tibicen inflabat tibiam, et responsabat. Hunc pythaulen ideo vocabant, quia post Pythia canebat, quia Pythiis canticis succinebat.

Tibicen, didicit priùs, extimuitque magistrum.
Nunc satis est dixisse : Ego mira poëmata pango ;
Occupet extremum scabies: mihi turpe relinqui est,
Et, quod non didici, sanè nescire fateri.

Ut præco, ad merces turbam qui cogit emendas,
Assentatores jubet ad lucrum ire poëta
Dives agris, dives positis in fœnore nummis.
Si verò est unctum rectè qui ponere possit,
Et spondere levi pro paupere, et eripere atris
Litibus implicitum, mirabor si sciet inter-
noscere mendacem, verumque beatus amicum.
Tu, seu donaris, seu quid donare voles cui,
Nolito adversus factos tibi ducere plenum
Lætitiæ. Clamabit enim, Pulchrè, Benè, Rectè,
Pallescet; super his etiam stillabit amicis
Ex oculis rorem; saliet, tundet pede terram,
Ut qui conducti plorant in funere, dicunt,
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo; sic
Derisor vero plus laudatore movetur.
Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant
An sit amicitiâ dignus. Si carmina condes,
Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.
Quintilio si quid recitares : Corrige, sodes,
Hoc, aiebat, et hoc. Melius te posse negares,
Bis terque expertum frustra ? delere jubebat,

417. *Occupet, etc.* Proverbium quoddam, quo pueri scabiem illi imprecabantur, qui ultimus ad metam venisset.

422. *Unctum.* Subaudi, cibum, epulum.

431. *Conducti.* Mos erat Romæ certos homines conducere, qui lacrymis et ululatibus funera ornarent ac prosequerentur. Vulgò id muneris datum mulieribus, quas præficas dicebant.

434. *Culullis.* Cululli fictiles sunt calices : urceoli, pocula. Porro aiunt hoc genus quæstionis à regibus Persarum fuisse usurpatum.

435. *Torquere mero.* Ut perspicerint eorum indolem, quæ in vino maximè se prodit.

437. *Animi.* Dolosi et fallaces.

438. *Quintilio.* Quintilius Varus, erat poëta eximius, et Censor.

metam pervenire prior contendit in Circensibus ludis, multa jam à puero dura et gravia pertulit; æstu, frigore, corpus corroboravit, vino et voluptate sibi interdixit. Tibicen, qui canit in Pythiis, priùs canere didicit sub severo citharœdo, à quo sæpè increpitus et malè multatus est. Nunc sufficit ad poëtæ nomen sibi arrogandum, si quis perfrictâ fronte affirmet se mirificos versus edere: si malam scabiem ineptis poëtis imprecetur: egone, ait, inter extremos poëtas conjiciar? non feram, et quamvis inscitiæ meæ mihi sim probè conscius, nunquam tamen fatebor me id ignorare quod non didici.

Poëta locuples, cui multa sunt prædia, multi, quos fœnore alit, nummi, ad se se vocat assentatores, quibus laudet venditetque sua carmina, ingenti propositâ mercede; instar præconis qui congregat populum ad auctionem et merces cum lucro emendat. Sin autem est etiam satis dives et liberalis, ut lauto convivio illos adulatores possit accipere, vadem se offerre pro paupere, quòd sponsore indigeat, eumque malis litibus extricare; portenti simile erit, si verum amicum ab falso fictoque poterit distinguere. At tu si quid largiri alicui volueris, nolito illi accepti muneris recenti lætitiâ delibuto recitare tuos versus: audies enim illum exclamantem, et in eas erumpentem voces: Quàm bellè dictum, quàm sapienter, quàm ornatè! rapi se in admirationem et propè à sensibus abduci finget, lacrymulas etiam præ gaudio fundet, ac saltabit. Ut, qui pactâ mercede lacrymantur in funeribus, multò graviorem luctum et factis et dictis præ se ferunt, quàm qui vero dolore afficiuntur; ita qui per assentationem et ad gratiam laudat, multò id vehementius et operosius facit, quàm qui loquitur ad veritatem, et ex animo laudat. Quando reges explorare student, utrùm aliquis ipsorum amicitiâ sit dignus, eum, ut perhibent, multis cyathis tentant, ac vinum quasi tormentum et quæstionem, illi admovent. Tu, cùm poëma com-

Et malè tornatos incudi reddere versus.
Si defendere delictum quàm vertere malles,
Nullum ultra verbum, aut operam sumebat inanem,
Quin sine rivali teque et tua solus amares.
Vir bonus, et prudens versus reprehendet inertes,
Culpabit duros, incomptis allinet atrum
Transverso calamo signum, ambitiosa recidet
Ornamenta; parum claris lucem dare coget,
Arguet ambiguè dictum, mutanda notabit;
Fiet Aristarchus, nec dicet: Cur ego amicum
Offendam in nugis? Hæ nugæ seria ducent
In mala, derisum semel, exceptumque sinistre.
Ut, mala quem scabies, aut morbus regius urget,
Aut fanaticus error, et iracunda Diana,
Vesanum tetigisse timent, fugiuntque poëtam,
Qui sapiunt; agitant pueri, incautique sequuntur.
Hic, dum sublimes versus ructatur, et errat,
Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum, foveamve: licèt, succurrite, longum
Clamet, io, cives; non sit qui tollere curet.
Si quis curet opem ferre, et demittere funem,
Qui scis an prudens huc se projecerit? atque
Servari nolit? dicam, Siculique poëtæ
Narrabo interitum: Deus immortalis haberi

450. *Aristarchus.* Insignis criticus, Callimachi æqualis. In eo præsertim elaboravit, ut genuinos Homeri versus à spuriis distingueret. Hinc factum ut rigidi alienorum scriptorum censores Aristarchi vocarentur.

453. *Morbus regius.* Aurugo etiam appellatur, ob flavum quem inducit vultui, colorem, similem auro; Græcis est icteros; Gallis, *la jaunisse.* Magnificis epulis et regifico victu curari perhibetur. Hinc morbus regius vocatur, quasi regiis sumtibus et opibus, ut persanetur, indigeat. Nascitur ex felle, quo per totum corpus diffuso, livescunt oculi, flavescunt membra, etc. Eo laborantes *arquati* vulgò appellantur.

454. *Fanaticus error.* Dementia. Nomen à fanis, id est, delubris Deorum, ductum, in quorum vestibulis solent amentes consistere, quasi à reliquo populo sejuncti, aut stipis corrogandæ causâ. Sunt autem illi amentes vagi ferè ac errones.

Diana. Putabatur furorem

pones, non minùs diligenter explorabis quos censores adhibeas; ne fortè, dum animum fraudulentum ore amico regunt, te decipiant. Si quis carminis quidpiam olim Quintilio recitaret: hoc, amabo te, emenda, inquiebat; illud etiam. Si poëta fatebatur se bis terque locum eumdem retractasse, at frustra, neque se posse commodiùs et elegantiùs scribere; jubebat expungi, et perperam atque infabrè factos versus, ad incudem revocari. Si peccatum suum excusare, quàm corrigere, scriptor mallet, silebat, neque vetabat, quin se ac suos fœtus sine æmulo deoscularetur. Censor sapiens et amicus repentes languidosque versus castigabit; rigidè ac duriter fusos arguet; inelegantes obliquo signo et liturâ notabit; ornamenta, quæ plus habebunt pompæ ac splendoris, quàm veritatis et ponderis, amputabit; jubebit obscura illustrari; reprehendet quæ duplicem in sensum accipi possunt; mutandis notam inuret; demum Aristarchus alter erit: neque hac utetur oratione; cur amico negotium et molestiam pro rebus tam levis momenti exhibebo? Hæc levia delicta illi veros dolores importabunt, cùm ob illepidum insulsumque carmen, risum de se ac ludos populo semel dederit. Poëtam quippe malum sanus quisque non minùs sedulò fugit ac vitat, quàm arquatos, aut scabie turpi laborantes, aut fanaticos, et abirata Dianæ percussos. Illum pueri vicatim vexant, et gregatim temerè insectantur. Ipse, dum versus judicio suo egregios, ore subrecto errabundus profundit, si ruat fortè in puteum aut foveam, instar aucupis qui merulis tendit insidias; quamvis prætereuntium opem lamentabili voce imploret; nemo illum hinc educere curabit. Si quis succurrere laboret, ac restem dejicere, ut eum extrahat; quid agis? dicam, ecquid

immittere hominibus. Eadem erat ac luna. Hinc dicti lunatici, qui ingravescente, aut remittente vesaniâ, pro vario lunæ incremento, aut decremento, laborant.

Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Insiluit. Sit jus, liceatque perire poëtis.
Invitum qui servat, idem facit occidenti.
Nec semel hoc fecit: nec, si retractus erit, jam
Fiet homo, et ponet famosæ mortis amorem.
Nec satis apparet versus cur dictitet: utrum
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
Moverit incestus. Certè furit, ac velut ursus,
Objectos caveæ valuit si frangere clathros,
Indoctum, doctumque fugat recitator acerbus.
Quem verò arripuit, tenet, occiditque legendo,
Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

465. *Frigidus.* Vecors, stolidus. Quibus enim frigidior est sanguis, mens vulgò hebetior est; vel, sciens et prudens, non æstuans irâ, *de sang froid.*

467. *Idem facit occidenti.* Eamdem rem facit, atque occidens.

471. *In patrios cineres.* Nihil olim tam sanctum, quàm religio sepulcrorum.

Bidental. Locus ictus fulmine, ita dicebatur, quia immolatis bidentibus expiabatur, et consecrabatur; quasi Jupiter, conjecto fulmine, illum sibi addixisset. Itaque sudibus aut parietina sæpiebatur, nec illud septum movere ac evellere, aut locum calcare, fas erat.

473. *Clathros.* Obices ferreos: *les barreaux de sa loge.*

476. *Hirudo.* Pisciculus, instar exigui serpentis, qui ad exprimendum vitiosum sanguinem cuti applicatur, neque avelli, nisi sanguine oppletus, potest. Vulgò sanguisuga, *une sang-sue.*

FINIS ARTIS POETICÆ.

scis an ultro se huc præcipitem immiserit? an velit vivere? simul addam, quo pacto perierit Empedocles, qui dum existimari Deus ambit, in Ætnæ medios ignes conjecit sese, sciens ac volens, suique planè compos. Demus hoc jus poëtis, hanc veniam, ut cùm libebit, mortem sibi consciscant. Qui mori prohibet aliquem invitum, idem facit ac si illum interficeret. Neque verò vesanus hic poëta nunc primùm se isti objécit periculo, neque, si eum hinc eripias, sanior evadet cautiorque, aut desinet genus mortis consectari, ex quo sibi famam in vulgus commendatiorem colligat. Unde verò illi hæc faciendi versus insania fuerit injecta, incertum est: an quòd paternum sepulcrum violaverit, an quòd locum fulmine perculsum pede sacrilego calcàverit. Hoc unum constat, eum furere. Utque ab urso, cùm opposita caveæ suæ repagula perfregit, obvii quique in fugam cojiciuntur, ita omnes illum suos recitantem versus periti juxtà et imperiti fugiunt. Quòd si quem invaserit, nusquam illum dimittit, donec recitando enecaverit, hirudini simillimus, quæ pellem non relinquit antequam se sanguine penitus expleverit.

FINIS ARTIS POETICÆ.

INDEX

Rerum quæ in Notis Artis Poëticæ explicantur, secundùm litterarum seriem digestus.

LATERCULUM SESTERTIORUM.

As Romanus continebat novem admodum denariolos monetæ Gallicæ. Sestertius continebat duos asses Romanos cum dimidio tertii, sive semisse, Eâ causâ, fuit cur his notis, compendii causâ, exprimeretur, I. I. S. id est, assis I. unus, itemque I. unus, et S. id est, semissis, seu dimidia pars assis. Sæpè duo II. ducta inter utrumque linea, jungebatur HS. Nonnunquam geminum L. pro I. scribebatur, ac pariter aliquando jungebatur LLS. Ubi littera L. sic geminata duas libras sive duos asses indicabat : as enim olim æream libram valebat. Unum sestertium in neutro genere, mille sestertios, quos minores vocabant, continebat. Denarius Romanus quatuor sestertios, decem verò asses complectebatur ut patebit è sequenti tabula.

Sestertii minores.	Asses, sive solidi gallici.
1	3
2	4
3	6
4	8
Denarius Romanus, sive decem æris.	
5	10
Sestertii minores.	*Libræ Gallicæ solidis viginti constantes.*
10	1
20	2
30	3
40	4
50	5
100	10
200	20
300	30

Sestertii.	Libræ Gal.
400	4
Mille æris sive denarii centum, Mna una.	
500	50
600	60
700	70
800	80
900	90
1000	100
Unum sestertium.	
2000	200
Duo sestertia.	
4000	400
Quatuor sestertia.	
Decem millia æris, sive mille denarii. Libræ Gall. quadring.	
5000	500
Quinque sestertia.	
6000	600
Sex sestertia.	

Sestertii.	Libræ Gal.	
7000	700	*Septem sestertia.*
8000	800	*Octo sestertia.*
9000	900	*Novem sestertia.*
10000	1000	*Decem sestertia. Mille libræ nostrates.*
20000	2000	*Viginti* HS. *Librarum Teuronic. duo millia.*
30000	3000	*Triginta* HS. *sive Lib. Teur. tria millia.*
40000	4000	*Quadraginta sestertia. Liv. Turonic. 4 millia. Centum millia æris, seu decem millia denarium.*
50000	5000	50 HS. | *lib. 5 millia.*
100000	10000	*Centum sestertia. sive sestertium semel.*
200000	20000	*Ducenta* HS. *Sive sestertium bis.*
300000	30000	*Sestertium ter.*
600000	60000	*Sestertium sexies.*
700000	70000	*Septies.*

Sestertii.	Libræ Gal.	
800000	80000	*Octies.*
900000	90000	*Novies.*
1000000	100000	*Mille sestertia, sive Decies, hoc est, decies centena millia minorum sestertiorum.*
2000000	200000	*Vicies.*
3000000	300000	*Tricies.*
4000000	400000	*Quadragies.*
5000000	500000	*Quinquagies.*
6000000	600000	*Sexagies.*
7000000	700000	*Septuagies.*
8000000	800000	*Octuagies.*
10000000	1000000	*Centies.*
20000000	2000000	*Ducenties.*
50000000	5000000	*Quadringinties.*
90000000	9000000	*Nongenties.*
100000000	10000000	*Millies.*
200000000	20000000	*Bis millies.*

Argenti libra denarios 84 continebat, respondet libris Turonicis 33, cum solidis 12. Auri libra Romana Turonicis libris 576 æquiparatur.

Talentum Ægyptium argenti libras complectitur 80 nostrates bis mille sexcentas octoginta octo.

Talenta 50, libræ sunt Turon. 134400. Talenta 100 libræ 268800. Talenta quingenta, libræ 1344000.

Talentum Atticum continebat sex millia denariùm, libras Turonicas bis mille quadringentas. Erat autem duplex : alterum majus, quod minas, seu minas octoginta continebat : alterum minus seu commune, quodque vulgò talenti nomine intelligitur, è minis sexaginta constans.

Lege editam hoc ipso anno 1697 diatribam Jacobi Pienudi, viri Græcis et Latinis litteris excultissimi, quæ inscribitur *Nummorum veterum inter se comparàtio, et juxta monetam nostram æstimatio.* In ea ille paulùm à nostra computatione discrepat, quia particulas denariolorum minutatim colligit, quas nos, ut esset numerus rotundior, et rati non esse necessarias, omisimus.

FINIS TOMI PRIMI.